

PAPINII

STATII

1750

ED. PETRI

1750

ED. PETRI


1750

ED. PETRI

A
9-266



64-5. 2A-6




117065173



6 - 8

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

64-5. 2A-6



117065173



6 - 8

2-22-5124

B-8055


P. PAPINII STATII
O P E R A

AD OPTIMAS EDITIONES
COLLATA

P R E M I T T I T U R

N O T I T I A L I T E R A R I A


S T U D I I S S O C I E T A T I S B I P O N T I N Æ



E D I T I O A C C U R A T A

B I P O N T I
Ex T Y P O G R A P H I A S O C I E T A T I S
A.D. CCLXXXV





P. PAPINII STATII
O P E R A.

ЛІТАТІА ПАПІЯ
А Я Е П О

P. PAPINII STATII
 V I T A
 EX
 LILII GREGORII GYRALDI
 DE LATINIS POETIS DIALOGO QUARTO:

Post Bassum sequebatur P. Papinius Statius; cuius de patria inter Grammaticos controversia fuit; usque ad Domitii tempora, Domitii, inquam, de re literaria bene meriti: qui si non sibi & memoriae tantum indulsisset, multa certe obtrectatores in ejus scriptis frustra, quæ reprehenderent, perquisissent. Sed de Domitio alias, inquit Piso, nunc de Statio: qui, ab aliquibus Tolosanus, ab aliis ex Sellis, Epiri oppido, ab aliis Neapolitanus dicitur. Tunc ego, Postquam me provocas, & Picus attente & libenter hæc audire videtur, causam vobis exponam, cur Statio diversa statuatur patria. atque ut rem clarius percipiatis, patris & filii vitas vobis paucis recitabo: quas cum alii, tum Pomponius Lætus, & literarum & antiquitatis, ut scitis, bene peritus, pridem Gaspari Blondi filio conscripsit, quibusdam a me pro Statius.

tempore additis. Sic agas, inquit Picus, & simul obticuit. Publius igitur, inquam ego, Papinius Statius pater, Græca & Latina lingua eruditus, ad novissimum usque diem professus est, summo honore apud Domitianum habitus, a quo etiam est auro donatus & corona, digno principe erga præceptorem munere. Primus genus suum, propter inopi m & egestatem obliteratum, celebritate nominis celebre fecit; adeoque clariuit, ut, quod Homero, ei contigerit: duæ enim urbes, Sellæ Epirotarum, & Neapolis Campanorum, de ejus natali solo certarunt. singularis profecto contentio, ex qua intelligi facile potest, quanto in pretio tum literæ fuerunt. Qui vero Tolosanum existimarunt, inter quos Dantes fuit, poeta Hetruscorum vernaculus, decepti sunt alterius Statii rhetoris patria, cuius meminit Eusebius. Ex Agellina uxore, quam unicum habuit, & ei superstes fuit, P. Papinium Statium genuit: cuius pueritiam ac juventutem literis fovit, copia varietateque rerum referit, & omne ejus studium, quoad vixit, juvit, operaque castigavit. Annum agens sexagesimum quintum, inexpurgabilis somni morbo, quem lethargum vocamus, periit: cuius mortem Epicedio filius prosecutus est. Multa & prosa & carmine scripsit, si filio credimus: sed eorum nihil ad nos pervenit. Papinius vero filius, juvenis adhuc, Claudiam, Claudii Apollinaris filiam, quæ Tibicini nupta fuerat, & ex eo filiam genuerat, amoris impatiens, duxit uxorem: cui

tanta, ut ait Pomponius, modestia & castitas, amo-
risque observantia mariti, ut XX annis non fraudarit.
Deceptum hoc loco crediderim Pomponium, & cum
secutum Maturantium: nec enim a marito Clau-
dia tamdiu absfuit. Erroris, opinor, causam præstitit, quod
parum considerate Statii carmen ad Claudiam ipsam
examinarunt. Filium cum ex Claudia uxore nullum ha-
beret, infantem sibi Statius adoptavit, quem præmatura
extinctum morte carmine deflevit. Vergens vero ad se-
nium Neapolim, communem ambobus patriam, Clau-
diam carmine revocavit. ambigitur, quis superstes fue-
rit. Albano certamine, Domitianus Cæsar eadem, qua
patrem, qui præsens erat, filium corona, ac item agro
Albano donavit, bisque auro insignivit, splendidoque
ac magnifico, cum senatoribus equitibusque Romanis
convivio suscepit: id quod carmine poeta, quod Eu-
charisticon inscripsit, testatus est. Quo fit, ut fabulæ
potius, quam historiæ simile putem, quod ab aliquibus
proditum est, Statium præacuto stilo a Domitano con-
fossum. Supersunt vero ad hæc usque tempora hæc
Statii opera, Thebais, ut ipsem cecinit,

Multa cruciata lima:

atque idcirco durior & inconcinnior alicubi quibusdam
videtur: quam Junii Maximi, viri eloquentissimi, ju-
dicio monituque publicavit. Antimachum argumen-
tantum imitatus: nam phrasè ille tumidus & laxus,

hic durus & arctior. Item Achilleis imperfcta, in qua
longe plus doctis quibusdam, quam in Thebaide praestare
videtur. Non defuere etiam, qui Achilleida ipsam per-
fectam fuisse existimarint; sed reliquum, quod deest,
deperditum, ut etiam diutius Silvae fuerunt: alii,
quod habemus, integrum esse: utriusque magno, ut puto,
acti errore, & manifestis pridem argumentis explosi.
Proditum est, cum Achilleida esset descripturus, Cri-
spinum Vecti Bolani filium, clarum militia juvenem,
sibi proposuisse. Utramque vero Imperatori Domitiano
dicavit. Exstant & quinque Silvarum libri, ex quibus
& vehemens in eo poematis genere illius, & pene ex-
temporale ingenium, & subitum calorem, ut ipse ait,
percipere possitis. De quibus quidem Papinii Silvis sic
Apollinaris in hendecasyllabo ad Felicem:

At cum forte pedum minore rythmo
Pingit gemmea prata Silvularum.

Ex iisdem, inquam, Silvis & amicos & fortunam, &
reliquam ipsius poetae vitam facile cognoscetis. Scripsisse
præterea tragœdiam a nonnullis existimatur; idque
Juvenalis innuere videtur, ut mox dicam. Non multum
adeo Statium a suorum temporum scriptoribus
amatum ea ratione colligo, quod ab iis ejus nullam
fere mentionem factam video, præterquam ab Juvenale,
qui & illum perstringere potius satyrice videtur, quam
laudare, ita enim canit in septima:

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
 Thebaidos, lœtam fecit cum Statius urbem,
 Promisitque diem: tanta dulcedine captos
 Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
 Auditur: sed cum fregit subsellia versu,
 Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Nec illud in præsentia vobis reticuerim, quod est ab
 Aligerio Dante suo carmine proditum, Statium vi-
 delicet Papinum religioni Christianæ addictum fuisse,
 Christianisque tum laborantibus, ob metum occulte,
 pro virili opere tulisse: ne scilicet suppliciis cruciati-
 busque, quibus tum passim afficiebantur, agitaretur ipse.
 In hanc autem pietatem & religionem inclinasse idem
 poeta innuit, ob eos Virgilius versus ex Sibylla:

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
 & reliqua. Sed an Dantes deceptus sit, ut in ejus-
 dem etiam patria, non vobis facile dixerim: nam &
 recentiores alios nonnullos scriptores in eodem fuisse
 errore invenio. Legitur & epitaphium Statii a Pom-
 ponio, ut fertur, conditum, quod referre haud pretium
 operæ videtur.

NOTITIA LITERARIA
DE
P. PAPINIO STATIO
POETA.
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina a Jo. Aug.
Ernesti auctius edita Lib. II, cap. XVI.

STATII etas.

P. PAPINIUS STATIUS Neapolitanus, patre natus, præceptore Domitiani, qui multa carmine & oratione scripserat, ut filius testatur Epicedio in patrem lethargo sublatum, Silv. V, 3¹. Extrem-

1 Perperam quidam, ut Domitius Calderinus, Lindenbrogius, Fr. Morellus *Papinium Surculum Statium* appellant. *Starius* modo *prænomen* fuisse observatur, ut in priscis inscriptionibus Statius *Æbutius*, Statius *Marcellus*, & apud Livium Statius *Cælius Imperator Samnitium*: modo *nomen*, ut in iisdem inscriptionibus C. Statius *Fau-stus*, C. Statius *Primigenius*,

C. Statius *Neuretus*, Statius *Saturninus* & L. Statius *Ur-fulus*, Tolosensis rhetor sub Nerone, de quo Pontacus ad Eusebii Chron. p. 569. & Statius *Sebosus* Plinio & Solinio laudatus supra 235. 246. modo *cognomen* denique, ut *Cæcilius Statius Comicus* (de quo Gellius IV, 19.) & poeta noster P. Papinius Statius. Vide Jo. Marium Mattium L. 2. Opinionum cap. 13. Sed

porali poemata compendi facilitate Imperatori Domitiano gratissimus fuit, & a maiestate carminis *Aquelinus* librariis dictus: tamen vietus in agone quinquennali Domitiani, aliis poetis contra ipsum coronatis, ut ipse innuit carmine ad Claudiam uxorem & in patrem Epicedio. Quod vero aliqui narrant, eum præacuto stilo ab indignante Imperatore esse confossum, id magis videtur credibile, quam quod Aligerius Dantes prodidit, eum Christiano addictum nomini, saevitiam Domitia ni in Christianos pro virili temperasse. Extemporalii Statii versus pangendi facultati invidisse Martialem, atque ideo sub *Sabelli* nomine IX. Epigram. 40. perstrinxisse, sibi persuasit Gevartius cap. 35 Papiniarum lectionum. Inopia ejus tangitur a Juvenali Sat. VII, 87. *Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.* Ipse Epicedio in patrem queritur, quod *vilos honos studiis.* Adulatorum maximum, ut poetarum suo ævo, longeque post & ante principem vocat Barthius in notis Tom. I, pag. 287. Julius Cæsar Scaliger *equum alatum.* Thoma de Pinedo judice pag. 488 ad Stephanum Byz.

ista ita sunt ex vetera ratione nominum: sub imperatoribus autem, in primis inde ab seculo primo extremo, ratio nominum vel imponendorum vel assumendorum valde mutata est, habuitque idem saepè plura nomina, v. c. alterum a patre, alterum a matre &c. unde nec præ-

nomina nec cognomina fieri debent: de qua re accurate nuper scripsit Cannegieterus ICtus in libro: *de nominum mutatione sub principibus Romanis.* add. filium in Comm. ad fragm. Juris vet. in Collat. legg. Mosaic. & Rom. p. 240.

x NOTITIA LITERARIA

Statius Papinius eruditus poeta in *Silvis*, sublimis in *Thebaide*, blandus in *Achilleide*. Franciscum Malherbam Lyricorum Gallicorum principem, ad Statii clangorem & crepitacula insanisse, illaque prætulisse Virgilio, indigne fert Huetius p. 24 seq. de vita sua. Tempus obitus a Barthio quoque Tom. I. editionis ab eo curatae p. 366. & Dodwello ad a. C. 96. sive Domitiani postremum refertur. Sed omnino de Statii vita & rebus vid. Dodwellus in Annalibus Statianis Oxon. 1698. 8. editis. add. Barthium loc. cit. & Crenum Animadvers. P. XI.

SCRIPTA.

Exstant ejus *I. Silvarum*¹ libri quinque, quorum primus Stellæ, secundus Meliori, tertius Polioni, Marcello quartus, quintus denique Abascantio, singulis Epistolis ab auctore inscribitur, ex quibus Vavassor p. 211. 228. de ludicra dictione collegit, eum minus valuisse in soluta, quam ligata oratione: quod de Virgilio² quoque fertur. Porro in his li-

1 De silvis, quæ apud Græcos dicuntur σχεδιάσματα, vide G. Jo. Vossii iustitutio-nes poeticas lib. III, c. 22. & Gasp. Gevertium lect. Pa-pin. cap. 2. & Jac. Pontani φιλοκαλίαν IV, 19.

2 Laertius in Xenocrate IV, 5. ποιητὰὶ μὲν ἐπιβαλλόντες πεζογράφειν ἐπιτυγχάνουσι, πεζογράφος δὲ ἐπιτιθέμενος ποιητικὴν πτω-

ουσι. Sed tam Virgilius prosa, quam Ciceronis Juliique Cæfaris ac Brutii versus, iis se minus probavit, qui Maronis poemata, & Tullianæ orationis flumen ac vim, acutam Brutii Cæsarisque in scribendo elegantiam admirabantur. Unde Cassius Seve-rus de Sallustio ita judicabat, ut ejus orationes nihilo meliores esse diceret, quam aut

bris quædam versibus Phalæcis, vel Alcaicis, ut IV,
5. & Sapphicis IV, 7. reliqua hexametris scripta
sunt.

II. Thebaidos, sive de bello septem Ducum adver-

Ciceronis versus, aut Virgilii
prosa. Seneca 3. controv.
præf. *Virgilium illa felicitas
ingenii oratione soluta reliquit,*
*Ciceronem eloquentia sua in
carmenibus defluit.* Confer
dialogum de oratoribus c.
21. Juvenal. X, 121. seq.
Theodecten magis tragico
carmine, quam prosa pla-
cuissimæ, refert Hyginus apud
Gell. X, 109. Similiter de
Malherbio poeta Gallorum
celeberrimo cives ejus obser-
vant, que sa prose beaucoup
plus négligée que ses vers, l'a
fait comparer à l'hirondelle, qui
marche mal, encore qu'elle vole
très-bien. De Molierio clarissimi
nominis Comico Gallo
Menagius in Menagianis p.
45. *La prose de Moliere vaut
beaucoup mieux, que ses vers.*
Eobano Hefso contra Eras-
mus lib. 26. Epist. 45. gra-
tulatur contigisse, quod M.
Tullio fuit negatum, quod Phi-
lolphus arroganter sibi vindica-
vit, ut ita pangeret carmen,
quasi nunquam attigisset solu-
tam orationem, ita scriberet
prosam, quasi cum Musis nihil
unquam fuisset commerari. Idem
de Buch. I. anno pronunties, ac

de Hugone Grotio. His addit
Cornelium Gallum, qui sæpe
poetarum mendacia dulcia fin-
xit, nec minus ipse de se:
Orator toto clarus in orbe sui.
De Antonio Maria Visdomini,
Augustinus Oldoinus in
Athenæo Ligustico p. 545.
refert hos versus Dominici
Carmellæ:

*Qui prosa volat, Etrusco qui
carmine vadit,
Hinc demum Latio carmine
serpit humi.*

I Thebaide e Graecis
poetis scripsere Antagoras,
Antiphanes Colophonius,
Menelaus Ægeus, (forte An-
næus ex Anæa Cariæ civita-
te) Anonymus quidam, Pau-
sanias in Bœoticis & Svidæ
in καδυεια viuu laudatus, &
alii. Vide Colomes. ad Gy-
rald. p. 148. Apud Erasmus
in adagio *Bæotia auris* pro
Anaxagora Thebaidos librum
recitante, legendus Antago-
ras. Statii Thebaide laudat
Juvenalis VII, 83. ad quem
locum confer Casaubonum
in Domitianum Suetonii c.
4. Grævium p. 90. ad Hesiod.

sus Thebas, libri XII, compositi ad imitationem
Antimachi & Aeneidos Virgilianæ, de qua ipse:

Sed longe sequere, & vestigia semper adoro.

Hoc Statii opus respicit Stephanus Tornacensis
Epist. V, divinam ejus responsonem, ut *Thebais Aeneida*,
longe sequor, & vestigia semper adoro.

III. Achilleidos, de iis, quæ bellum Trojanum ¹
antecesserunt, libri II. et si in quibusdam MSS. unus
liber procedit, in aliis vero in quinque ² dispescitur,
inscite, judice Barthio LII, 13 Advers. Utrum-
que poema Achilleida & Thebaida Statius dicavit
Domitiano Imp. quem a poesos studio commendat
præter Statium Silius. Achilleida vero absolvere
fata prohibuerunt. Ac ne illa quidem, quæ perfe-
cit Statius, ad nos omnia pervenisse existimabat
Barthius T. I, p. 460. qui ad lib. IV Silv. 3. p.
366, itidem dubitat, an libros, quibus Domitianis
res gestas in agone Albano celebrasse se innuit, un-
quam ediderit & in manus hominum venire juss erit.

E Latinis ante Statium in hoc
argumento versatus est Ponti-
cus, de quo acutissimus
Brouckhusius ad Propertii l.
1. Eleg. 7. & lib. 2. Eleg. 25.

¹ Vid. Dan. Heinsum ad
Nonni Dionysiaca p. 183.

² Ut in Codice XIV se-
culi, qui cum glossis & li-
brorum argumentis exstitit
MS. apud Federicum Pa-
cium Lugd. Bat. atque ante-
fuit Joannis Ugolini.

I N D E X
E D I T I O N U M
P. P A P I N I I S T A T I I
A U C T I O R F A B R I C I O E R N E S T I N O E T
I N I V Æ T A T E S D I G E S T U S .

Æ T A S I 1472 — 1500

a duabus principibus, *Veneta* & *Parmensi*, orta. Tertia nūtrix, *Romana*, incrementa dedit ex interpretibus, vetere *Placido Luctatio*, * qui in Thebaid. Commen-

* Ab aliis *Lutatius* vel *Luctatius Placidus*, aliis *Placidus Laetianus* appellatur, sub quo nomine glossæ veteres Latinæ & in Ovidii Metamorph. argumenta exstant. Longe quidem diversus est ab elegantissimo scriptore *Laetantio Firmiano*, Arnobii discipulo, cuius eloquentiae & eruditioni pauca similia in istis ad Statium scholiis leguntur. Theodosii Imp. æqualem fuisse affirmat Jo. Rhodius diff. de acia p. 25. At non tantum meminit Sedulii, sed Boethii quoque, unde juniorem esse recte col-

ligit Vossius de poetis Latinis c. 46. Perseum præceptorem suum in VI. Thebaid. pag. 213 laudare videtur his verbis: *Sed de his rebus* (de Antipodibus ibi sermo) *prout in genio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Persei præceptoris seorsim libellum composui.* Vossii judicio commentaria ejus sunt centones ex Servio, Hygini Mythologicis & Astronomico, ejusdem Arateo, & aliis quibusdam, quod de eodem Luctatio ante Vossum etiam pronuntiaverat Jof. Scaliger p. 19. ad Euseb. Adde Vossum

tarium scriptit, novioribus Francisco Maturantio († 1518 vel 1512) in Achilleid. & Domitio Calderino († 1477) in Silvas. Ab his tribus edd. ceteræ fluere omnes ad exitum usque seculi XV.

1472 *Veneta I*, princeps I. fol. P. Papin. Stati Sylvæ. Hanc esse editionem omnium primam, vidit Märklandus in prefat. ad Silvas: qui cum ope Parmensis a. 1473, Heinsio etiam valde laudatæ, in his Silvis restituisset plura loca, quæ nulla alia ratione corrigere potuisset; ea omnia reperit deinde in hac Veneta, & plura quoque alia. Ex his autem duobus exemplis, Veneto a. 1472 & Romano a. 1475 ceteræ edd. veteres fluxisse videntur, sed ita, ut

p. 736. de Hist. Latinis. Merito tamen Nicolao Loensi doctus lectuque dignus exegetes audit, præter quidem glossata. Confer Barthii commentar. in Statuum T. 2. p. 871. & LII, 13 Adversar. Priore loco Vossium quoque reprehendit Barthius, quod scriperat Lutatium, a Lindenbrogio primum editum, & canticos vocaverat ex Servio & Hygino, quorum commentationes vix centesimam illius partem sibi possint vindicare. Lutatius in Thebaide jam Romæ 1475. fol. cum Statio lucem viderat, sed in Achilleidem primus edidit Lindenbrogius e MS. Codice Francisci Pithœi. In catalogo Pseudonymorum Viri Cl. Vincentii Placcii p. 216. pro Luctatii Commentario in Statuum typographus perperam in Tacitum excudit.

Porro Christianum scriptorem fuisse appareret ex iis, quæ in IV Thebaidos scribit pag. 144. *Dei vocabulum sciri a nullo hominum potest, sed quid veritas habeat, percipe. Hujusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit, continet cuncta, cuius arbitrio deserviunt, cuius nec estimari potest mundus, nec finibus claudi?* Sed cum magi vellent virtutis ejus ut putabant se se comprehendere singulas appellaciones, quas per naturarum potestates abusive modo designarunt, & quasi plurimorum nominum nobilitate Deum appellare conati sunt quasi ab effectu, cuiusque rei ductis vocabulis, sicut Orpheus fecit, & Moses Dei summi antistes, & Esajas, & his similes. Plura hujus Scholiaста loca illustravit emendavitque Thomas Munkerus notis ad Mythographos latinos.

passim aliquid ab his, qui iis præfent, mutaretur, etiam erroribus operarum.

1473 *Parmensis*, princeps altera. fol. P. Pap. Statii Sylvæ per Stephanum *Corallum*. In fine: *P. Papinii Statii liber quintus explicit: quanquam non defint, qui velint epistolam quæ scribitur Abascantio Priscillæ Marito, non esse principium quinti, sed interpositam in quarto; & silvas solum in libros quatuor esse divisas.* quod quidem constare videtur ex his verbis poœæ: Quare plura in Quarto Silvarum, quam in prioribus. Correctum p. d. (Opinor, per dominum) Franciscum Puteolanum: & vere, ultra impressionem Venetiis factam, in III millibus locis emendatum, SS. Catullum & Silvas: ut tu Lecto amboœbus exemplaribus experiri possis: itaque nullo modo intelligi possit: & cætera. Impressum Parmæ per me Stephanum *Corallum*. Anno Christi MCCCCCLXXIII. secundo Cal. Septembri.

1475 *Romanæ I*, princeps III, fol. P. Papinii Statii opera cum comment. *Placidi Laetanti* (in Thebaid.) *Franc. Maturantii* (in Achilleid.) & *Domitii Calderini* (in Silvas.) Fuit hæc perrara editio in Bibl. Huliana. Memorat eam P. A. *Orlandi Orig.* e progressi dell' Arte impressoria (Bol. 1722. 4.) pag. 72, & ex hoc Maittarius in Annal. Typogr. To. IV, p. 349 & 350. n. 6. — Nomen impressoris abest. cf. Lengnich. Beyträge part. II. pag. 121.

Romanæ II, fol. per Arnold. *Pannarç*. Statii Sylvæ; cum *Domitii Calderini Veronensis Secretarii Apostolici* commentario, additis notis in Sapphonem Ovidii & Propertii loca obscuriora. — Præfuit huic Domitius *Calderinus*, vir illo ævo fane doctissimus. Multa ille Statio feliciter restituit: in multis pueriliter erravit. hoc nomine maxime culpandus, quod si quid non intellexerit, statim mutavit; etiam absurde non-nunquam; sepe etiam, quod Marklandus suspicatur, nulla mentione facta. Utilis tamen editio, quod diversorum codicum scripturam repræsentet; cum jam pæne certum sit, Domitiū, quando istam evulgareret, non vidisse aut Parmensem, aut libros ex quibus *Parmensis expressa* fuit.



- *Veneta II*, fol. — *Sylvæ & Achilleis*, cum commentario Jo. *Britannici*. Memorat hanc edit. Gronovius in *Diatrībe in Statium*.
- 1481 *Vincenīæ*, fol. per Joannem *Renensem* & Dionysium *Bertochum*. *Statii Sylvæ*. — adjunctæ editioni *Cattulli*, *Tibulli* & *Propertii*, ibidem eod. an. imprefſæ. Posteriorem quidem memorat Ernestius inter edd. horum *Triumvirorum*, sed nulla facta *Statii* mentione. Vid. *Lengnich Beytræge*, part. II, p. 122.
- 1483 *Veneta III*, fol. *Statii opera cum commentariis Placidi Laetantii* in *Thebaid*. *Francisci Maturantii* in *Achilleid*. & *Domitii Calderini* in *Sylvas*. *Venetiis*, per *Octavianum Scotum Modœtiensem*, 1483. quartto Nonas Decembris. vid. *Maittarii Annal*. Typogr. To. I, p. 445.
- 1485 *Brixia*, fol. P. Papin. *Statii Sylvæ*, cum *Calderini*, *Achilleis* cum *Franc. Maturantii*, & *Thebais* cum *Lucretii* commentariis.
- 1490 *Veneta IV*, fol. per Barthol. de Zanis. Rep. ed. a.
1483.
- *Veneta V*, fol. P. P. *Statii Poemata*. Imprefſ. *Venetiis* per Mag. Jacobum de Paganinis. Est hæc in Bibl. Goetting.
- 1494 *Veneta VI*, fol. *Statii Sylvæ* cum *Domitii (Calderini)* commentariis. *Thebais* cum *Laetantii* commentariis. — *Achilleis* cum *Maturantii* commentariis. — Accedit pag. 198. *Domitii elucubratio* in quædam *Propertii* loca, quæ difficiliora videbantur ad *Franc. Arago. Fer. R. ne. F.* fol. 203. verso legitur : *Hoc per Bartholomeum de Zanis de Portesio Venetiis impressum opus feliciter explicit. M. CCCC. LXXXIV. Die XV Martii*. Hanc subscriptionem excipiunt *Papinii* vita per *Domitium*, & registrum hujus operis. Possidet eam illustriss. *Heideggerus*, Trib. Tur. & exstabat in Bibl. Ludewig. n. 12606.
- 1498 *Veneta VII*, fol. per Barthol. de Zanis. Rep. edit. an.
1494.

ÆTAS II ALDINA.

1502 — 1600.

ab *Aldo Manutio*, qui an. 1502. Statium dedit, etiam conjecturis correctiorem; majori dein diligentia 1519; quem secuti sunt Argentoratensis *Schureri*, Parisiensis *Colinai*, Basilienses *Henricpetri*, Gryphianæ. Plantiniana Bermartii vulgo laudatur, Barthio culpatur. Ea vero repetita etiam Lugduni & Venetiis.

- 1502 *Aldina* I, 8. P. Pap. Statii Sylvarum libri quinque. Thebaidos libri XII. Achilleidos II. In fine: *Venetis*, in ædibus Aldi mense Augusto 1502 — Marci Mursi Orthographia Statiana huic editioni subjecta est. Exstat in Bibl. Goetting.
- 1508 *Venet.* *Lucretii* scholia in Statium. ap. *Aldum*. vid. Jo. Masson in Hist. Crit. Reip. literar. To. I, p. 191. — *Veneta* fol. per Barth. de Zanis.
- 1517 *Argent.* ap. Lazarum Schurerum. 4. Achilleidos lib. II.
- 1519 *Aldina* II, 8. — Sylvarum libri V. Achilleidos libri II. Thebaidos libri XII. Orthographia & flexus dictionum græcarum omnium apud *Statium*, cum accentibus & generibus ex variis utriusque linguae authoribus. — In fine: *Venetis*, in ædibus Aldi, & Andreæ Soceri, mense Januario 1519. — Hanc editionem majori diligentia, quam edit. a. 1502. typis expressam esse, affirmatur in Franc. *Afulani* epistola huic editioni præmissa. Exstat in Bibl. illuſtriss. *Heideggeri* Trib. Turic.
- 1530 *Paris.* *Colinai* I, 8. Statii opera omnia, item Orthographia & flexus dictionum græcarum apud Statium. ap. Sim. Colinæum.
- 1531 *Basil.* I, 8. P. P. Statii opera. Ex Cat. Bibl. S. J. Mont. pag. 174.
- 1541 *Basil.* II, 8. ap. Henric. Petri.
- 1542 *Witieb.* 8. — Achilleidos libri duo.
- 1547 *Lugdun.* seu *Gryphiana* I, ap. Sebast. Gryphium.

Statius.

b

XVIII NOTITIA LITERARIA

- 1559 *Gryphiana* II, 12. ap. heredes Seb. Gryphii,
- 1595 *Plantiniana* I, *Bernartii*. Antv. 8. P. P. Statii opera, quæ exstant. Jo. *Bernartius* ad libros veteres recensuit, & scholiis illustravit. Antv. ex offic. Plantin. Vidua & Jo. Moretus. vid. *Cat. de la Bibl. du Roi, Belles Lettr.* T. I, p. 323.
- 1598 *Lugd.* 12. Rep. edit. *Bernartii* Antv. 1595.
- 1599 *Venetiis* eadem repetita. 8.
- *Plantiniana* II, Antv. 8. Commentarius Jo. *Bernartii* in *Sylvas* Statii (a scholiis & notis antea editis diversus.)

ÆTAS III LINDENBROGIANA

1600 — 1653.

a Frid. *Lindenbrogio*, qui Statium non modo recensuit, sed & Luctatii Commentt. in Theb. ac primum quidem in Achilleida edidit. Post eum Statio seu adfuerere seu profuere curæ Jani *Gruerti*, Jo. Jac. *Grafferi*, Jani Casp. *Gevarti*, & Emerici *Crucei*, Barthio parum probati. Novi interprescessere, Jo. *Barclaius* ad Thebaidem, Fed. *Morellus* ad *Sylvas*. Ætati tandem venturæ prolusit Jo. Frid. *Gronovii* in *Sylvas* diatribe.

1600 *Paris.* 4. P. P. Statii opera, quæ exstant. Placidi *Lactantii* (f. Luctatii) in Thebaida & Achilleida commentarius. Ex Bibl. Fr. *Pithæi*. Collatis MSS. veteribusque exemplaribus, recensuit, partim nunc primum edidit Frid. *Tiliobrogia* (*Lindenbrog*) adjectis variarum lectionum observationibus indiceque uberrimo. Parisiis ex officina Plantin. ap. Hadr. *Perier*. Lactantii commentarius in Achilleida in hac edit. primum vulgatus est. Codices ad recensionem textus adhibiti silvas non habebant. Ceterum hujus edit. exemplum cum novis emendatt. & observatt. Lindenbrogii MSS. tum ad Statium, tum ad ejus commentatorem, servatur Hamburgi in Bibl. Joannea.

— *Genevæ*. Repetitio prioris.

- Heidelbergæ, ex offic. Commeliniana, cum notis Jani Gruteri.
- 1601 *Mussiponti*. 8. Jo. Barclaji Commentarii in Statii Thebaidem, de quibus finistrum judicium Barthii To. I. ad Statium pag. 1273 ad Thebaid. IV, 799.
- *Paris*. 8. Fed. Morelli in Pap. Statii Sylvas obſſ.
- 1602 *Paris*. 4. Fed. Morelli & Domitii Calderini obſervationes ad Statii Silvas cum Lindenbrogiis annotatio-
num ad easdem corollario.
- 1605 *Genevæ*, 12. Rep. edit. *Bernartii*.
- 1607 *Antv.* 8. P. P. Statii opera, ex rec. & c. scholiis Jo. Bernartii. Ex Cat. Bibl. S. J. Brug. p. 172.
- 1609 *Argent.* 8. P. P. Statii opera, cura J. J. Grafferi.
- 1611 *Genev.* in corpore omnium veterum poetar. Latin.
4. Vol. II.
- 1612 *Genev.* 12. Rep. edit. *Bernartii*.
- 1613 *Antv.* 12. — Opera, quæ exſtant, omnia ad fidem antiquissimorum per Galliam, Angliam & Italiam co-
dicum, correcta. Ex Bibliotheca Jo. Jac. Grafferi.
Antv. ap. Casp. Bellerum. vid. Cat. Bibl. Bunav. T. I,
p. 356.
- 1616 *Lugd. Bat.* 8. ap. Jac. Marcum. P. P. Statii opera.
Janus Casperius *Gevartius* recensuit, & Papiniarum lectionum libros V illustravit. Vid. *Cat. de la Bibl.*
du R. Bell. Lettr. To. I, p. 322.
- 1618 *Paris*. 4. voll. II. ap. Tho. Blaise. — Opera cum ob-
ſervationibus ac cum commentariis tam veterum quam recentiorum interpretum. *Emericus Cruceus* re-
censuit, & novo commentario Statii Sylvas illuſtravit. Cum indicibus locupletissimis. Barthio T. I, p.
233 judice, *Cruceus Papinum prius diligentius legere*
& penitus intelligere debebat, quam in tantum scripto-
rem commentarium moliri, tam male propitiato ejus ge-
nio. Caspar *Gevartius* autem III, 9 elector. p. 113.
Miseret me profecto, quoties illius interpretis notationes
lego, qui meritis commentariorum suorum senticitis aureo-
las elegantissimi Poeta Silvas nuper obduxit. Plures
ibidem in *Crucei* scholiis, sive ut vocat scoriis, ad
Statium admisſos errores caſtigat, usque ad p. 153.

XX NOTITIA LITERARIA

- 1619 *Argentor.* 12. --- Ad fidem codicum MSS. emendata cum argumentis Jo. Jac. *Grafferi*.
 1624 *Amstel.* 12. e recensione Nic. *Heinsii*.
 1637 Jo. Frid. *Gronovii* in Papinii Statii *Sylvarum* libros diatribe. Hagæ. Com. 8
 1640 *Amstel.* 16. P. Pap. Statii Opp. poetica omnia.
 1651 *Cantabr.* 8. Papiniani Statii *Silvarum* libri V, & duo Achilleidos, cum notis marginalibus Thom. *Stephens*. Ex rarissimis judice catalogo Bibl. Schalbruch. P. II, pag. 91.

ÆTAS IV *GRONOVIO BARTHIANA*

1653 — 1664 — 1671 — 1728 —

Qui edita jam 1637 in Statii Silvas diatribe proluserat Jo. Frid. *Gronovius*, is jam totum Statium recensuit, notisque suis illustratum dedit. Textum ab eo constitutum fecutus est Casp. *Barthius* in ed. sua *Luctatii Commentariis* correctioribus instructa, quam ab ejus morte absolvit Christ. *Daumius* 1664. Tum ed. cum notis variorum in iisque & Barthii & Gronovii instructam pulchre adornavit Jo. *Veenhusen* 1671. Hanc insecura est 1685 editio in usum Delfini curata a Claudio *Beraldo*, cuius hodie raritas major est, quam præstantia. Præclarius autem de Statio meritus est Jer. *Marklandus*, Anglus, qui eum denuo recensuit ex vetustis exemplaribus, emendavit, notisque illustravit. Quam editionem cum Gronoviana collatam nos in primis fecuti sumus.

1653 *Amst.* 24. ap. Lud. Elzevir — Opera; ex recensione & cum notis Jo. Fred. *Gronovii*. Hanc recensionem impense laudat Reinesius pag. 151. Epp. ad Dau-mium: *Valde me delectarunt nota tam accuratae, & in pondere non magno satis ponderosæ, viri ad restituendum genuinum auctoris sensum, peculiari quopiam genio nati o Charitibusque educati*. Confer Hug. Grotii, Epist. 673, ubi suas ad loca quædam Statii conjecturas ad Gronovium transmittit. Ejusdem *Gronovii* in *Statii Sylvarum* libros V diatribæ seorsim prodie-

rant Hagæ Comitis 1637. 8, quarum lectionem omnibus rei Criticæ Studiosis vehementer commendat Ernestius in Bibl. L. — Hinc Gronovio lites intercesserunt cum Emerico Cruceo, qui illi Antidiatribam Parif. 1639. 12, & deinde Muscarium ad Statii Silvas Parif. 1640. 8. opposuit. At Gronovius eum probe depexum dedit, edito Elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris. Parif. 1640. 8.

— Daventr. 8. P. Papinii Statii opera. Ex ed. & cum notis Jo. Fred. Gronovii. vid. Cat. libr. in Bibl. Goetting. in duplo exstantium, p. 299.

1658 Parif. 8. voll. III. — Opera cum notis Franc. Guieti Audini, Jo. Peyrarede Aquitani, & aliorum: opera Mich. de M. rrolles, cumque ejusdem interpretatione Gallica. Lutet. Parif. Seb. Haré &c. Vid. Cat. de la Bibl. du R. Bell. Lettr. To. I, p. 322.

1664 Cygneæ, 4. voll. IV. ex offic. Gœpneri ap. Jo. Scheibum — Opera, quæ exstant: Caspar Barthius recensuit, & animadversionibus locupletissimis illustravit: inspersis ad Thebaida & Achilleida commentariis ac glossis veterum, hactenus bonam partem ineditis, & scholiaste Lutatio multis locis corruptis castigato ad auctoratatem & opem manuscriptorum exemplarum, præcipue unius alteriusque admirandæ bonitatis. Cum quatuor indicibus. — In hac editione, quam Christ. Daumius, mortuo Barthio, curavit, textus ex recensione Gronovii a. 1653 descriptus est. Margines Var. Lect. habent e MSS. &c. Sed omnino præfatio Daumii legenda est de hoc opere Barthiano.

1671 Lugd. Bat. 8. ex offic. Hakiana. Publ. Papinii Statii Sylvarum lib. V. Thebaidos lib. XII. Achilleidos lib. II. notis selectissimis in sylvarum libros Domiti, Morelli, Bernartii, Gevartii, Crucii, Barthii, Jo. Frid. Gronovii Diatribe. In Thebaidos præterea Placidi Lactantii, Bernartii, &c. Quibus in Achilleidos accedunt Maturantii, Britannici. Accuratisime illustrati a Johanne Veenhusen.

Amst. 16. Jansson. Elzevir.

1685 Parif. 4. voll. II, ap. L. Roulland. P. P. Statii opera; interpretatione & notis illustrata a Cl. Beraldo, ad

XXII NOT. LIT. DE P. PAP. STATIO.

- usum Ser. Delph. Vid. *Cat. de la Bibl. du Roi. Bell. Lettr.* To. I, pag. 323. Hæc omnium in usum Delphini editionum obvia rarissime.
- 1713 *Lond.* fol. in operibus & fragmentis veterum poetarum Latinorum. To. II, pag. 1015 — 1107.
- 1728 *Lond.* 4. ex typogr. G. Bowyer. P. Pap. Statii Silvarum libri quinque. Ex vetustis exemplaribus recensuit & notas atque emendationes adjecit Jer. *Marklandus*.
- 1731 & 1732 *Mediol.* 4. P. Pap. Statii opera, cum versione Italica, in Corp. omnium Poetarum Latin. To. I — IV.
- 1782 *Manhemiti*, 8. voll. II. P. Papinii Statii opera ex recensione Jo. Friderici *Gronovii*, cura & sumptibus Societatis literatæ.

Ex Jof. Scaligeri Epistola 374. appareat, eum quoque, & Jo. Wowerium junctis operis novam Statii, veterumque in eum Scholiorum, editionem molitos. At enim eorum conatus, vulgato Parisiis Lindenbrogii, æmuli Woweriani, Statio sufflaminati videntur. Lipsius quoque in Epistola ad Janum Lernutium testatus est, sibi nota quædam fuisse ad sublimem hunc poetam. Multa etiam Statii loca vel emendantur vel illustrantur in Observ. Miscell. Vol. I, pag. 53 — 269. p. 317 — 363. II, p. 62 — 84. 217 — 239. 405. — 407. Auctor Britannus se usum dicit duobus MSS.

Lexicon & paraphrasin Statianam adornavit Henricus Schævius. Specimen Lexici illius pridem produxit, qui Schævio præceptore usus fuit, Morhofius lib. 3. polyhistoris cap. 10. sed integrum ab auctore absolutum extare Stetini apud filios, testatus est a. 696. Michael Filitzius in specimine Analectorum ad Olaoum Borrichium de Poetis. Hinc a. 1702. in Novis literariis, p. 73. ejus vulgandi spes facta est a Fred. Redtelio scholæ Stetinensis Correctore. Inveniet etiam amicus quidam nosler, inquit Rodolphus Martinus Meelführerus præfat. Accensionum ad Bibliothecam promissam Almelovenii a. 1699. quas e Manuscripto quodam, quo olim Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis usus fuit, aliorum in Statium observationibus addet.

VERSIONES.

HISPANICA.

Hispanice Statium vertit Juan. de Arjona; cf. Diego Saavedra in *Republ. Literaria*, in ejusdem Opp. T. I, p. 10. en Brussellas. & Lud. Jos. Velazquez in *Hist. Poet. Hispanicae*, Germ. versa Göttingæ 1769. p. 473.

GALLICA.

- 1658 par *Mich. de Marolles*. 3 voll. Parif. 8. adjunctis notis *Franc. Guieti*, *Jo. Peyraredi*, aliorumque. Vid. ed. ad h. a.

ITALIAE.

- 1570 La Thebaide, tradotta in ottava rima da *Erasm. Valvasone*. Venet. 4.
- 1630 La Thebaide, tradotta in verso sciolto da *Hyac. Nini*. Senæ. 8.
- 1729 La Thebaide, tradotta in verso sciolto da *Selvaggio Porpora*. Romæ. 4. Sub dicto hoc nomine latet *Cornelius Cardinalis Bentivoglio*, Regis Hisp. apud Pontificem Orator, qui hujus versionis auctor est. cf. *Mém. de Trévoux* 1729, p. 2066. & *Acta Erud.* 1731, p. 122 sq. ubi celebratur non modo interpretis implevisse officia, sed ipsum etiam interdum Statium ingenii felicitate antegressus omnino videri.
- 1731 Eadem repetita in Corpore omnium veterum Poetarum Latinorum, Mediolan. 4. T. I & II.
- 1732 Le cinque Libri delle Selve, tradotti in verso sciolto da un Pastor Arcade. (cioè dal Sig. Ab. France.)

sco Marja *Biacca Parmeggiano*, detto in Arcadia
Parmindo Ibicheuse.) Extant in Corpore omnium
vet. Poet. Lat. Mediolani. 4. T. III.

— I cinque Libri dell' Achilleide, tradotti in verso
sciolto da un Academico Quirino. (cioè dal Sig.
Dottor Orazio *Bianchi Romano.*) In corpore vet.
Poet. Lat. Mediolani. 4. T. IV.

A N G L I C A.

- 1766 The Thebaid of Statius, translated into English
Verse, with Notes and Observations and a Dissertation
upon the whole by Way of Preface. 2 voll.
8. Lond. Fletcher.
-

P. PAPINII STATII
S I L V A R U M
L I B R I V.

МУРАВЬІВ
ІМ'ЯНІ

P. PAPINII STATII
 SILVARUM
 LIBER I.

Ad Stellam.

DU multumque dubitavi, Stella juvenis optime, & in studiis nostris eminentissime qua parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore & quadam festinandi voluptate fluxerunt, cum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem. Quid enim? *** quoque auctoritate editionis onerari, cum adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo? Sed & Culicem legimus, & Batrachomyomachiam etiam agnoscimus: nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit. Quid? quod haec serum erat continere, cum illa vos certe, quorum honori data sunt, haberetis. Sed apud ceteros necesse est multum illis pereat ex venia, cum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis, nul-

Statius.

A 2

lum enim ex illis biduo longius tractum; quædam & singulis diebus effusa: quamvis metuo, ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem: sumendum enim erat a Jove principium. Ceterum hos versus, quos in Equum Maximum feci, indulgentissimo Imperatori postero die, quam dedicatum erat opus, tradere jussus sum. Potuisti illud (dicit aliquis) & ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo scriptum. Audacter mehercule; sed tamen CCLXXVII hexametros habet. At fortasse tu pro collega mentieris. Manlius certe Vopiscus, vir eruditissimus, & qui præcipue vindicat a situ literas jam pæne fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari, & villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus: de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. Nam Claudi Hetrusci testimonium est, qui Balneolum a me suum intra moram coenæ recepit. In fine sunt Kalendæ Decembres; quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam habent, & voluptatibus publicis inexpertam.

I. *Equus Max. Domitiani.*

Quæ superimposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum? Cælone peractum

Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
 Effigies, lasum Steropem Brontemque reliquit?
 An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
 Esinxere manus, qualem modo frena tenentem
 Rhenus, & attoniti vidi domus ardua Daci?
 Nunc age, fama prior notum per secula nomen
 Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
 Dindymon, & cæsis decrevit frondibus Ida:
 Hunc neque divisis cepissent Pergama muris,
 Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
 Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
 Adde, quod ille nocens, sœuosque amplexus Achivos;
 Hunc mitis commendat eques: juvat ora tueri
 Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.
 Nec veris majora putas; par forma decorque,
 Par honor: exhaustis Martem non altius armis
 Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
 Pondere; nec tardo raptus propè flumina cursu
 Fumat, & ingenti propellit Strymona flatu.
 Par operi sedes: hinc obvia limina pandit,
 Qui fessiis bellis, adscitæ munere prolis,
 Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.
 Discitur e vultu quantum tu mitior armis;
 Qui nec in externos facilis sœvire furores
 Das Cattis Dacisque fidem. te signa ferente
 Et minor in leges iret gener, & Cato castris.
 At laterum passus hinc Julia testa tuentur,
 Illinc belligeri sublimis regia Pauli.
 Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.
 Ipse autem puro celsum caput aere septus

Templa superfulges, & prospectare videris,
'An nova contemis surgant pallatia flammis
Pulchrius: an tacita vigilet face Troicus ignis, 33
Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: lœvam Tritonia virgo
Non gravat, & sectæ prætendit colla Medusæ;
Ceu stimulis accendat equum. nec dulcior usquam
Lecta Deæ sedes; nec si, pater, ipse teneres. 40
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,
Et quis se totis Temese dedit hausta metallis.
It tergo demissa chlamys: latus ense quieto
Securum; magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, & fidera terret Orion. 45
At sonipes, habitus animosque imitatus equestres,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur:
Cui rigidis stant colla jubis, vivusque per armos
Impetus; & tantis calcaribus ilia late
Suffictura patent. vacuæ pro cespire terræ
Ærea captivi crinem terit ungula Rheni. 50
Hunc & Adraſtaeus visum extimisset Arion;
Et pavet aspiciens Ledæus ab æde propinquæ
Cyllarus: hic domiā nunquam mutabit habenas
Perperuus frenis; atque uni serviet astro. 55
Vix sola sufficiunt, infessaque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio; teneat quamvis æterna crepido,
Quæ superingesti portaret culmina montis,
Cœliferique attrita genu durasset Atlantis. 60
Nec longæ traxere moræ: juvat ipsa labores
Forma Dei præsens; operique intenta juventus.

Miratur plus posse manus. strepit ardua pulsu
Machina continuo : septem per culmina montes
It fragor , & magnæ vincit vaga murmura Romæ: 65
Ipse loci custos , cuius sacrata vorago
Famosique lacus nomen memorabile servant ,
Innumeros æris sonitus , & verbere crebro
Ut sensit mugire forum , movet horrida sancto
Ora situ , meritaque caput venerabile queru. 70
Ac primum ingentes habitus , lucemque coruscum
Expavit majoris equi ; terque ardua merxit
Colla lacu trepidus : lætus mox præside viso ,
Salve , magnorum proles genitorque Deorum ,
Auditum longe numen mihi ! nunc mea felix , 75
Nunc veneranda palus , cum te prope nosse , tuumque
Immortale jubar vicina sede tueri
Concessum . semel auctor ego , inventorque salutis
Romuleæ ; tu bella Jovis , tu proelia Rheni ,
Tu civile nefas , tu tardum in foedera montem , 80
Longo Marte domas . quod si te nostra tulissent
Secula ; tentasse , me non audente , profundos
Ire lacus : sed Roma tuas tenuisset habenas.
Cedat equus , Latiae qui contra templo Diones ,
Cæsarei stat sede fori ; [quem tradere es ausus . 85
Pellæo , Lisyppe , duci , mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit] vix lumine fesso
Explores , quam longus in hunc despectus ab illo .
Quis rudis usque adeo , qui non , ut viderit ambos ,
Tantum dicat equos , quantum distare regentes ? 90
Non hoc imbriferas hiemes opus , aut Jovis ignem
Tergeminum , Æolii non agmina carceris horret ,

Annorumve moras : stabit dum terra , polusque ,
 Dum Romana dies . huc & sub nocte silenti ,
 Cum Superis terrena placent , tua turba relicto 95
 Labetur cœlo , miscebitque oscula juxta :
 Ibit in amplexus natus , fraterque , paterque ,
 Et soror : una locum cervix dabit omnibus astris .
 Ut eret perpetuum populi magnique senatus
 Munere : Apelleæ cuperent te scribere ceræ , 100
 Optassetque novo similem te ponere templo
 Atticus Elæi senior Jovis ; & tua mitis
 Ora Taras , tua fiderea imitantia flamas
 Lumina , contemto mallet Rhodos aspera Phœbo .
 Certus ames terras , & quæ tibi templa dicamus
 Ipse colas ; nec te cœli juvet aula : tuosque 105
 Lætus huic dono videas dare tura nepotes .

II. *Epithalamion Stellæ & Violantillæ.*

UNDE sacro Latii sonuerunt carmine montes ?
 Cui , Pæan , nova plectra moves , humeroque comanti
 Facundum suspendis ebur ? procul ecce canoro
 Demigrant Helicone Deæ , quatiuntque novena
 Lampade solennem thalamis coeuntibus ignem ,
 Et de Pieris vocalem fontibus undam .
 Quas inter vultu petulans Elegia propinquat ,
 Celsior assueto ; Divasque hortatur , & ambit
 Alternum factura pedem ; decimamque videri
 Se cupit , & medias fallit permixta sorores . 110

Ipsa manu nuptiam genitrix Æneia dicit
 Lumina demissam , & dulci probitate rubentem :
 Ipsa toros , & sacra parat ; cinctuque Latino
 Diffimulata Deam , crinem , vultumque , genasque ,
 Temperat , atque nova gestit minor ire marita . 15
 Nosco diem causasque sacri : te concinit iste
 (Pande fores) te , Stella , chorus : tibi Phœbus & Evan ,
 Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra
 Serta ferunt : nec blandus Amor , nec Gratia cessat
 Amplexum niveos optatae conjugis artus 20
 Floribus innumeris & oleni spargere nimbo .
 Tu modo fronte rosas , violis modo lilia mixta
 Excipis , & dominæ niveis a vultibus obstas .
 Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
 Vellere , quo Stellæ Violantillæque professus 25
 Clamaretur Hymen . cedant curæque , metusque ;
 Cessent mordaces obliqui carminis astus ;
 Fama tace : subiit leges , & freна momordit
 Ille solutus amor : consumta est fabula vulgi ,
 Et narrata diu viderunt oscula cives . 30
 Tu tamen attonitus (quamvis data copia tantæ
 Sortis) adhuc optas , permissaque numinè dextro
 Vota paves . Pone o dulcis suspiria vates ,
 Pone , tua est : licet expositum per limen aperto
 Ire , redire , gradu : jam nusquam janitor , aut lex , 35
 Aut pudor : amplexu tandem satiare petitæ
 Conjugis , & duras pariter reminiscere noctes .
 Digna quidem merces , & si tibi Juno labores
 Herculeos , Stygiis & si concurrere monstris
 Fata darent , si Cyaneos raperere per æstus . 40

Hanc propter tanti Pisaea lege trementem
Currere, & Θnomai fremitus audire sequentis.
Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisset, hæc dona forent: nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Tithonia biga. 43

Sed quæ causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum dum fervent agmine postes
Atriaque, & multa pulsantur limina virga,
Hic, Erato jucunda, doce: vacat apta movere
Colloquia, & docti norunt audire Penates. 50

Forte serenati qua stat plaga laetitia cœli,
Alma Venus thalamo, pulsa modo nocte, jacebat,
Amplexu duro Getici resoluta mariti.

Fulcra, torosque Deæ, tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt, quas ferre faces, quæ pectora figi 55
Imperet; an terris sœvire, an malit ia undis,
An miscere Deos, an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum; nec cordi fixa voluntas:
Fusa jacet stratis, ubi quondam conscia culpæ
Lemnia repserunt deprenso vincula furto. 60

Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta,
Agmine de medio, tenera sic dulce profatus
Voce: (pharetrati pressere silentia fratres:)
Scis, ut, mater, ait, nulla mihi dextera segnis 65
Militia: quemcunque hominum Divumque dedisti,
Uritur at tandem lacrimis, & supplice dextra,
Et votis, precibusque viri concede moveri,
O genitrix; duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba sumus, clarus de gente Latina. 70

- Est juvenis, quem patritiis majoribus ortum
 Nobilitas gavisa tulit; præsagaque formæ
 Protinus e nostro posuit cognomina cœlo.
 Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra
 Improbus, & densa trepidantem cuspide fixi. 75
 Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
 Matribus, edomui vietum, dominæque potentis
 Ferre jugum, & longos jussi sperare per annos.
 Ast illam summa leviter (sic namque jubebas)
 Lampade, parcentes, & inertí strinximus arcu. 80
 Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes
 Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
 Urgentem ferat: haud ulli vehementior unquam
 Incubui, genitrix, iterataque vulnera fixi.
 Vidi ego & immitti cupidum decurrere campo 85
 Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima:
 Vidi & Abydeni juvenis certantia remis
 Brachia, laudavique manus, & sæpe natanti
 Præluxi: minor ille calor, quo sæva tepebant
 Æquora. tu veteres, juvenis, transgressus amores: 90
 Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus,
 Firmavique animos, blandisque madentia plumis
 Lumina detersi. quoties mihi questus Apollo,
 Sic vatem inoerere suum! jam, mater, amatos
 Indulge thalamos. noster comes ille piusque 95
 Signifer armiferos poterat memorare labores,
 Claraque facta virûm, & torrentes sanguine cœpos:
 Sic tibi pleæstra dedit, mitisque incedere vates
 Maluit, & nostra laurum subtexere myrto.
 Hic juvenum lapsus, suaque, haud extrema, revolvit 100

Vulnera. pro quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic nostræ deslevit fata Columbæ.

Dixerat; & tenera matris cervice pependit
Blandus, & admotis tepefecit pectora pennis.

Illa refert, vultu non aspernata rogari:

Grande quidem, rarumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum juvenis capit: hanc ego, formæ

Egregium mirata decus, cui gloria patrum

Et generis certabat honos, tellure cadentem

Excepi, fovique finu; nec colla genasque

Comere, nec pingui erinem deducere amomo

Cessavit mea, nate, manus. mihi dulcis imago

Profiluit. celsæ procul aspice frontis honores,

Suggestumque comæ: Latias, metire, quid ultra

Emineat matres; quantum Latonia nymphas

Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exsto.

Hæc & cœruleis mecum consurgere digna

Fluctibus, & nostra potuit confidere conœha:

Et si flammiferas potuisset scandere sedes,

Hasque intrare domos, ipsi errareris, Amores.

Huic quamvis censu dederim largita beatos,

Vincit opes animo. queritur jam Seras avaros

Augustum spoliaſſe nemus, Clymeneaque deesse

Germina, nec virides satis illacrimare sorores:

Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo,

Raraque longævis nivibus crystalla gelari.

Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo,

(Nec satis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum

Proteaque, atque omnem Nereida quærere jussi.

Hanc si Thessalicos vidisses, Phœbe, per agros,

103

110

115

120

125

130

Erraret Daphne secura: in litore Naxi
 Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
 Gnosida desertam profugus liquisset & Evan.
 Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
 Falsus huic pennis & cornua sumeret æthræ 135
 Rector, in hanc vero cecidisset Juppiter auro.
 Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas
 Nate, cupis: thalami quamvis juga ferre secundi
 Sæpe neget mœrens. ipsam jam cedere sensi,
 Inque vicem tepuisse viro. Sic fata, levavit 140
 Sidereos artus; thalamique egressa superbum
 Limen, Amyclæos ad frena citavit olores.
 Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
 Gemmato temone sedet. Jam Tybridis arcæ
 Iliacæ: pandit nitidos Venus alma penates, 145
 Claraque gandentes planserunt limina cygni.
 Digna Deæ sedes, nitidis nec sordet ab astris.
 Hic Libycus, Phrygiusque filex, hic dura Laconum
 Saxa virent: hic flexus onyx, & concolor alto
 Vena mari, rupesque nitent, quis purpura sæpe 150
 Æbalis, & Tyrii moderator livet aheni.
 Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
 Robora Dalmatico lucent satiata metallo:
 Excludunt radios silvis decussa veruſtis
 Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes. 155
 Nec servat Naturæ vices: hic Sirius alget,
 Bruma teperet; versumque domus fibi temperat annum.
 Exultat visu, teftisque potentis alumnæ
 Non fecus alma Venus, quam si Paphon æquore ab alto,
 Idaliasve domos, Erycinave templa subiret. 160

Tunc ipsam solo reclinem affata cubili :
 Quonam hic usque sopor , vacuique modestia lecti ,
 O mihi Laurentes inter dilecta puellas ?
 Quis morum , fideique modus ? nunquamne virili
 Submittere jugo ? veniet jam tristior ætas : 165
 Exerce formam , & fugientibus utere donis .
 Non ideo tibi tale decus , vultusque superbos ,
 Mequé dedi , viduos ut transmittare per annos
 Ceu non cara mihi . satis , o , nimiumque , priores
 Despexisse procos , at enim hic tibi sanguine toto 170
 Deditis , unam omnes inter miratur amatque ,
 Nec formæ , nec stirpis egens : nam docta per urbem
 Carmina , qui juvenes , quæ non didicere puellæ ?
 Hunc & bissexos (sic indulgentia pergit
 Praesidis Ausonii) cernes attollere fasces 175
 Ante diem : certe jam nunc Cybeleia novit
 Limina , & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ .
 Jamque parens Latius (cuius prænoscere mentem
 Fas mihi) purpureos habitus , juvenique curule
 Indulgebit ebur : Dacas (quæ gloria major) 180
 Exuvias , laurosque dabit celebrare recentes .
 Ergo age , junge toros , atque otia deme juventæ .
 Quas ego non mentes , quæ non face corda jugavi ?
 Alitum pecudumque mihi , durique ferarum
 Non renuere greges : ipsum in connubia terræ 185
 Æthera , cum pluviis rarescunt nubila , solvo :
 Sic rerum series , mundique revertitur ætas .
 Unde novum Trojæ decus , ardentumque Deorum
 Raptorem , Phrygio si non ego juncta marito ?
 Lydius unde meos iterasset Tybris Iulos ? 190

Quis septemgeminæ posuisset moenia Romæ
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?
His mulcet diuis, tacitumque inspirat amorem
Connubii. redeunt animo jam vota precesque, 195
Et lacrimæ, vigilesque viri prope limina questus,
Asteris &, vati totam cantata per urbem;
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
Quantum non clamatus Hylas. jamque aspera cœpit
Fleñere corda libens, & jam sibi dura videri. 200
Maſte toris, Latios inter placidissime vates,
Qui durum permensus iter cœptosque labores,
Prendisti portus. tumidæ ſic transfuga Pisæ
Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demerſo trahit intemerata canali; 205
Donec Sicanios tandem prolaſus anhelo
Ore bibat fontes: miratur dulcia Naïs
Oſcula, nec credit pelago veniffe maritum.
Quis tibi tunc alaci, coeleſtum munere, clare
Stella, dies? quanto falierunt peſtora voto, 210
Dulcia cum dominæ dexter connubia vultus
Annuit? ire polo, nitidosque errare per axes
Vifus. Amyclæis minus exſultavit arenis
Paſtor, ad Idæas Helena veniente carinas:
Theſſala nec talem viderunt Pelea Tempe, 215
Cum Thetin Æmoniis Chiron accedere terris
Erecto proſpexit equo. quam longa morantur
Sidera! quam ſegnis votis Aurora maritis!
At procul ut Stellæ thalamos ſenſere parari
Latous vatum pater, & Semeleius Evan;

Hic movet Ortigia, movet hic rapida agmina Nysa;
 Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ,
 Et, Parnasse, sonas; illi Pangea resultant,
 Istmaraque, & quandam genialis litora Naxi.

Tunc caras intere fores, comitique canoro

Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
 Hic thyrfos, hic plectra, ferunt: hic enthea lauro
 Tempora, Minoa crinem premit ille corona.

Vixdum emissâ dies, & jam socialia præsto

Omina; jam festa fervet domus utraque pompa:
 Fronde virent postes, effulgent compita flammis,
 Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.

Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces:

Omnis plebeio teritur prætexta tumultu:

Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat.

Felices utrosque vocant: sed in agmine plures

Invidere viro. Jamdudum poste reclinis

Quærerit Hymen thalamis intactum dicere carmen,

Quo vatem mulcere queat: dat Juno verenda

Vincula, & insigni geminat Concordia tæda.

Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus,

Quantum nosse licet. Sic vieta sopore doloso

Martia fluminea posuit latus Ilia ripa:

Non talis niveos strinxit Lavinia vultus,

Cum Turno spectante rubet: non Claudia talis

Respexit populos mota jam virgo carina.

Nunc opus, Aonidum comites, tripodumque ministri,

Diversis certare modis. eat enthea vittis,

Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti

Quisque lyra. sed præcipue qui nobile gressu

225

230

235

240

245

250

Extremo fraudatis epos, date carmina festis
 Digna toris. hunc ipse, Coo plaudente, Philetas;
 Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro;
 Ambissent laudare diem; nec tristis in ipsis
 Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus. 255
 Me certe non unus amor, simplexque canendi
 Causa trahit: tecum similes junctæque Camoenæ
 Stella mihi, multumque pares bacchamur ad aras;
 Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.

At te nascentem gremio mea prima recepit 260
 Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro

Reptasti. nitidum consurgat ad æthera tellus

Euboës, & pulchra tumeat Sebetos alumna:

Nec tibi sulfureis Lucrinæ Naides antris,

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

Eia age, præclaros Latio properate nepotes;

Qui leges, qui castra legant, qui carmina ludant:

Acceleret parti decimum bona Cynthia mensem.

Sed parcat Lucina precor. tuque ipse parenti

Parce, puer; ne mollem uterum, ne stantia lædas

Pectora. cumque tuos tacito Natura recessu

Formarit vultus, multum de patre decoris,

Plus de matre feras. At tu, pulcherrima forma

Italidum, tandem merito possessa marito,

Vincla diu quæsita fove. sic damna decoris

Nulla tibi; longæ virides sic flore juventæ

Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat.

255

260

265

270

275

III. *Villa Tiburtina Manlii Vopisci.*

CERNERE facundi Tibur glaciale Vopisci,
 Si quis, & inserto geminos Aniene penates,
 Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ,
 Certantesque sibi dominum defendere villas;
 Illum nec calido latravit Sirius astro,
 Nec gravis aspexit Nemees frondentis alumnus:
 Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem
 Frigora, Pisæoque domus non æstuat anno.
 Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas;
 Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis,
 Permulfitque comis, blandumque reliquit honorem
 Sedibus, & volucres vetuit discendere natos.
 O longum memoranda dies! quæ mente reporto
 Gaudia! quam lassos per tot miracula visus!
 Ingenium quam mite solo! quæ forma beatis
 Arte manus concessa locis! non largius usquam
 Indulxit Natura sibi. nemora alta citatis
 Incubuere vadis; fallax responsat imago
 Frondibus, & longas eadem fugit unda per umbras.
 Ipse Anien (miranda fides) infraque, superque
 Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
 Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
 Pieriosque dies, & habentes carmina somnos.
 Litus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
 Dividit; alternas servant prætoria ripas
 Non externa sibi, fluyiumve obstatre queruntur.

Sesliacos nunc fama finus , pelagusque natatum
 Jaetet , & audaci junctos delphinas ephebo :
 Hic æterna quies , nullis hic jura procellis ,
 Nusquam servor aquis. datur hic transmittere visus , 30
 Et voces , & pæne manus. sic Chalcida fluens
 Expellunt fluvii : sic dissociata profundo
 Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.
 Quid primum , mediumve canam ; quo fine quiescam ?
 Auratasne trabes , an Mauros undique postes , 35
 An picturata lucentia marmora vena
 Mirer , an emissas per cuncta cubilia nymphas ?
 Huc oculis , huc mente trahor. venerabile dicam
 Lucorum senium ? te , quæ vada fluminis infra
 Cernis ? an ad silvas quæ respicis , aula , jacentes ? 40
 Qua tibi tota quies , offensaque turbine nullo
 Nox filet , aut teneros invitant murmura somnos.
 An quæ graminea suscepta crepidine fumant
 Balnea , & impositum ripis algentibus ignem ?
 Quique vaporiferis junctus fornacibus annis
 Ridet anhelantes vicino flumine nymphas ? 45
 Vidi artes , veterumque manus , variisque metallæ
 Viva modis. labor est auri memorare figuræ ,
 Aut ebur , aut dignas digitis contingere gemmas.
 Quidquid & argento primum vel in ære Myronis
 Lusit , & enormes manus est experta Colosso . 50
 Dum vigor aspectu , visusque per omnia duco ,
 Calcabam necopinus opes : nam splendor ab alto
 Desfluus , & nitidum referentes aera testæ
 Monstravere solum ; varias ubi picta per artes
 Gaudet humus superare novis asarota figuris. 55

Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer,
 Aut quid partiis distantia testa trichoris?
 Quid te, quæ mediis servata penatibus, arbor,
 Testa per & postes liquidas emergis in auras? 60
 Quo non sub domino saevas passura bipennes?
 Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
 Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.
 Quid referam alternas gemino super aggere nymphas;
 Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes? 65
 Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem,
 Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo?
 Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
 Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus.
 Illis ipse antris Anienus fonte relicto, 70
 Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,
 Huc illuc fragili prosternit pectora musco:
 Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
 Plandit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra,
 Illic sulfureos cupid Albula mergere crines. 75
 Hæc domus, Ægeriæ Nemoralem abjungere Phœben,
 Et Dryadum viduare choris algentia possit
 Taygeta, & silvis arcessere Pana Lycæis.
 Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes;
 Et Prænestinæ poterant migrare sorores. 80
 Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque;
 Qui nunquam vacui prodistis in æthera, rami?
 Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
 Jugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
 Antiphatae: cedant vitreas juga perfida Circes 85
 Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi

Anxuris, & sedes, Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant, quæ te, jam solibus arctis,
Antia nimboſa revocabunt litora bruma.

Scilicet hic illi meditantur pondera mores:
Hic premitur foecunda quies, virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.

Hæc per & Ægeas hiemes, Pliadumque nivosum
Sidus, & Oleniis dignum petiſſe sub astris.

Si Maleæ credenda ratis, Siculoſque per æstuſ
Sit via, cur oculis ſordet vicina voluptas?

Hic tua Tiburtes Faunos chelys, & juvat ipsum
Alciden, dictumque lyra majore Catillum:

Seu tibi Pindaricis animus contendere pleſtris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, five

Liventem Satiram nigra rubigine turbes:
Seu tibi non alta ſplendefcat Epiftola cura:

Digne Midæ, Crœſisque bonis, & Perfide gaza,
Maſte bonis animi! cuius stagnantia rura

Debuit & flavis Hermus tranſcurrere ripis,
Et limo ſplendente Tagus. ſic docta frequentes

Otia; ſic omni detersus pectora nube,
Finem Nestoreæ precor egrediare ſenectæ.

92

93

100

103

110

IV. *Soteria Rutilii Gallici.*

ESTIS, io Superi, nec inexorabile Clotho
 Volvit opus: videt alma pios Astræa, Jovique
 Conciliata redit; dubitataque fidera cernit
 Gallicus. Es cœlo, Dis es, Germanice, cordi,
 Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
 Imperium Fortuna tuum. stat proxima cervix
 Ponderis immensi, damnosaque fila senectæ
 Exuit, atque alios melior revirescit in annos.
 Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes,
 Inque sinum quæ sâpe tuum fora turbida questum
 Confugiunt, leges, urbesque ubicunque togatæ,
 Quæ tua longinquis implorant jura querelis,
 Certent lætitia; nosque ex ordine collis
 Confremat, & fileant pejoris murmurâ famæ:
 Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit,
 Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.
 Nec tantum induerint fatis nova secula crimen,
 Aut instaurati peccaverit ara Terenti.

Ast ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine illo
 Plestra) nec Aonias decima cum Pallade Divas,
 Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum;
 Ipse veni, viresque novas animumque ministra,
 Qui caneris: dextro nec enim sine numine tantus
 Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti
 Judicium mentemque viris. licet enthea vatis
 Excludat Pimplea sitim, nec conscientia detur

Pirene, largos potior mihi gurges in haustus,
 Qui rapitur de fonte tuo: seu plana solutis
 Qua struis orsa modis, seu qua tibi dulcis in artem
 Frangitur, & nostras curat facundia leges.

30

Quare age, si Cereri sua dona merumque Lyæo
 Reddimus, & dives prædæ, tamen accipit omni
 Exuvias Diana tholo, captivaque tela
 Bellipotens; nec tu, quando tibi, Gallice, majus
 Eloquium, fandique opibus sublimis abundas,

35

Sperne coli tenuiore lyra. vaga cingitur astris
 Luna, & in oceanum rivi cecidere minores.
 Quæ tibi sollicitus persolvit præmia morum
 Urbis amor? quæ tum Patrumque Equitumque notavi

40

Lumina, & ignaræ plebis lugere potentes?
 Non labente Numa timuit sic curia felix,
 Pompejo nec celsus eques, nec femina Bruto.
 Hoc illud; tristes invitum audire catenas,
 Parcere verberibus, nec qua jubet alta potestas
 Ire, sed armatas multum sibi demere vires,

45

Dignarique manus humiles & verba precantum;
 Reddere jura foro, nec proturbare curules,
 Et ferrum mulcerè toga. sic itur in alta
 Pectora, sic mixto reverentia se dat amori.

Ipsa etiam cunctos gravis inclemens fati
 Terruit, & subiti præceps juvenile pericli,
 Nil cunctante malo. non illud culpa senectæ,
 (Quippe ea bisseris vix dum orsa excedere lustris)
 Sed labor intendens, animique in membra vigentis
 Imperium, vigilansque suo pro Cæsare curæ,

53

Dulce opus: hinc fessos penitus subrepit in artus.

Infidiosa quies , & pigra oblivia vitæ.
 Tunc Deus , Alpini qui juxta culmina dorsi
 Signat Apollineo sanctos cognomine lucos ,
 Respicit , heu tanti pridem securus alumni 60
 Perpeſſusque moras : Huc mecum , Epidauria proles ;
 Huc , altis gaudens ; datur aggredienda facultas
 Ingentem recreare virum : teneamus adorti
 Tendentes jam fila colos : nec fulminis atri
 Sit metus ; has ultro laudabit Juppiter artes : 65
 Nam neque plebeiam , aut dextro fine numine cretam
 Servo animam . atque adeo , breviter , dum testa subimus ,
 Expediam . genus ipse suis , præmissaque retro
 Nobilitas : nec origo latet , sed luce sequente
 Vincitur , & magno gaudet cessisse nepoti. 70
 Prima togæ virtus : illa quoque clarus , & ingens
 Eloquio : mox innumeris exercita castris ,
 Occiduas , primasque domos , & sole sub omni
 Promeruit jurata manus . nec in otia pacis
 Permissum laxare animos , ferrumque recingi. 75
 Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello :
 Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes ,
 Pannoniusque ferox , arcuque horrenda fugaci
 Armenia , & patiens Latii jam pontis Araxes .
 Quid geminos fasces , magnæque iterata revolvam 80
 Jura Afiae ? velit illa quidem ter habere , quaterque
 Hunc sibi ; sed revocant fasti majorque curulis ,
 Nec permitta semel . Libyci quid mira tributi
 Obsequia , & missum media de pace triumphum
 Landem , & opes quantas nec qui mandaverat ausus
 Exspectare fuit ? gaudet Trasimenus & Alpes , 85

Cannenfesque animæ : primusque insigne tributum
 Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.
 Non vacat Arctoas acies , Rhenumque rebellem ;
 Captivæque preces Veledæ , & (quæ maxima nuper 90
 Gloria) depositam Dacis pereuntibus arcem
 Pandere ; cum tanti , lectus , rectoris habenas ,
 Gallice , fortuna non adverfante , subiſſi .
 Hunc igitur (si digna loquor) rapiamus iniquo ,
 Nate , Jovi . rogit hoc Latiae pater inclitus urbis : 95
 Et meruit (neque enim fruſtra mihi nuper honora
 Carmina patrio pueri ſonuifis in oſtro)
 Si qua ſalutifero gemini Chironis in antro
 Herba , tholo quodcunque tibi Trojana recondit
 Fergamus , aut medicis felix Epidaurus arenis 100
 Educat ; Idæa profert quam Creta ſub umbra
 Dictamni florentis opem , quoque anguis abundat
 Spumatu. jungam ipſe manus , atque omne benignum
 Virus , odoriferis Arabum quod doctus in arvis ,
 Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpi . 105
 Dixerat : inveniunt poſtos jam ſegniter artus ,
 Pugnantemque animam . ritu ſe cingit uterque
 Paonio , monſtrantque ſimul , parentque volentes ;
 Donec letiferas vario medicamine peſtes ,
 Et ſuſpecta mali ruperunt nubila ſomni . 110
 Adjuvat ipſe Deos , morboque valentius omni
 Occupat auxiliū . citius non arte refeſtus
 Telephus Æmonia ; nec quæ metuentis Atridæ
 Sæva Machaonio coierunt vulnera ſucco .
 Quis mihi , tot queſtus inter populique patrumque , 115
 Sit curæ votique locus ? tamen ardua teſtor

Sidera , teque , pater vatum Thymbræ , quis omni
 Luce mihi , quis nocte timor ; dum postibus hærens
 Assidius , nunc aure vigil , nunc lumine , cuncta
 Aucupor. immensæ veluti connexa carinæ 120
 Cymba minor , cum sævit hiems , pro parte , furentes
 Parva receptat aquas , & eodem volvitur Austro.
 Ne&tite nunc lætæ carentia fila forores ,
 Ne&tite : nemo modum transmissi computet ævi :
 Hic vitæ natalis erit. Tu Troïca dignus 125
 Secula , & Euboïci transcendere pulveris annos ,
 Nestoreosque situs. Qua nunc tibi pauper acerra
 Digna litem? nec si vacuet Mevania valles ,
 Aut præfent niveos Clitumna novalia tauros ,
 Sufficiam. sed sæpe Deis hos inter honores 130
 Cespè , & exiguo placuerunt farra salino.

V. *Balneum Claudi Etrusci.*

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plestro ,
 Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
 Et te , Phœbe , choris , & te dimitimus , Evan :
 Tu quoque muta feræ , volucer Tegeæ , sonoræ
 Terga premas : alios poscunt mea carmina cœtus.
 Naïdas undarum dominas , regemque corusci
 Ignis , adhuc fessum , Siculaque incude rubentem
 Elicuisse satis. paulum arma nocentia , Thebæ ,
 Ponite : dilecto volo lascivire sodali.
 Junge , puer , cyathos , sed ne numerare labora , 10
 Cunctantemque intende chelyn : discede , laborque ,

Curaque , dum nitidis canimus gemmantia saxis
 Balnea; dumque procax , myrtis ederisque soluta
 Fronte , verecundo Clio mea ludit Etrusco.

Ite , Deæ virides , liquidosque adverte vultus ,
 Et vitreum teneris crinem redimite corymbis ,
 Veste nihil testæ : quales emergitis altis
 Fontibus , & visu Satyros torquetis amantes.

Non vos , quæ culpa decus infamantis aquarum ,
 Sollicitare juvat : procul hinc , & fonte doloso
 Salmacis , & viduæ Cebrenidos arida luctu
 Flumina , & Herculei prædatrix cedat alumni.

Vos mihi , quæ Latinum , septenaque culmina Nymphæ
 Incolitis , Tybrimque novis attollitis undis ,

Quas præceps Anien , atque exceptura natatus
 Virgo juvat , Marsaque nives & frigora ducens

Marcia , præcelfis quarum vaga molibus unda
 Cessit , & in numero pendens transmittitur arcu ,

Vestrum opus aggredimur ; vestra est , quam carmine molli
 Pando , domus . non unquam aliis habitatiss in antris

Ditius . ipsa manus tenuit Cytherea mariti ,

Monstravitque artes : neu vilis flamma caminos
 Ureret , ipsa faces volucrum succedit Amorum.

Non huc admissæ Thasos , aut undosa Carystos ;

Mœret onyx longe , queriturque exclusus ophites :
 Sola nitet flavis Nomadum decisâ metallis

Purpura , sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
 Ipse cruentavit maculis liventibus Attys :

Quasque Tyrus niveas fecat , & Sidonia rupes .

Vix locus Eurotæ , viridis cum regula longo
 Synnada distinetu variat . non limina cessant ,

20

25

30

35

40

Effulgent cameræ , vario fastigia vitro
In species animosque nitent. stupet ipse beatas
Circumplexus opes , & parcus imperat ignis.
Multus ubique dies , radiis ubi culmina totis
Perforat , atque alio sol improbus uritur æstu. 45
Nil ibi plebeium : nusquam Temesæa notabis
Æra ; sed argento felix propellitur unda ,
Argentoque cadit , labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas , & abire recusat. 50
Extra autem niveo qui margine coeruleus amnis
Vivit , & in summum fundo patet omnis ab imo ;
Cui non ire lacu , pigrosque exsolvere amictus
Suadeat ? hoc mallet nasci Cytherea profundo ;
Hic te perspicuum melius , Narcisse , videres ; 55
Hic velox Hecate velit & deprensa lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata , crepantes
Auditura pilas , ubi languidus ignis inerrat
Ædibus , & tenitem volvunt hypocausta vaporem ?
Nec si Bajanis veniat novus hospes ab oris , 60
Talia despiciat ; (fas sit componere magnis
Parva) Neronea nec qui modo lotus in unda ,
Hic iterum sudare neget. Maëste , oro , nitenti
Ingenio , curaque , puer : tecum ista senescant ,
Et tua jam melior discat fortuna renasci. 65

VI. Kal. Decembres [Saturnales.]

Et Phœbus pater, & severa Pallas;
 Et Musæ procul ite feriatæ:
 Jani vos revocabimus Kalendis;
 Saturnus mihi compede exsoluta;
 Et multo gravidus mero December,
5
 Et ridens Jocus, & Sales protervi
 Adfint, dum refero diem beatam
 Læti Cæsaris, ebriamque noctem.
 Vix Aurora novos movebat ortus;
 Jam bellaria adorea pluebant. -
10
 Hunc rorem veniens profudit Eos.
 Quidquid nobile Ponticis nucetis;
 Fœcundis cadit aut jugis Idumes,
 Quod ramis pia germinat Damascus;
 Et quod percoquit Ebosia cannis,
15
 Largis gratuitum cadit rapinis.
 Molles caseoli, lucunculique;
 Et massis Amerina non perustis;
 Et mustaceus, & latente palma
 Prægrandes caryotides cadebant.
20
 Non tantis Hyas inferena nimbis
 Terras obruit, aut soluta Pleias,
 Quali per cuneos hiems Latinos
 Plebem grandine concutit sedentem.
 Ducat nubila Juppiter per orbem,
25
 Et lætis pluvias minetur agris,

Dum nostri Jovis hi ferantur imbræ.

Ecce autem caveas subit per omnes,

Insignis specie, decora cultu

Plebes altera, non minor sedente.

Hi panaria, candidaque mappas

Subiectant, epulasque lauiores;

Illi marcida vina largiuntur:

Idæos toridem putes ministros.

Orbem, qua melior severiorque est,

Et gentes alis insimul togatas;

Et cum tot populos beata pascas,

Hunc, Annona, diem superba nescis.

I nunc secula compara, Vetus, tas,

Antiqui Jovis, aureumque tempus:

Non sic libera vina tunc fluebant,

Nec tantum seges occupabat annum.

Una vescimur omnis ordo mensa,

Parvi, Femina, Plebs, Eques, Senatus.

Libertas reverentiam remisit.

Et tu quin etiam (quis hoc rogare,

Quis promittere posset hoc Deorum?)

Nobiscum socias dapes iniisti.

Jam se (quisquis is est) inops, beatus

Convivam ducis esse gloriatur.

Hos inter fremitus, novosque luxus,

Specandi levis effugit voluptas.

Stat sexus rudis, insciusque ferri,

Et pugnas capit improbus viriles.

Credas ad Tanaim, ferumve Phafin,

Thermodontiacas calere turmas.

30

35

40

45

50

55

- Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peractos
Nodosum semel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conferuntque dextras, 60
Et mortem sibi (qua manu!) minantur.
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus:
Casuræque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.
Jam noctis propioribus sub umbris 65
Dives sparsio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes, 70
Illo cymbala, tinnulæque Gades:
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs scenica, qui que communitis
Permutant vitreis gregale sulfur.
Inter quæ subito cadunt volatu 75
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus facer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant; finusque pleni
Gaudent, dum nova luera comparantur. 80
Tollunt inumeras ad astra voces,
Saturnalia Principis sonantes;
Et dulci Dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vixdum coerulea nox subibat orbem, 85
Descendit media nitens arena

Densas flammens orbis inter umbras,
 Vincens Gnofiacæ facem coronæ.
 Collucet polus ignibus , nihilque
 Obscuræ patitur licere nocti. 90
 Fugit pigra Quies ; inersque Somnus
 Hæc cernens , alias abit in urbes.
 Quis spectacula , quis jocos licentes ;
 Quis convivia , quis dapes inemtas ,
 Largi flumina quis canat Lyæi ? 95
 Jamjam deficio , tuoque Baccho
 In serum trahor ebrini soporem:
 Quos ibit procul hic dies per annos !
 Quam nullo sacer exolescat ævo !
 Dum montes Latii , paterque Tybris , 100
 Dum stabit tua Roma , dumque terris ,
 Quod redditis , Capitolium manebit.

P. PAPINII STATII
 SILVARUM
 LIBER II.

Ad Meliorem Atedium.

ET familiaritas nostra , qua gaudeo , Melior vir
 optime , nec minus in judicio literarum , quam in
 omni vita colore tersissime , & ipsa opusculorum ,
 quæ tibi trado , conditio sic posita est , ut totus
 hic alter liber meus etiam sine epistola exspecte-
 tur . Primum enim habet Glauciam nostrum , cuius
 gratissimam infantiam , & qualem plerumque infe-
 lices fortiuntur , apud te complexus amabam . Jam
 vero tibi hujus amissi recens vulnus (ut scis)
 Epicedio prosecutus sum , adeo festinanter , ut
 excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem .
 nec nunc eam apud te jacto , qui nosti : sed & ce-
 teris indicō ; ne quis asperiore lima carmen ex-
 minet , & a confuso scriptum , & dolenti datum ;
 cum pæne supervacua sint tarda solatia . Pollii mei
 Villa Surrentina , quæ sequitur , debuit a me vel in
Statius.

honorem eloquentiae ejus diligentius dici : sed amicus ignovit. In Arborem certe tuam , Melior , & Psittacum , scis a me leves libellos quasi epigrammatis loco scriptos. Eandem exigebat stili facilitatem Leo mansuetus, quem in Amphitheatro prostratum , frigidum erat sacratissimo Imperatori in statim traderem. Ad Ursum quoque nostrum , juvenem candidissimum , & sine jaetura desidiæ doctissimum , scriptam de puerō amissio Consolationem , super ea , quæ ipsi debeo , huic libro libenter inferui , quia honorem ejus tibi latus acceptum. Excludit volumen Genethliacon Lucani , quod Polla Argentaria , clarissima uxorum , cum hunc diem forte consecraremus , imputari sibi voluit. Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam , quam quod laudes ejus dicturus hexametros meos timui. Hæc qualiacunque sunt , Melior carissime , si tibi non displicerint , a te publicum accipient ; sin minus , ad me revertantur.

I. *Glaucias Atedii Melioris Delicatus.*

QUOD tibi prærepti , Melior , solamen alumni ,
Improbis ante rogos , & adhuc vivente favilla
Ordiar? abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat , magnæquè patet via lubrica plagæ.
Cum jam egomet cantus , & verba medentia fævis
Confero , tu planctus , lamentaque fortia mavis ,
Odistique chelyn , surdaque averteris aure.

Intempesta cano: citius me tigris abactis
 Fœtibus, orbatique velint audire leones.
 Nec si tergeminum Sicula de virgine carmen 10
 Affluat, aut silvis chelys intellecta, ferisque,
 Mulceat insanos gemitus. stat pectori demens
 Luctus, & admoto latrant præcordia tactu.
 Nemo vetat, satiare malis; ægrumque dolorem
 Libertate doma. jam flendi expleta voluptas? 15
 Jamine preces fessus non indignaris amicas?
 Jamne canam? lacrimis en & mea carmina in ipso
 Ore natant, tristesque cadunt in verba lituræ.
 Ipse etenim tecum nigræ solennia pompæ,
 Spectatumque urbi scelus, & puerile feretrum 20
 Produxi: & sæuos damnati turis acervos,
 Plorantemque animam supra sua funera vidi:
 Teque patrum gemitus superantem, & brachia matrum;
 Complexumque rogos, ignemque haurire parantem
 Vix tenui similis comes, offendique tenendo. 25
 Et nunc (heu) vittis, & frontis honore soluto,
 Infaustus vates, verso mea pectora tecum:
 Plango lyra. en! duri comitem sociumque doloris
 (Si merui, luctusque tui consortia sensi)
 Jam lenis patiare precor. me fulmine in ipso 30
 Audivere patres: ego juxta busta profusis
 Matribus, atque piis cecini solatia natis,
 Et mihi; cum proprios gemerem defetus ad ignes
 (Quem, Natura!) patrem. nec te lugere severus
 Arceo, sed confer gemitus, pariterque fleamus. 35
 Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
 O merito dilecte puer, primordia quærens

Disfrahor, hinc anni stantes in limine vitæ,
 Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox,
 Et pudor, & tenero probitas maturior ævo. 40
 O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
 Sidereique orbes, radiataque lumina cœlo,
 Et castigatæ collecta modestia frontis,
 Ingenuique super crines, mollisque decoræ
 Margo comæ? blandis ubinam ora arguta querelis; 45
 Osculaque impliciti vernoſ redolentia flores,
 Et mixtae ſiuſ lacrimæ, penitusque loquentis
 Hyblæis vox tintæ favis? cui ſibila ſerpens
 Poneret, & fævæ vellent ſervire novercæ.
 Nil veris affingo bonis. ubi laetæa colla, 50
 Brachiaque, & nunquam domini ſine pondere cervix?
 O ubi venturæ ſpes non longinqua juventæ,
 Atque genis optatus honos, jurataque multum
 Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora;
 Hostilisque dies: nobis meminiffe relictum. 55
 Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
 Pectora? quis curas, mentisque arcana remittet?
 Accensum quis bile fera, famulisque tumentem
 Leniet, ardentique in ſe defleget ab ira?
 Inceptas quis ab ore dapes, libataque vina
 Auferet, & dulci turbabit cuncta rapina? 60
 Quis matutinos abrumpet murmure ſomnos
 Impositus stratis, abitusque morabitur arctis
 Nexibus, atque ipſo revocabit ad oscula poſte?
 Obvius intranti rufus quis in ora, manusque,
 Proſiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis? 65
 Muta domus pariter desolatique penates,

Et situs in thalamis, & moesta silentia mensis.
 Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
 Funere? tu domino requies, portusque senectæ; 70
 Tu modo deliciæ, dulces modo pectora curæ.
 Non te barbaricæ versabat turbo catastæ,
 Nex mixtus Phariis venalis mercibus infans,
 Compositosque sales, meditataque verba locutus;
 Quæfisti lascivus herum, tardeque parasti: 75
 Hinc domus, hinc ortus; dominique penatibus olim
 Carus uterque parens, atque in tua gaudia liber,
 Ne quererere genus. raptum te protinus alvo
 Sustulit exsultans, ac prima lucida voce
 Astra salutantem dominus sibi mente dicavit; 80
 Amplexusque sinu tulit, & genuisse putavit.
 Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum,
 Tuque, oro, Natura, finas, cui prima per orbem
 Jura animis sociare datum: non omnia sanguis
 Proximus, aut serie generis demissa propago, 85
 Alligat: interius nova saepe, adscitaque serpunt
 Pignora connexis. natos genuisse necesse est,
 At legisse juvat. tenero sic blandus Achilli
 Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.
 Nec genitor Peleus natum comitatus in arma 90
 Troïca, sed caro Phœnix hærebat alumne.
 Optabat longe redditus Pallantis ovantes
 Evander, fidus pugnas spectabat Accetes.
 Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris,
 Flustivagus volucrem comebat Persea Diëtys. 95
 Quid referam ætricum viatos pietate parentes?
 Quid te post cineres, deceptaque fulmina matris

Tutius Inoo reptantem pectore , Bacche ?
Jam secura parens Thuscis regnabat in undis
Ilia , portantem lassabat Romulus Accam. 100
Vidi ego transertos aliena in robora ramos ,
Altius ire suis. Et te jam fecerat illi
Mens , animusque patrem ; neqdum moresve , decorve :
Tu tamen & motas etiam tum in murmura voces ,
Vagitumque rudem , fletusque infantis amabas. 105
Ille , velut primos exspiraturus ad Austros ,
Mollibus in pratis alte flos improbus exstat ,
Sic tener , ante diem , vultu gressuque superbo
Vicerat æquales , multumque reliquerat annos.
Sive catenatis nudatus membra palæstris 110
Staret , Amyclæa conceptum matre putares ;
Æbaliden illo præceps mutaret Apollo ,
Alcides pensaret Hylan : seu Graius amictu
Attica facundi decurreret orsa Menandri ,
Laudaret gavisa sonum , crinemque decorum 115
Pressisset rosea lasciva Thalia corona :
Mæonium sive ille senem , Trojæque labores
Diceret , aut casus tarde remeantis Ulixii ;
Ipse pater sensus , ipsi stupuere magistri .
Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra 120
Attigit , & gremio puerum complexa fovebat
Invidia. illa genas & adultum comere crinem ,
Et monstrare artes , & verba refringere , quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cooperat assurgens , & adhuc infantia juxta ; 125
Jam tamen & validi gressus , mensuraque major
Cultibus ; & visæ puero decrescere vestes.

Cum tibi , quas vestes , quæ non gestamina mitis
 Festinabat herus ? brevibus constringere lœnis
 Pectora , & angusta telas jaſtare lacerna
 Enormi non ille finens , sed semper ad annos
 Texta legens , modo Puniceo velabat amictu ,
 Nunc herbas imitante ſinn , nunc dulce rubenti
 Murice , nunc vivis digitos incendere gemmis
 Gaudebat . non turba comes , non munera census ,
 Sola verecundo deerat prætexta decori .

Hæc fortuna domus : ſubitas inimica levavit
 Parca manus . quo Diva feros gravis exferis unguis ?

Non te forma movet ? non te lacrimabilis ætas ?

Hunc nec ſæva viro potuiffet carpere Procne ,

Nec fera crudeles Colchis durafset in iras ,

Editus Æolia nec fi foret iſte Creusa :

Torvus ab hoc Athamas iſanos fletcheret arcus .

Hunc , quanquam Heſtoreos cineres , Trojamque perofſus ,

Turribus e Phrygiis fleſſet missurus Ulixes .

Septima lux : & jam frigentia lumina torpent ,

Jam complexa manu crinem tenet Infera Juno .

Ille tamen , Parcis fragiles urgentibus annos ,

Te vultu moriente videt , linguaque cadente

Murmurat : in te omnes vacui jam pectoris efflat

Relliquias : ſolum meminit , ſolumque vocantem

Exaudit : tibique ora movet , tibi verba relinquit ,

Et prohibet gemitus , confolaturque dolentem .

Gratum eſt , Fata , tamen , quod non mors lenta jacentis

Exedit puerile decus , manesque ſubivit

Integer , & nullo temeratus corpora damno ,

Qualis erat . Quid ego exsequias , & prodiga flammis

130

135

140

145

150

155

Dona loquar, mœstoque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo tristis torus aggere crevit:
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi; 160
Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores,
Arsuram lavere comam. cupit omnia ferre
Prodigus, & totos Melior succendere census;
Desertas exosus opes: sed non capit ignis
Invidus, atque arcta defunt in munera flammæ. 165
Horror habet sensus: qualem te funere summo,
Atque rogum juxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tune ille hilaris, comisque videri?
Unde animi, sœvæque manus, & barbarus horror?
Tu modo fusi humi, lucem aversaris iniquam; 170
Nunc toryus, pariter vestes & pectora rumpis,
Dilectosque premis visus, & frigida libas
Oscula. erant illic genitor, materque jacentis
Mœsta; sed attoniti te spectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, & prævia flerunt 175
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur, & gemitum formaque ævoque meretur.
Talis in Isthmiacos prolatus ab æquore pottus
Naufragus imposita jacuit sub matre Palæmon: 180
Sic & in anguiferæ ludentem gramine Lernæ
Præcismus squammis rabidus milit anguis Ophelten.
Pone metus, letique minas desiste vereri:
Illum nec terno latrabit Cerberus ore,
Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris 185
Terrebit. quin ipse avidæ trux navita cymbæ
Interius steriles ripas, & adusta subibit.

- Litora , ne puer dura ascendisse facultas.
Quid mihi gaudenti proles Cyllenia virga
Nuntiat? estne aliquid tam sœvo in tempore lætum? 190
Noverat effigiem , generofisque ardua Blæsi
Ora puer , dum sœpe domi nova ferta ligantem
Te videt , & similes tergentem peſtore curas.
Hunc ubi Lethæi luſtrantem gurgitis oras
Afonios inter proceres ſeriemque Quirini 195
Agnovit , timide primum veſtigia jungit
Accessu tacito , ſummosque laceſſit amictus :
Inde magis ſequitur ; neque enim magis ille trahentem
Spernit , & ignota credit de firpe nepotum.
Mox ubi delicias , & rari pignus amici 200
Sensit , & amifſi puerum ſolatia Blæſi ;
Tollit humo , magnaque ligat cervice , diuque
Ipſe manu gaudens vehit ; & , quæ munera mollis
Elyſii , steriles ramos , mutasque volucres
Porxit , & obtuso pallentes germe flores. 205
Nec prohibet meminiffe tui ; ſed peſtora blandus
Miscet , & alternum puerο partitur amorem.
Hic finis rapto . quin tu jam vulnera ſedas ,
Et tollis mersum luſtu caput ? omnia functa ;
Aut moritura vides . obeunt noſteſque , diesque , 210
Aſtraque , nec solidis prodeſt ſua machina terris.
Nam populos , mortale genus , plebiſque eaducæ
Quis fleat interitus ? Hos bella , hos æquora poſcunt :
His amor exitio , furor his , & ſœva cupidio ;
Ut fileam morbos . hos ora rigentia Brumæ , 215
Illos implacido letalis Sirius igni ,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu .

Quidquid habent ortus, finem timeret, ibimus omnes;
 Ibimus: immensis urnam quatit Æacus ulnis.
 Ast hic, quem gemimus, felix, hominesque, Deosque, 220
 Et dubios casus & cæcæ lubrica vitæ
 Effugit, immunis fati. non ille rogavit,
 Non timuit, renuitve mori. Nos anxia plebes,
 Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
 Exitus, incertum; quibus instet fulmen ab astris, 225
 Quæ nubes fatale sonent. Nil flesteris istis?
 Sed flestere libens. Ades hoc emissus ab atro
 Limite, cui soli cuncta impetrare facultas,
 Glaucia; (nam insolentes animas, nec portitor arcet;
 Nec diræ comes ille feræ) tu pectora mulce, 230
 Tu prohibe manare genas; noctesque beatas
 Dulcibus alloquiis, & vivis vultibus imple:
 Et periisse nega, desolatamque sororem,
 Qui potes, & miseros perge insinuare parentes.

II. Villa Surrentina Polii Felicis.

EST inter notos Sirenum nomine muros,
 Saxaque Tyrrenæ templis onerata Minervæ,
 Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
 Qua Bromio dilectus ager, colleisque per altos
 Uritur, & prælis non invidet uva Falernis.
 Huc me post patrii lætum quinquennia lustrî,
 Cum stadio jam pigra quies, canusque federet
 Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
 Trans gentile fretum placidi facundia Polli

- Detulit, & nitidæ juvenilis gratia Pollæ, 10
 Flestere jam cupidum gressus, qua limite noto
 Appia longarum teritur regina viarum.
 Sed juvere moræ. Placido lunata recessu
 Hinc atque hinc curvas perrumpunt æqua rupes :
 Dat Natura locum ; montique intervenit udum 15
 Litus, & in terras, scopulis pendentibus, exit.
 Gratia prima loci, gemina testudine fumant
 Balnea, & e terris occurrit dulcis amaro
 Nympha mari. levis hic Phorci chorus, udaque crines
 Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari. 20
 Ante domum tumidæ moderator cœrulus undæ
 Excubat, innocui custos laris : hujus amico
 Spumant templa salo : felicia rura quietur
 Alcides : gaudet gemino sub numine portus.
 Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat. 25
 Mira quies pelagi: ponunt hic lassa furorem
 Æqua, & insani spirant clementius Aultri.
 Hic præcepis minus audet hiems, nulloque tumultu
 Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores.
 Inde per obliquas erepit porticus arcæ, 30
 Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.
 Qua prius obscuro permixti pulvere soles,
 Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas :
 Qualis, si subreas Ephyres Baccheiados altum
 Culmen, ab Inoo fert semita teæta Lechæo. 35
 Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
 Et supereret Pimplea sitim, largeque volantis
 Ungula se det equi, referetque arcana pudicos
 Phæmonoe fontes, vel quos meus, auspice Phœbo;

Altius immersa turbavit Pollius urna,
 Innumeræ valeam species, cultusque locorum
 Pieris æquare modis. vix ordine longo
 Suffecere oculi, vix, dum per singula ducor,
 Suffecere gradus. quæ rerum turba! locine
 Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus
 Prospicit, & Phœbi tenerum jubar; illa cadentem
 Detinet, exactamque negat dimittere lucem,
 Cum jam fessa dies, & in æquora montis opaci
 Umbra cadit, vitroque natant prætoria ponto.
 Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta sonoros
 Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.
 His favit Natura locis: his viæta, colenti
 Cessit, & ignotos docilis mansuevit in usus.
 Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt;
 Quæ nunc tecta subis. ubi nunc nemora ardua cernis?
 Hic nec terra fuit. domuit possessor, & illum
 Formantem rupes, expugnantemque secuta
 Gaudet humus. nunc cerne jugum discentia faxa;
 Intrantesque domos, iussumque recedere montem.
 Jam Methymnæi vatis manus, & chelys una
 Thebais, & Getici cedat tibi gloria plethri.
 Et tu faxa moves, & te nemora alta sequuntur.
 Quid referam veteres ceræque ærisque figuræ?
 Si quid Apellei gaudent animasse colores;
 Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa
 Phidiacæ rasere manus: quod ab arte Myronis;
 Aut Polycletæ iussum est quod vivere cælo,
 Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;
 Ora ducum, & vatuum, sapientumque ora priorum;

- Quos tibi cura sequi , quos toto pectore sentis 70
 Expers turbarum , atque animum virtute quieta
Compositus , semperque tuus . Quid mille revolvam
Culmina , visendique vices ? sua cuique voluptas ,
 Atque omni proprium thalamo mare : transque jacentem
 Nerea diversis servit sua terra fenestris. 75
- Hæc videt Inarimen , illi Prochyta aspera paret :
Armiger hinc magni patet Heitoris : inde malignum
 Aera respirat pelago circumflua Nefis :
 Inde vagis omen felix Euploea carinis ,
Quæque ferit curvos exserta Megalia fluctus. 80
- Angitur & domino contra recubante , procul qui
 Surrentina tuus spectat prætoria Limon.
 Ante tamen cunetas procul eminent una diætas ,
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
 Ingerit . hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa : quod Eoæ respergit vena Syenes ; 85
 Synnade quod moesta Phrygiæ fodere secures
 Per Cybeles lugentis agros , ubi marmore piæ
 Candida purpureo distinguitur area gyro.
 Hic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi 90
 Quod viret , & molles imitatur rupibus herbas.
 Hic Nomadum lucent flaventia saxa , Thasosque ,
 Et Chios , & gaudens fluctu certare Carytos.
 Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
- Mæste animo quod Graia probas , quod Graia frequentas 95
 Arva : nec invideant quæ te genuere Dicarchi
 Moenia : nos docto melius potiemur alumno.
 Quid nunc ruris opes , pontoque novalia dicam
 Injecta , & madidas Baccheo nectarare rupes ?

Sæpe per annum , jam pubescente Lyæo ,
 100
 Conscendit scopulos , noctisque occulta sub umbra
 Palmitæ maturo rorantia lumina terfit
 Nereis , & dulces rapuit de collibus uvas.
 Sæpe & vicino sparsa est vindemia fluëtu ;
 Et Satyri cecidere vadis , nudamque per undas
 Dorida montani cupierunt prendere Panes.
 105
 Si felix , tellus , dominis ambobus in annos
 Mygdonii , Pyliique senis ; nec nobile mutes
 Servitium ; nec te cultu Tirynthia vineat
 Aula , Dicarcheique sinus : nec sæpius istis
 110
 Blanda Therapnæi placeant vineta Galeſi.
 Hic seu fiderias exercet Pollius artes ,
 Seu volvit monitus , quos dat Gargettius auſtor ,
 Seu nostram quatit ille chelyn , ſeu diſona neſtit
 Carmina , ſive minax ultorem ſtrigit iambon ;
 115
 Hinc leviſ e scopulis meliora ad carmina Siren
 Advoſat , hinc motis audit Tritonia criftis.
 Tunc rabidi ponunt flatuſ , maria ipſa vetantur
 Obſtrepere : emergunt pelago , doctamque trahuntur
 Ad chelyn , & blandi scopulis delphines aderrant.
 120
 Vive , Midæ gazis & Lydo ditiō auro ,
 Troīca , & Euphratæa ſuper diademata felix :
 Quem non ambigiſ ſaſces , non mobile vulguſ ,
 Non leges , non caſtra tenent : quid peſtore magno
 Spemque metumque domas , vitio ſublimior omni ,
 125
 Exemptus fatis , indignantemque refellens
 Fortunam : dubium quem non in turbine rerum
 Deprendet ſuprema dies ; ſed abire paratum ,
 Ac plenum vita. Nos , vilis turba , caducis

Delervire bonis, semperque optare parati,
Spargimur in casus: celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.
Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsusque duas veherere per urbes:
Inde Dicarcheis multum venerande colonis,
Hinc ascite meis; pariterque his largus, & illis,
Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.
At nunc discussa rerum caligine, verum
Aspicis. illo alii rursus jaſtentur in alto;
At tua securos portus, blandamque quietem
Intravit non quassa ratis. sic perge; nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.
Vivite securi, quorum de peſtore mixtæ
In longum coiere faces, sanctusque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor. ite per annos
Seculaque, & priscæ titulos præcedite famæ.
Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cuius
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas:
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidive animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census, & docta fruendi
Temperies, non ulla Deo meliore cohærent
Pestora, non alias decuit Concordia mentes.

130

135

140

145

150

III. Arbor Atedii Melioris.

STAT, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
 Arbor aquas, complexa lacus. ea robore ab imo
 Curvata, enodis redit inde, cacumine recto
 Ardua; ceu mediis iterum nascatur ab undis,
 Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
 Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas
 Naïdes, & faciles (fatis est) date carmina Fauni.
 Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
 Ille quidem it, cunctas tanquam velit, it tamen unam
 In Phloœn. silvis ea fluminibusque sequentis
 Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
 Jamque & belligerum Jani nemus, atraque Caci
 Rura, Quirinalesque fuga suspensa per agros
 Cœlica tecta subit. tum demum vieta labore,
 Fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti
 Stant sine fraude lares, siuidos collegit amiœtus
 Arctius, & niveæ posuit se margine ripæ.
 Insequitur velox pecorum Deus, & sua credens
 Connubia, ardentí jamjam suspiria librat
 Pectore, jam prædæ levis imminent. ecce citatos
 Advertit Diana gradus, dum per juga septem
 Errat, Aventinæque legit vestigia cervæ.
 Pœnituit vidisse Deam; conversaque fidas
 Ad comites: Nunquamne avidis arcebo rapinis
 Hoc perulans, foedumque pecus? semperne pudici
 Decrescit mihi turba chor? Sic deinde locuta

Depromit pharetra telum breve , quod neque flexis
 Cornibus , aut solito torquet stridore ; sed una
 Emisit contenta manu , lœvumque soporem
 Naïdos averfa fertur tetigisse sagitta.

30

Illa Deam pariter surgens hostemque protervum
 Vedit , & in fontem , niveos ne panderet artus ,
 Sicut erat cum veste ruit ; stagnisque sub altis ,
 Pana sequi credens , ima latus implicat alga.

Quid faceret subito deceptus prædo ? nec altis .

35

Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
 Pellis , & a tenero nandi rudis. omnia questus ,
 Immitem Brimo , stagna invida , & invida tela ;
 Primævam visu platanum , cui longa propago ,
 Innumeræque manus , & iturus in æthera vertex ,

40

Deposuit juxta , vivamque aggescit arenam ,
 Optatisque aspergit aquis , & talia mandat :
 Vive diu nostri pignus memorabile voti ,
 Arbor ; & hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ

45

Tu saltem declinis ama , & preme frondibus undam .
 Illa quidem meruit ; sed ne , precor , igne superno
 Aëstuet , aut dura feriatur grandine ; tantum

Spargere tu laticem , & soliis turbare memento.

Tunc ego teque diu recolam , dominamque benignæ
 Sedis , & illæsa tutabor utramque fenecta.

50

Et Jovis , & Phœbi frondes , & discolor umbra
 Populus , & nostræ stupeant tua germina pinus .
 Sic ait. Illa Dei veteres imitata calores ,

Uberibus stagnis obliquo pendula truncō

Incubat , atque umbris tutatur amantibus undas .

55

Sperat & amplexus ; sed aquarium spiritus arcet ,

Statius.

D

Nec patitur tactus, tandem eluctata sub auras,
 Libratur fundo, rursusque enode cacumen
 Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
 Stirpe lacus alia. jam nec Phoebeia Nais 60
 Odit, & exclusos invitat gurgite ramos.
 Haec tibi, parva quidem, genitali luce paramus
 Dona, sed ingenti forsan viatura sub ævo,
 Tu, cuius placido posuere in pectori sedem
 Blandus Honos, hilarisque (tamen cum pondere) Virtus: 65
 Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
 Improba; sed medius per honesta & dulcia limes:
 Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
 Et secrete palam: qui digeris ordine vitam;
 Idem auri facilis contemtor, & optimus idem 70
 Comere divitias, opibusque immittere lucem:
 Hac longum florens animi morumque juventa,
 Iliacos æquare senes, & vincere persta,
 Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos;
 Hoc illi duras exoravere sorores: 75
 Hoc, quæ te sub teste, situm fugitura tacentem
 Ardua magnanimi revirescit gloria Blæsi.

IV. *Pſittacus Melioris.*

PSITTACE, dux volucrum, domini facunda voluptas;
 Humanæ solers imitator, Psittace, linguæ,
 Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
 Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
 Nobiscum; & gratæ carpentem munera mensæ, 80

Errantemque toris mediæ plus tempore noctis
 Vidimus. assatus etiam meditataque verba
 Reddideras. at nunc æterna silentia Lethes
 Ille canorus habes. cedat Phaethontia vulgi
 Fabula; nec soli celebrant sua funera cygni.
 At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
 Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,
 Argutumque tuo stridentia limina cornu?
 En querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus
 Carcer, & angusti nusquam convicia tefti.
 Huc doctæ fipentur aves, quis nobile fandi
 Jus Natura dedit. plangat Phœbeius ales:
 Auditasque memor penitus demittere voces
 Sturnus, & Aonio versæ certamine picæ;
 Quique refert jungens iterata vocabula perdix;
 Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili,
 Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis
 Funera, & hoc cunctæ miserandum addicite carmen:
OCCIDIT aeriae celeberrima gloria gentis
 Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ;
 Quem non gemmata volucris Junonia cauda
 Vinceret, asperætū gelidi non Phasidis ales,
 Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro:
 Ille salutator regum, nomenque locutus
 Cæsareum, & queruli quondam vice functus amici:
 Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba
 Tam facilis: quo tu, Melior dilecte, recluso,
 Nunquam solus eras. at non inglorius umbris
 Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
 Et tenues Arabum respirant grama plumæ,

Sicaniosque crocos : fenio nec fessus inertis
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

V. *Leo mansuetus Imp.*

QUID tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus, humanaque animo dediscere cædes,
Imperiumque pari, & domino parere minori?
Quid, quod abire domo, rufusque in claustra reverti
Suetus, & a capta jam sponte recedere præda,
Insertaque manus laxo dimittere morsu?
Occidis, altarum vastator sæve ferarum,
Non grege Massylo, curvaque indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu;
Sed vietus fugiente fera. stat cardine aperto
Infelix cavea, & clausis circum undique portis
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.
Tunc cunctis cecidere jubæ, puduitque relatum
Aspicere, & torvas duxere in lumen frontes.
At te non primo fusum novus obruit istu
Ille pudor; mansere animi, virtusque cadenti
A media jam morte redit: nec protinus omnes
Terga dedere minæ. sicut fibi conscius alti
Vulneris, adversum moriens it miles in hostem,
Attollitque manum, & ferro labente minatur:
Sic piger ille gradu, solitoque exutus honore
Firmat hians oculos animumque, hostemque requirit.
Magna tamen subiti tecum solatia leti,

Viste, feres, quod te mœsti Populusque Patresque,

25

Cen notus caderes tristi gladiator arena,

Ingemuere mori: magni quod Cæsaris ora

Inter tot Scythicas, Libycasque, & litora Rheni,

Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est,

Unius amissi tetigit jaetura leonis.

30

VI. *Consolatio ad Flavium Ursum de amissione*

Pueri Delicati.

SÆVE nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis,

Lugendique modos. miserum est primæva parenti

Pignora, surgentesque (nefas) accendere natos:

Durum & deserti, prærepta conjugi, partem

Conclamare tori: mœsta & lamenta sororum,

Et fratrum gemitus. arête tamen, & procul intrat

Altius in sensus, majoraque vulnera vincit

Plaga minor. Famulum (quoniam rerum omnia cæca

Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit)

Sed famulum gemis, Urse, pius: sed amore fideque

10

Has meritum lacrimas; cui major stemmate juncto

Nobilitas ex mente fuit. ne comprime fletus,

Ne pudeat: rumpat frenos dolor iste, (Deisque

Si tam dura placent) hominem gemis (hei mihi ! subdo-

Ipse faces) hominem, Urse, tuum cui dulce volenti

15

Servitium, cui triste nihil; qui sponte, sibiique

Imperiosus erat. Quisnam hæc in funera missos

Castiget luctus? gemit inter bella peremptum

Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,

D 3

Et volucres habuere rogum , cervusque Maronis. 20
 Quid si nec famulus ? vidi ipse animosque notavi
 Te tantum capientis herum : sed major in ore
 Spiritus , & tenero manifesti in sanguine mores.
 Optarent multum Graiae , cuperentque Latinae
 Sic peperisse nurus. Non talem Cressa superbum 25
 Callida sollicito revocavit Thesea filo :
 Nec Paris Ebalios talis visurus amores
 Rusticus invisas dejecit in æquora pinus.
 Non fallo , aut cantus assueta licentia dicit :
 Vidi , & adhuc video , qualem nec bella caventem 30
 Litore virgineo Thetis occultavit Achillem :
 Nec circum saevi fugientem moenia Phœbi
 Troilon Emoniae deprendit lancea dextræ.
 Qualis eras procul heu ! cunctis puerisque virisque
 Pulchrior , & tantum domino minor ! illius unus 35
 Ante decor , quantum præcedit clara minores
 Luna faces , quantumque alios premit Hesperus ignes.
 Non tibi feminineum vultu decus , oraque supra
 Mollis honos ; (quales dubiæ discrimina formæ
 De sexu transire jubent) parvoque virilis 40
 Gratia , nec petulans acies , blandique severo
 Igne oculi ; (qualis bellis jam casside missa
 Parthenopæus erat) simplexque horrore decoro
 Crinis , & obfessæ nondum , primoque micantes
 Flore genæ. talem Ledæo gurgite pubem 45
 Educat Eurotas ; teneri sic integer ævi
 Elin adit , primosque Jovi puer approbat annos.
 Nam pudor ingenuæ mentis , tranquillaque morum
 Temperies , teneroque animus maturior ævo ,

Carmina quæ donasse queant? Sæpe ille volentem

50

Castigabat herum, studioque altisque juvabat

Confiliis; tecum tristisque, hilarisque, nec unquam

Ille suus, vultumque tuo sumebat ab ore:

Dignus & Æmonium Pyladen præcedere fama,

Cecropiamque fidem, sed laudum terminus, etc.,

55

Quem fortuna finit, non mente fidelior ægra

Speravit tardi reditus Eumæus Ulix.

Quis Deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus

Eligit? unde manus Fatis tam certa nocendi?

O quam divitiis censuque exutus opimo

60

Fortior, Urse, fores! si vel sumante ruina

Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,

Seu Pollentinos mersissent flumina saltus;

Seu Lucanus ager, seu Tybridis impetus, altas

In dextrum torsisset aquas, paterere serena

65

Fronte Deos: sive alma fidem, messesque negasset

Cretaque, Cyreneque, & qua tibi cunque beato

Larga redit Fortuna sinu, sed gnara dolorum

Invidia infelix animi vitalia videt,

Lædendique vias, vitæ modo limine adulstæ

70

Nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille

Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.

Attendit torvo tristis Rhamnusia vulu:

Ae primum implevitque toros, oculisque nitorem

Addidit, & solito sublimius ora levavit,

75

(Heu! misero letale favens) seque videndo

Torsit, & invitam mortem complexa, jacenti.

Injecit nexus, carpitque immritis adunca

Ora verenda manu. quinta vix Phosphorus hora

D. 4

Rorantem sternebat equum, jam litora duri
 Sæva, Philetæ, senis, dirumque Acheronta videbas,
 Quo domini clamare fono! non secius atros
 Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos,
 Nec pater: & certe qui vidit funera frater
 Erubuit vinci. sed nec servilis ademto
 Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos
 Et Cilicum messes, Phariæque exenta volucri
 Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos,
 Et domini fletus: hos tantum haufere favillæ,
 Hos bibit usque rogus. nec quod tibi Setia canos
 Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
 Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris
 Quam gemitus. sed & ipse juvat. Quid terga dolori,
 Urse, damus? quid damna foves, & peccore iniquo
 Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?
 Quid caram crucias tam seris lustibus umbram?
 Eximius licet ille animi, meritusque dolorem,
 Solvisti. subit ille pios, carpitque quietem
 Elysiam, carosque illic fortasse parentes
 Invenit: aut illi per amœna silentia Lethes
 Forsan Avernales alludunt undique mixtæ
 Naïdes, obliquoque notat Proserpina vultu.
 Pone, precor, questus; alium tibi Fata Philetæ
 Forsan & ipse dabit; moresque habitusque decoros
 Monstrabit gaudens, similemque docebit amorem.

80

85

90

95

100

105

VII. *Genethliacon Lucani.*

LUCANI proprium diem frequentet
 Quisquis collibus Isthmiæ Diones
 Docto pectora concitatus oestro,
 Pendentis bibt ungulæ liquorem.
 Ipsi, quos penes est honor canendi,
 Vocalis citharæ repertor Arcas,
 Et tu Bassaridum rotator Evan,
 Et Pæan, & Hyantiæ sorores,
 Lætæ purpureas novate vittas:
 Crinem comite, candidamque vestem
 Perfundant ederæ recentiores.
 Docti largius evagentur amnes,
 Et plus Aoniæ virete silvæ.
 Et si qua patulam diem recepit,
 Sertis mollibus expleatur umbra.
 Centum Thespiacis odora lucis
 Stent altaria, victimæque centum;
 Quas Dirce lavat, aut alit Cithæron.
 Lucanum canimus: favete linguis:
 Vestra est ista dies; favete, Musæ,
 Dum qui vos geminas tulit per artes
 Et vinclæ pede vocis, & solutæ,
 Romani colitur chori sacerdos.
 Felix heu nimis, & beata tellus,
 Quæ pronos Hyperionis meatus
 Summis Oceani vides in undis,
 Stridoremque rotæ cadentis audis:

5

10

15

20

25

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis.

Lucanum potes imputare terris ;
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo ,
Aut dulcem generasse Gallionem.

Attollat refluxos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.

Bætin , Mantua , provocare noli.

Natum protinus , atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.

Tum primum posito remissa luctu
Longos Orpheos exuit dolores :

Et dixit : Puer o dicate Musis ,
Longævos cito transiture vates ,

Non tu flumina , nec greges ferarum ,
Nec plectro Geticas movebis ornos :

Sed septem juga , Martiumque Tybrim ,
Et doctos Equites , & eloquente

Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas ,

Et tarde reducis vias Ulix ,

Et puppem temerariam Minervæ ,
Trita vatibus orbita , sequantur :

Tu carus Latio , memorque gentis
Carmen fortior exferes togatum.

Ac primum , teneris adhuc in annis
Ludes Hætora , Theffalosque currus ,

Et supplex Priami potentis aurum.
Tu sedes referabis Inferorum ,

30

33

40

45

50

55

[Ingratus Nero dulcibus theatris]

Et noster tibi præferetur Orpheus.

Dices culminibus Remi vagantes,

Infandos domini nocentis ignes.

Tu castæ titulum decusque Pollæ

Jucunda dabis allocutione.

Mox, cœpta generofior juventa,

Albos ossibus Italis Philippos,

Et Pharsalica bella detonabis,

Quod fulmen ducis inter arma Divi :

Libertate gravem pia Catonem,

Et gratum popularitate Magnum.

Tu Pelusiaci scelus Canopi

Deslebis pius ; & Pharo cruenta

Pompeio dabis altius sepulcrum.

Hæc primo juvenis canes sub ævo,

Ante annos Culicis Maronian.

Cedet Musa rufis ferocis Enni

Et docti furor arduus Lucreti,

Et qui per freta dicit Argonautas,

Et qui corpora prima transfigurat.

Quin majus loquor : ipsa te Latinis

Æneis venerabitur canentem.

Nec solum dabo carminis nitorem,

Sed tædis genialibus dicabo

Doctam, atque ingenio suo decoram :

Qualem blanda Venus, daretque Juno.

Forma, simplicitate, comitate,

Censu, sanguine, gratia, decore.

Et vestros Hymenæon ante postes

60

65

70

75

80

85

- Fauſis cantibus ipla perfonabo.
 O fævæ nimium , gravesque Parcæ !
 O nunquam data festa longa summis !
 Cur plus , ardua , caſibus patetis ?
 Cur læva vice magna non ſenescunt ?
 Sic natum Nasamonii Tonantis
 Poſt ortus obitufque fulminatos
 Angusto Babylon premit ſepulcro .
 Sic fixum Paridis manu trementi
 Peliden Thetis horruit cadentem.
 Sic ripis ego murmurantis Hebrei
 Non mutum caput Orpheos ſequebar.
 Sic & tu (rabidi nefas tyranni !)
 Jussus præcipitem subire Lethen ,
 Dum pugnas canis , arduaque voce
 Das ſolatia grandibus ſepulcris ,
 (O dirum ſcelus ! o ſcelus !) tacebis.
 Sie fata eſt , leviterque decidentes
 Abravit lacrimas nitente plectro.
 At tu , ſeu rapidum poli per axem
 Famæ curribus arduis levatus ,
 Qua ſurgunt animæ potentiores ,
 Terras despicis , & ſepulera rideſ :
 Seu pacis merito nemus reclusum
 Felix Elysias tenes in oris ,
 Quo Pharsalica turba congregatur ;
 Et te nobile carmen inſonantem
 Pompeii comitantur , & Catones :
 Seu magna ſacer & ſuperbus umbra
 Nefcis Tartaron , & procul nocentum.

90

91

100

105

110

115

Audis verbera, pallidumque visa
Matris lampade respicis Neronem,
Adsis lucidus; &, vocante Polla,
Unum, quælo, diem Deos silentum
Exores; solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.

Hæc te non thiasis procax dolofis
Falsi numinis induit figuræ;
Ipsum sed colit, & frequentat ipsum
Imis altius infitum medullis:
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prænitet, excubatque somno
Securæ. Procul hinc abite mortes;
Hæc vitæ genitalis est origo:
Cedat luctus atrox, genisque manent
Jam dulces lacrimæ; dolorque festus
Quidquid fleverat ante, nunc adoret.

120

125

130

135

P. PAPINII STATII
 SILVARUM
 LIBER III.

Statius Pollio suo salutem.

TIBI certe, Polli dulcissime, & hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime, non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem, cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos, & hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus, altius literas intro, & in omnes a te studiorum sinus ducor. Securus itaque tertius hic Silvarum nostrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem & secundus testem; sed hic habet auctorem. Nam primum limen ejus Hercules Surrentinus aperit, quem in litore tuo consecratum, statim ut videbam, his versibus adoravi. Sequitur libellus, quo splendidissimum & mihi jucundissimum juvenem, Metium Celerem, a sacratissimo Imperatore missum ad legionem Syriacam, quia sequi non poteram,

sic prosecutus sum. Merebatur & Claudiī Etrūscī
mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium , cum
lugeret veris (quod amarissimum est) lacrimis se-
nem patrem. Earinus præterea , Germanici nostri
libertus , scit quamdiu desiderium ejus moratus sim,
cum petiisset , ut Capillos suos , quos cum gemma-
ta pyxide & speculo ad Pergamenū Asclepium
mittebat , versibus dedicarem. Summa est Ecloga ,
qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam
exhortor. Hic , si verum dicimus , sermo est ; &
quidem securus , ut cum uxore , & qui persuadere
malit , quam placere. Huic præcipue libello fave-
bis , cum scias habere destinationem quietis meā ,
& tibi maxime intendere : meque non tam in pa-
triam , quam ad te secedere.

I. *Hercules Surrentinus Pollii Felicis.*

INTERMISSA tibi renovat , Tirynthie , sacra
Pollius ; & causas designat desidis anni ,
Quod coleris majore tholo ; nec litora pauper
Nuda tenes , teclumque vagis habitabile nautis ,
Sed nitidos postes , Graifisque effulta metallis ,
Culmina ; ceu tædis iterum lustratus honesti
Ignis , ab Ætæa conscenderis æthera flamma.
Vix oculis , animoque fides : tune ille reclusi
Liminis , & parvæ custos inglorius aræ ?
Unde hæc aula recens , fulgorque inopinus agresti
Alcidæ ? sunt fatæ Deūm , sunt fata locorum.

O velox pietas! steriles hic nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras
Cernere erat: quænam subito fortuna rigentes
Divisit scopulos? Tyrione hæc mœnia plectro,
An Getica venere lyra? stupet ipse labores
Annus, & angusto biffeni limite menses
Longæcum mirantur opus. Deus affuit, arcæ
Erexitque suæ, atque oblungantia saxa
Summovit nitens, & magno pectore montem
Reppulit; immitem credas jussisse novercam.
Ergo, age, seu patrios, liber jam legibus, Argos
Incolis, & mersum tumulis Eurylthea calcas:
Sive tui solium Jovis, & virtute parata
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe;
Huc ades, & genium templis nascentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis;
Sed felix, simplexque domus, fraudumque malarum
Inscia, & hospitibus Superis dignissima fedes.
Pone truces arcus, agmenque immite pharetræ,
Et regum multo perfusum sanguine robur,
Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem.
Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur, & signis crescit torus asper eburnis.
Pacatus, mitisque veni; nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Mænalis Auge
Confectum thiasis, & multo fratre madentem,

15

20

25

30

35

40

Detinuit: qualemque vagæ post crimina noctis
Texitus obstupuit, toties ficer. hic tibi festa
Gymnas, & insontes juvenum fine cæstibus iræ
Annua veloci peragunt certamina lustro. 45


Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos
Parvus adhuc, similisque tui, cum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.
Sed quænam subiti veneranda exordia templi,
Dic age, Calliope: socius tibi grande sonabit
Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cœli cum torrentissimus axis
Incumbit terris, iætusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.

Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas finit ire feras; omnisque pudicis
Itala terra focis Hecateias excolit idus. 55

Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Unda domi, curas mulcere, æstusque levare
Sufficerent; notas Sirenum nomine rupes,
Facundique larem Pollî non hospes habebam;
Affidue moresque viri, pacemque, novosque
Pieridum flores, intætaque carmina discens.
Forte diem Triviæ dum litore ducimus udo,
Angustasque fores assuetaque testa gravati
Frondibus & patula defendimus arbore soles;
Delituit cœlum, & subitis lux candida cessit. 70

Statius.

E



Nubibus, & tenuis graviore Favonius Austro
 Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
 Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
 Donatur, testesque ualant per devia Nymphæ. 75
 Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina
 Abripiunt famuli: nec quo convivia migrant;
 (Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
 Infedere domus, & multo culmine dives
 Mons nitet) instantes sed proxima querere nimbi
 Suadebant, læsique fides redditura sereni.
 Stabat dicta sacris tenuis casa, nomine templi,
 Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
 Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi
 Vix operire capax. huc omnis turba coimus; 80
 Huc epulæ, ditesque tori, cœtusque ministrum
 Stipantur, nitidæque cohors gratissima Pollæ.
 Non cepere fores, angustaque deficit ædes.
 Erubuit, risitque Deus, dilectaque Polli
 Corda subit, blandisque animum complectitur ulnis: 85
 Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa
 Testa Dicarchæa pariter, juvenemque replesti
 Parthenopen? nostro qui tot fastigia monti,
 Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,
 Æraque, tot scripto viventes lumine ceras
 Fixisti? quid enim ista domus, quid terra, priusquam 90
 Te gauderet, erant? longo tu tramite nudos
 Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum,
 Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis,
 Neforderet iter: curvi tu litoris ora
 Clausisti calidas gemina testudine nymphas. 95
 100

Vix opera enumerem : mihi pauper , & indigus uni
 Pollius ? & tales hilaris tamen intro penates ,
 Et litus , quod pandis , amo . sed proxima sedem
 Despicit , & tacite ridet mea numina Juno.

105

Da templum , dignasque tuis conatibus aras ,
 Quas puppes velis nolint transfire secundis :
 Quo pater ætherius , mensisque accita Deorum
 Turba , & ab excelsa veniat soror hospita tecto .
 Nec te , quod solidus contra riget umbo maligni
 Montis , & immenso non unquam excisus ab ævo ,
 Terreat ; ipse adero , & conamina tanta juvabo ,
 Asperaque invitæ perfringam viscera terræ .

110

Incipe , & Herculeis fidens hortatibus aude .

115

Non Amphioniae steterint velocius arces ,

Pergamensve labor . dixit , mentemque reliquit .

Nec mora , conscripta formantur imagine templa :

Innumeræ coiere manus . his cædere filvas ,

Et levare trabes : illis immergere curæ

Fundamenta solo . coquitur pars uida terræ

120

Protectura hiemes , atque exclusura pruinæ ;

Indomitusque filex curva fornace liquevit .

Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra

Oppositas rupes , & saxa negantia ferro .

Hic pater ipse loci , positis Tirynthius armis

125

Insudat , validaque solum deforme bipenni ,

Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra ,

Ipse fudit . dites Capreæ , viridesque resultant

Taurubulæ , & terris ingens reddit æquoris echo .

Non tam grande sonat motis incudibus Aëtna ,

130

Cum Brontes Steropesque ferit : nec major ab antris

Lemniacis fragor est, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, & castris exornat Pallada donis.

Decrescunt scopuli, & rosea sub luce reverfi

Artifices mirantur opus. vix annus anhelat

Alter, & ingenti dives Tirynthius arce

Despectat fluctus, & junctæ tecta novercæ

Provocat, & dignis invitat Pallada templis.

Jam placidæ dant signa tubæ, jam fortibus ardens

Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores

Juppiter, aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ.

Nil his triste locis. cedat lacrimabilis Isthmos,

Cedat atrox Nemee: litat hic felicior infans.

Ipsæ pumiceis virides Nereides antris

Exsiliunt ultro, & scopulis uentibus hærent;

Nec pudet occulte nudas spectare palæstras.

Spectat & Icario nemorosus palmite Gaurus,

Silvaque, quæ cinctam pelago Nesida coronat;

Et placidus Limon, omenque Euplecta carinis,

Et Lucrina Venus; Phrygioque e vertice Graias

Adsciscis, Misene, tubas: ridetque benigna

Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum

Certatus, & parva suæ simulacula coronæ.

Quin age, & ipse libens proprii certaminis aëtus

Invieta dignare manu: seu nubila disco

Findere, seu volucres Zephyros prævertere telo,

Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras,

Indulge his sacris: & si tibi poma superflunt

Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ;

Nam capit, & tantum non degener ambit honorem.

Quod si dulce decus viridesque resumeret annos,

135

140

145

150

155

160

(Da veniam, Alcide) fors huic & pensa tulisses.

Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras

Libamenta tuli. nunc ipsum in limine cerno

Solventem voces, & talia dicta ferentem :

165

MACTE animis opibusque, meos imitate labores,

Qui rigidas rupes, infœcundæque pudenda

Naturæ deserta domas, & vertis in usum

Lustra habitata feris, foedeque latentia profers

Numina. quæ tibi nunc meritorum præmia solvam?

170

Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,

Extendamque colus: duram scio vincere mortem:

Avertam lucretus, & tristia damna vetabo,

Teque nihil læsum viridi renovabo fenecta;

Concedamque diu juvenes spectare nepotes:

175

Donec & hic sponsæ maturus, & illa marito;

Rursus & ex illis soboles nova, grexque protervus

Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando

Certatim placidæ concurrat ad oscula Pollæ.

Nam templis nunquam statuetur terminus ævi,

180

Dum me flammigeri portabit machina coeli.

Nec mihi plus Nemee, priscumve habitabitur Argos;

Nec Tiburna domus, solisve cubilia Gades.

Sic ait, & tangens surgentem altaribus ignem,

Populeaque movens albentia tempora silva,

185

Et Styga & ætherei juravit fulmina patris.

II. *Propempticon Metio Celeri.*

Di, quibus audaces amor est servare carinas,
 Sævaque ventosi mulcere pericula ponti,
 Sternite molle fretum, placidumque advertite votis
 Concilium, & lenis non obstrepat unda precanti.
 Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo
 Depositum. juvenis dubia committitur alno
 Metius, atque animæ partem super æquora nostræ
 Majorem transferre parat, proferte benigna
 Sidera, & antennæ gemino confidite cornu,
 Æbalii fratres: vobis pontusque polusque
 Luceat: Iliacæ longe nimboſa fororis
 Astra fugate, precor, totoque excludite cœlo.
 Vos quoque cæruleum, divæ Nereides, agmen,
 Quis honor, & regni cessit fortuna secundi,
 (Dicere quas magni fas sit mihi fidera ponii)
 Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,
 Baianosque finus, & foeta tepentibus undis
 Litora tranquillo certatim ambite natatu,
 Quærentes ubi celsa ratis, quam scandere gaudet
 Nobilis Ausoniæ Celer armipotens alumrus.
 Nec quærenda diu: modo nam trans æquora terris
 Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum:
 Prima salutavit Capreas, & marginè dextro
 Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.
 Hujus utrumque latus molli præcingite gyro;
 Partitæque vices, vos stupea tendite mali

Vincula, vos summis anneclite suppura velis,
Vos Zephyris aperite sinus: pars transtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.

Sint, quibus exploret rupes gravis arte molybdis, 30
Quæque secuturam religent post terga phaselon,
Uncaque submersæ penitus retinacula yellant.

Temperet hæc æstus, pelagusque inclinet ad ortus:
Officio careat glaucarum nulla fororum.

Huic multo Proteus, geminoque huic corpore Triton. 35
Prænatet; & subitis qui perdidit inguina monstros.
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Litoream blanda feriens Anthedona cauda.

Tu tamen ante omnes, Diva cum matre Palæmon,
Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas, 40
Nec cano degeneri Phœbeum Amphiona plectro.

Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii fatus, omnisque per æquora ponti
Spiritus, atque hiemes nimbofaque nubila parent,
Arctius objecto Borean, Eurumque, Notumque 45
Monte premat: soli Zephyro sit copia cœli,
Solus agat puppes, summasque supernatet undas
Affiduuus pelago; donec tua, turbine nullo,
Læta Paretoniis assignet carbasa ripis.

Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes. 50

Increpat. inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamvis movet ominis horror;
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.

Jamque ratem terris divisit fune soluto
Navita, & angustum dejicit in æquora pontem: 55
Sævus & e puppi longo clamore magister

Dissipat amplexus , atque oscula fida revellit ,
Nec longum cara licet in cervice morari.

Attamen in terras e plebe novissimus omni
Ibo , nec egrediar nisi jam cedente carina.

60

Quis rude , & abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos

Expulit in fluctus , pelagoque immisit hiantes ?
Audax ingenii ; nec enim temeraria virtus

Illa magis , summæ gelidum quæ Pelion Ossæ
Junxit , anhelantemque jugis bis preffit Olympum.

65

Usque adeone parum lentes transire paludes ,
Stagnaque & angustos summittere pontibus amnes ?

Imus in abruptum , gentilesque undique terras
Fugimus , exigua clausi trabe , & aere nudo.

70

Inde furor ventis , indignataque procellæ ,
Et cœli fremitus , & fulmina plura Tonanti.

Ante rates , pigro torpebant æquora somno ;
Nec spumare Thetis , nec spargere nubila fluctus

75

Audebant : visis tumuerunt pupibus undæ ,
Inque hominem surrexit hiems . tunc nubila Pleias ,

Oleniumque pecus ; solito tunc pejor Orion.

Justa queror : fugit ecce vagas ratis asta per undas
Paulatim minor , & longe servantia vincit

Lumina , tot gracili ligno complexa timores ,
Teque super reliquos , te , nostri pignus amoris

80

Portatura , Celer . quos nunc ego pectore somnos ,
Quosve queam perferre dies ? quis cuncta paventi

Nuntius , an facilis te prætermiserit unda

Lucani rabida ora maris ? num torva Charybdis
Fluctuet , aut Siculi populatrix virgo profundi ?

85

Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?

Quæ pax Carpathio? quali te subvehat aura

Doris Agenorei furtis blandita juvenci?

Sed merui questus: quid enim, te castra petente,

Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos

Cimmeriumque Chaos? starem prope bellica regis

Signa mei, seu tela manu, seu frena teneres,

Armatis seu jura dares; operumque tuorum

Eris non socius, certe mirator aedessem.

90

Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli

Litus ad Iliacum, Thymbræaque Pergama venit

Imbellis, tumidoque nihil juratus Atridæ,

Cur nobis ignavus amor? sed peccatore fido

Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis.

100

Ifi, Phoroneis quondam stabulata sub antris,

Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,

Excipe multisono puppem Mareotida fistro:

Ac juvenem egregium, Latini cui ductor Eoa

Signa, Palæstinasque dedit frenare cohortes,

Ipsa manu placida per limina festa, sacrosque

Duc portus, urbesque tuas. te præside, noscat

Unde paludosæ fœcunda licentia Nili:

Cur vada desidant, & ripa coercent undas

Cecropio signata luto: cur invida Memphis,

Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi:

Cur servet Pharias Lethæus janitor aras;

Vilia cur magnos æquent animalia Divos:

Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix:

Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili

105

Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

110

115

Duc & ad Æmathios manes , ubi belliger urbis
 Conditor Hyblæo perfusus nectare durat :
 Anguiferamque domum , blando qua mersa veneno
 Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas. 120

Usque & in Assyrias sedes , mandataque castra
 Prosequere , & Marti juvenem , Dea , trade Latino.
 Nec novus hospes erit : puer his sudavit in arvis
 Notus adhuc tantum majoris munere clavi :
 Jam tamen & turmas facilis prævertere gyro 125
 Fortis , & Eoas jaculo damnare sagittas.
 Ergo erit illa dies , qua te majora daturus
 Cæsar ab emerito jubeat discedere bello ?
 At nos hoc iterum stantes in litore , vastos
 Cernemus fluëtus , aliasque rogabimus auras. 130

O tum quantus ego ! aut quanta votiva movebo.
 Pleætra lyra ! cum me magna cervice ligatum
 Attolles humeris , atque in mea pectora primum
 Incumbes e puppe novus , servataque reddes.
 Colloquia , inque vicem medios narrabimus annos : 135
 Tu , rapidum Euphraten , & regia Baætra , sacrasque
 Antiquæ Babylonis opes , & Zeugma , Latinæ
 Pacis iter : qua dulce nemus florentis Idumes ;
 Quo pretiosa Tyros rubeat , quo purpura fuco.
 Sidoniis iterata cadis ; quo germine primum 140
 Candida felices sudent opobalsama virgæ :
 Ast ego , devictis dederim quæ justa Pelasgis ,
 Quæque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

III. Lacrimæ Claudi Etrusci.

SUMMA Deum Pietas, cuius gratissima cœlo
 Rara profanatas inspectant numina terras,
 Huc vittata comam, niveoque insignis amictu,
 Qualis adhuc præsens, nullaque expulsa nocentum
 Frande, rudes populos atque aurea regna colebas,
 Mitibus exsequiis ades; & lugentis Etrusci
 Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.
 Nam quis inexpleto rumpentem pectora questu,
 Complexumque rogos, incumbentemque favillis
 Aspiciens, non aut primævæ funera plangi
 Conjugis, aut nati modo pubescentia credat
 Ora rapi flammis? pater est, qui fletur. adeste
 Dique hominesque sacris. procul hinc, procul ite nocentes;
 Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
 Longa patris; si quis pulsatae conscius umbram
 Matris, & inferna rigidum timet Æacon urna.
 Infantes, castosque voco. tenet ecce seniles
 Leniter applicitos vultus, sanctamque parentis
 Canitem spargit lacrimis, animaque supremum
 Frigus amat: celeres genitoris filius annos,
 (Mira fides) pigrasque putat properasse sorores.
 Exsultent placidi Lethæa ad flumina manes,
 Elysiae gaudete domus: date ferta per aras,
 Festaque pallentes hilarent altaria lucos.
 Felix, heu nimium felix, plorataque nato
 Umbra venit. longe Furiarum sibila, longe

Tergeminus custos. penitus via longa parescat
 Manibus egregiis. eat , horrendumque silentis
 Accedat domini solium , gratesque supremas
 Perferat , & totidem juveni roget anxius annos. 30
 Maete pio gemitu ! dabimus solatia dignis
 Lustibus , Aoniaisque tuo sacrabimus ultro
 Inferias , Etrusce , seni. tu largus Eoa
 Germina , tu messes Cilicumque Arabumque superbis
 Merge rogis : ferat ignis opes heredis , & alto 35
 Aggere missuri nitido pia nubila coelo
 Stipentur cineres: nos non arsura feremus
 Munera ; venturosque tuus durabit in annos ,
 Me monstrante , dolor. neque enim mihi flere parentem
 Ignotum , & similes gemui projectus ad ignes. 40
 Ille mihi tua damna dies compescere cantu
 Suadet ; & ipse tuli , quos nunc tibi confero , questus.
 Non tibi clara quidem , senior placidissime , gentis
 Linea , nec proavis demissum stemma : sed ingens
 Supplevit fortuna genus , culpamque parentum 45
 Occuluit. neque enim dominos de plebe tulisti ;
 Sed quibus occasus pariter famulantur & ortus.
 Nec pudor iste tibi : quid enim terrisque poloque
 Parendi sine lege manet ? vice cuncta reguntur ,
 Alternisque regunt. propriis sub regibus omnis 50
 Terra : premit felix regum diademata Roma ;
 Hanc ducibus frenare datum : mox crescit in illos
 Imperium Superis. sed habent & numina legem :
 Servit & astrorum velox chorus , & vaga servit
 Luna , nec injussi toties redit orbita solis. 55
 Et (modo si fas est æquare jacentia summis)

- Pertulit & sævi Tirynthius horrida regis
Paæta , nec erubuit famulantis fistula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris :
Smyrna tibi gentile solum , potusque verendo 60
Fonte Meles , Hermique vadum ; quo Lydius intrat
Bacchus & aurato reficit sua cornua limo.
Læta dehinc series , varijsque ex ordine curis
Auctus honos ; semperque gradus prope numina , semper
Cæsareum coluisse latus , sacrificque Deorum 65
Arcanis hærere datum. Tibereia primum
Aula tibi , vix dum ora nova mutante juventa ,
Panditur. hic , annis multa super indole victis ,
Libertas oblata venit. nec proximus heres ,
Immitis quanquam & furiis agitatus , abegit.
Hunc & in Arctoas tenuis comes usque pruinias 70
Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque suis , ut qui metuenda ferarum
Corda domant , mersasque jubent jam sanguine tacto
Reddere ab ore manus , & nulla vivere præda. 75
Præcipuos sed enim merito subvexit in ætus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem
Claudius , & longo transmisit habere Neroni.
Quis Superos metuens pariter tot templa , tot aras
Promeruisse datur ? summi Jovis aliger Arcas 80
Nuntius : imbrifera potitur Thaumantide Juno :
Stat celer obsequio jussa ad Neptunia Triton :
Tu toties mutata ducum juga rite tulisti
Integer , inque omni felix tua cymba profundo.
Jamque piam lux alta domum , præcelsaque toto 85
Intravit Fortuna gradu. jam creditur uni

Sanctarum digestus opum , sparsæque per omnes
 Divitiae populos , magnique impendia mundi.
 Quidquid ab auriferis ejestat Iberia fossis ,
 Dalmatico quod monte nitet , quod messibus Afris 90
 Verritur , æstiferi quidquid terit area Nili ,
 Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi ,
 Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi ,
 Perspicuæque nives , Massylaque robora , & Indi
 Dentis honos : uni parent commissa ministro , 95
 Quæ Boreas , quæque Eurus atrox , quæ nubilus Auster
 Invehit hibernos citius numeraveris imbræ ,
 Silvarumque comas . vigil iste animique sagacis
 Exitus evolvit , quantum Romana sub omni
 Pila die , quantumque Tribus : quid templa , quid alti 100
 Undarum cursus , quid propugnacula poscant
 Æquoris , aut longe series porrecta viarum :
 Quod Domini celsis niteat laquearibus aurum ,
 Quæ Divum in vultus igni formanda liqueſcat
 Massa ; quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ. 105
 Hinc tibi rara quies , animoque exclusa voluptas ,
 Exiguæque dapes , & nunquam læſa profundo
 Cura mero . sed jura tamen genialia cordi ,
 Et mentem vincire toris , & jungere festa
 Connubia , & fidos domino genuisse clientes. 110
 Quis sublime decus formamque insignis Etruscæ
 Nesciat ? haud unquam proprio mihi cognita viſu ,
 Sed decus eximium formæ par reddit imago
 Vultibus , & similis natorum gratia monstrat.
 Nec vulgare genus : fasces , summamque curulem 115
 Frater , & Ausonios enſes , mandataque fidus

Signa tulit, cum prima truces amentia Dacos
Impulit, & magno gens est damnata triumpho.
Sic quidquid patrio cessatum a sanguine, mater
Reddidit; obscurumque latus clarescere vidit

120

Connubio gavisa domus. nec pignora longe:
Quippe bis ad partus venit Lucina, manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fœcunda labores.

Felix ah! si longa dies, si cernere vultus
Natorum viridesque genas tibi justa dedissent

125

Stamina! sed media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos:

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesve rosæ primos moriuntur ad Austros,

Aut uti verna novis exspirat purpura pratis.

130

Illa sagittiferi circumvoltaстis, Amores,
Funera, maternoque rogos unxitis amomo:

Nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem
Spargere, collatæque pyram struxere pharetræ.

Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dedisset,

135

Maternis; Etrusce, rogis, qui funera patris

Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?

Illum &, qui nutu superas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus & astris,

Lætus Idumæi donavit honore triumphi:

140

Dignatusque loco vietricis & ordine pompæ

Non vetuit, tenuesque nihil minuere parentes.

Atque idem in cuneos populum cum duxit equestres,

Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum

Exuit, & celse natorum æquavit honori.

145

Dextra bis oetonis fluxerunt secula lustris,

Atque ævi sine nube tenor. Quam dives in usus
Natorum, totoque volens exceedere censu,
Tetris adhuc largi nitor inde assuetus Etrusci,
Cui tua non humiles dedit indulgentia mores. 150

Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas
Blandus, & imperio nunquam pater: hujus honori
Pronior ipse etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti juvenes pro patre renato, 155

Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?

Tu (seu tarda situ, rebusque exhausta senectus
Erravit; seu blanda diu Fortuna regressum
Maluit) attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum lenique procella 160

Contentus monuisse senem: cumque horrida supra
Æquora, curarum socius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani litoris oras,
Et Diomedeads concedere jussus in arces,
Atque hospes, non exsul erat. nec plura moratus
Romuleum referas iterum, Germanice, limen, 165

Mœrentemque foves, inclinatosque penates
Erigis. hand mirum, Ductor placidissime; quando
Hæc est, quæ viæ parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem:
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque 170

Sauromatas Latio non est dignata triumpho.
Jamque in fine dies, & inexorabile pensum
Deficit. hic moesti pietas me poscit Etrusci
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati jam certus olor, sævique marita 175

Tereos. Heu quantis lassantem brachia vidi

Planctibus, & prono fusum super oscula vultu!
 Vix famuli, comitesque tenent, vix arduis ignis
 Submovet, haud aliter gemuit perjuria Theseus
 Litore, quo falsis deceperat Ægea velis. 180
 Tunc immane fremens, sœdatusque ora, repentes
 Affatur cineres: Cur nos, fidissime, linquis
 Fortuna redeunte, pater? modo numina magni
 Præfidis, atque breves Superum pacavimus iras,
 Nec frueris; tantique orbatus muneris usu 185
 Ad Manes, ingrate, fugis, nec flectere Parcas,
 Aut placare malæ datur aspera numina Lethes?
 Felix, cui magna patrem cervice vehenti
 Sacra Mycenæ patuit reverentia flammæ! VI
 Quique tener sœvis genitorem Scipio Pœnis 190
 Abstulit, & Lydi pietas temeraria Lausi.
 Ergo & Thessalici conjux pensare mariti
 Funus, & immitem potuit Styga vincere supplex
 Thracius? ah quanto melius pro parte liceret!
 Non totus rapiere tamen, nec funera mittam 195
 Longius: hic manes, hic intra testa tenebo.
 Tu custos, dominusque laris; tibi cuncta tuorum
 Parebunt. ego rite minor, semperque secundus
 Affidua libabo dapes & pocula sacris
 Manibus, effigiesque colam: te lucida faxa, 200
 Te similem doctæ referet mihi linea cera:
 Nunc ebur, & fulvum vultus imitabitur aurum.
 Inde viam morum, longæque examina vitæ,
 Affatusque pios, monituraque somnia poscam.
 Talia dicentem genitor dulcedine læta 205
 Audit, & immites lente descendit ad umbras,
 Stadius. F

Verbaque dilecta fert narraturus Etruscæ.
 Salve supremum, senior mitissime patrum,
 Supremumque vale: qui nunquam, fospite nato,
 Triste Chaos, moestique situs patiere sepulcri. 210
 Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
 Semper & Assyrios felix bibet urna liquores,
 Et lacrimas, qui major honos. hic sacra litabit
 Manibus, inque tua tumulum tellure levabit.
 Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit, 215
 Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

IV. *Capilli Flavii Earini.*

ITE, comæ, facilemque precor transcurrite pontum:
 Ite, coronato recubantes molliter auro:
 Ite, dabit cursus mitis Cytherea secundos,
 Placabitque Notos: fors & de puppe timenda
 Transferet, inque sua ducet super æquora concha. 5
 Accipe laudatos, juvenis Phœbeie, crines,
 Quos tibi Cæsareus donat puer: accipe lætus,
 Intonsoque ostende patri. sine dulce nitentes
 Comparet, atque dum fratrīs putet esse Lyæi.
 Forsan & ipse comæ nunquam labentis honorem 10
 Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro.
 Pergame, pinifera multum felicior Ida!
 Illa licet sacræ placeat fibi laude rapinæ;
 (Nempe dedit Superis illum, quem turbida semper
 Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat) 15
 At in grata Deis, pulchroque insignis alumno,

- Misisti Latio placida quem fronte ministrum
 Juppiter Ausonius pariter , Romanaque Juno
 Aspiciunt , & uterque probant. Nec tanta potenti
 Terrarum Domino Divum sine mente voluptas. 20
- Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
 Dum petit , & molles agitat Venus aurea cygnos ;
 Pergameas intrasse domos , ubi maximus ægris
 Auxiliator adest , & festinantia fistens
 Fata salutifero mitis Deus incubat angui. 25
- Hic puerum egregiæ præclarum fidere formæ
 Ipsius ante Dei ludentem conspicit aras.
- Ac primum subita paulum decepta figura
 Natorum de plebe putat : sed non erat illi
 Arcus , & ex humeris nullæ fulgentibus umbræ. 30
- Miratur puerile decus ; vultumque comasque
 Aspiciens , Tunc Ausonias , ait , ibis ad arces ,
 Neglectus Veneri ? tu sordida tecta , jugumque
 Servitii vulgare feres ? procul absit : ego isti ,
 Quem meruit , formæ dominum dabo. vade age mecum , 35
- Vade , puer ; ducam volucri per fidera curru
 Donum immane duci : nec te plebeia manebunt
 Jura ; Palatino famulus deberis amori.
 Nil ego , nil , fateor , toto tam dulce sub orbe
 Aut vidi , aut genui. cedat tibi Latmius ultro 40
- Sangariusque puer ; quemque irrita fontis imago ,
 Et sterilis consumfis amor. te coerulea Nais
 Mallet , & apprensa traxisset fortius urna.
 Tu , puer , ante omnes ; solus formosior ille ,
 Cui daberis. Sic orsa , leves secum ipsa per auras 45
- Tollit , olorinaque jubet confidere biga.

Nec mora : jam Latii montes , veterisque penates
Evandri , quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit , & summis æquat Germanicus astris.
Tunc propior jam cura Deæ , quæ forma capillis 50
Optima , quæ vestis roseos accendere vultus
Apta ; quod in digitis , collo quod dignius aurum.
Norat cœlestes oculos ducis , ipsaque tædas
Junxerat , & plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines , Tyrios sic fundit amictus ; 55
Dat radios , ignemque suum. cessere priores
Deliciæ , famulūmque greges: hic pocula magno
Prima duci , myrrhasque graves , crystallaque portat
Candidiore manu : crescit nova gratia Baccho.
Care puer , Superis qui prælibare verendum 60
Nectar , & ingentem toties contingere dextram
Electus , quam nosse Getæ , quam tangere Persæ ,
Armeniique , Indique petunt ! O fidere dextro
Edita , multa tibi Divum indulgentia favit !
Olim etiam , ne prima genas lanugo nitentes 65
Spargeret , & pulchræ fuscaret gratia formæ ,
Ipse Deus patriæ , celsam trans æquora liquit
Pergamon. haud ulli puerum mollire potestas
Credita ; sed tacita juvenis Phœbeïus arte
Leniter , & nullo concussum vulnere corpus 70
De sexu transfire jubet. tamen anxia curis
Mordetur , puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cooperat ortu
Intactos servare mares ; nunc frangere sexum ,
Atque hominem mutare nefas ; gavisaque solos 75
Quos genuit , Natura videt ; nec lege finistra

Ferre timent famulæ natorum pondera matres.

Tu quoque, nunc juvenis, genitus si tardius es,

Uinbratusque genas, & adultos fortior artus,

Non unum gaudens Phœbea ad limina munus

80

Misifses: patrias nunc vertex solus ad aras

Naviget. hunc multo Paphie saturabat amomo,

Hunc nova tergemina repetebat Gratia dextra.

Huic & purpurei cedat coma saucia Nisi,

Et quam Sperckio tumidus servabat Achilles.

85

Ipsi, cum primum niveam præcerpere frontem

Decretum est, humerosque manu nudare nitentes,

Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,

Expediuntque comas, & serica pectora ponunt

Pallia. tunc junctis crinem incidere sagittis,

90

Arque auro, gemmisque locant: rapit ipsa cadentes

Mater, & arcanos iterat Cytherea liquores.

Tunc puer e turba, manibus qui forte supinis

Nobile gemmato speculum portaverat auro,

Hoc quoque demus, ait; patriis nec gratius ullum.

95

Munus erit templis, ipsoque potentius auro.

Tu modo fige aciem, & vultus hos usque relinque.

Sic ait, & speculum seclusit imagine raptæ.

At puer egregias tendens ad sidera palmas,

His mihi pro donis, hominum mitissime custos,

100

(Si merui) longa dominum renovare juventa,

Atque orbi servare velis! hoc sidera tecum,

Hoc undæ, terræque rogant. eat, oro, per annos.

Iliacos, Pyliosque situs; propriosque penates.

Gaudeat, & secum Tarpeia senescere templa.

105

Sic ait, & motas miratur Pergamos aras.

V. *Ad Claudiam uxorem.*

QUID mihi mœsta die, sociis quid noctibus, uxor,
 Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
 Non metuo, ne læsa fides, aut peccatore in isto
 Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
 (Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu)
 Non datur. & si egomet patrio de litore raptus
 Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris
 Errarem, tu mille procos intacta fugares;
 Non imperfectas commenta retexere telas,
 Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses.
 Dic tamen, unde alia mihi fronte, & nubila vultus?
 Anne quod Euboicos fessus remeare penates
 Auguror, & patria senium componere terra?
 Cur hoc triste tibi? certe lascivia cordi
 Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
 Aut intrat sensus clamoris turba theatri;
 Sed probitas, & opaca quies, & sordida nunquam
 Gaudia. Quas antem comitem te rapto per undas?
 Quanquam, & si gelidas irem mansurus ad Arctos,
 Vel super Hesperiae vada caligantia Thules,
 Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili,
 Hortarere vias. Etenim tua, (nempe benigna
 Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis
 Servet & in senium;) tua, (quæ me vulnere primo
 Intactum thalamis, & adhuc juvenile vagantem
 Fixisti) tua frena libens, docilisque recepi;

Et semel infertas non mutaturus habenas
Usque premo. Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis , sanctoque indurum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis ; fertisque dedisti 39.
Oscula anhela meis. Tu , cum Capitolia nostræ
Inficiata lyrae , sœyum ingratumque dolebas
Mecum vieta Jovem : tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis , motasque in murmura voces
Aure rapis vigili : longi tu sola laboris 35.
Conscia , cumque tuis crevit mea Thebaïs annis.
Qualem te nuper Stygias prope raptus ad undas ,
Cum jam Lethæos audirem cominus amnes ,
Aspexi ! tenuique oculos jam morte cadentes.
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati- 40.
Te tantum miserata dedit , Superique potentes
Invidiam timuere tuam. post ista , propinquum
Nunc iter , optatosque sinus comes ire moraris ?
Heu ubi nota fides , totque explorata per usus ,
Qua veteres Latias , Graiasque Heroïdas æquas ? 45
Iset ad Iliacas (quid enim deterret amantes ?)
Penelope gavisæ domos , si passus Ulixes.
Questa est Ægiale , questa est Melibœa relinqui ,
Et quanquam sœvi fecerunt Mænada planctus.
Nec minor his tu nosse fidem , firmamque maritis 50
Reddere. sic certe cineres , umbramque priorem
Quæris adhuc : sic exsequias amplexa canori
Conjugis , ingentes iteras de pectore planctus ,
Jam mea. Nec pietas alia est tibi , curaque natæ :
Sic ut mater amas , sic nunquam corde recedit 55
Nata tuo ; fixamque animi penetralibus imis.

Noëte, dieque tenes. non sic Trachinia nidos
 Alcyone veros, non sic Philomela penates
 Circuit, amplexusque animamque in pignora transfert.
 Et nunc illa tenet viduum quod sola cubile, 63
 Otia tam pulchræ terit infœcunda juventæ:
 Sed venient plenis, venient connubia, tædis.
 Sic certe, formæque bonis, animique meretur:
 Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
 Discendum Musis sonat, & mea carmina flectit, 65
 Candida seu molli diducit brachia motu;
 Ingenium probitas, artemque modestia vincit.
 Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
 Hoc cessare decus? Nec tantum Roma jugales
 Conciliare toros, festasque accendere tædas 70
 Fertilis; & nostra generi tellure dabuntur.
 Non adeo Vesuvinus apex, & flammea diri
 Montis hiems trepidas exhaustis civibus urbes:
 Stant, populisque vigent. hic auspice condita Phœbo
 Teuta, Dicarchei portus, & litora mundo 75
 Hospita: & hic magnæ tractus imitantia Romæ
 Quæ Capys adveftis implevit mœnia Teucris.
 Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
 Parthenope; cui mite solum trans æquora vextæ
 Ipse Dionæa monstravit Apollo columba. 80
 Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace,
 Nec Libye natale solum) transferre labore:
 Quas & mollis hiems, & frigida temperat æftas:
 Quas imbellè fretum torpentibus alluit undis.
 Pax secura locis, & desidis otia vitæ, 85
 Et nunquam turbæ quies, somnique peracti.

Nulla foro rabies , aut strictæ jurgia leges
Norunt: jura viris solum , & sine fascibus , æquum.
Quid nunc magnificas species , cultusque locorum ,
Templaque , & innumeris spatia interstincta columnis ; 90
Et geminam molem nudi teatique theatri ,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris ;
Quid laudem risus , libertatemque Menandri ,
Quam Romanus honos & Graia licentia miscent ?
Nec defunct variæ circum oblectamina vitæ : 95
Sive vaporiferas , blandissima litora , Baias ,
Enthea satidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce fit , Iliacoque jugum memorabile remo :
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri ,
Teleboumque domos ; trepidis ubi dulcia nautis 100
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ :
Caraque non molli juga Surrentina Lyæo ,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget :
Ænariæque lacus medicos , Statinasque renatas.
Mille tibi nostræ referam telluris amores : 105
Sed satis hoc , conjux , satis hoc dixisse , creavit
Me tibi , me socium longos adstrinxit in annos.
Nonne hæc amborum genitrix , altrixque videri
Digna ? sed ingratus qui plura adnecto , tuisque
Moribus indubito : venies , carissima conjux , 110
Præveniesque etiam : sine me tibi duotor aquarum
Tybris , & armiferi sordebunt tecta Quirini.

P. PAPINII STATII
S I L V A R U M
LIBER IV.

Ad Marcellum.

INVENI librum, Marcellae carissime, quem pietati
tuæ dedicarem. Reor equidem aliter, quam invo-
cato numine maximi Imperatoris, nullum opusculum
meum cœpisse. Sed hic liber tres habet. Sequitur
quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo au-
tem septimum decimum Germanici nostri consula-
tum adoravi. Secundo gratias egi sacratissimis ejus
epulis honoratus. Tertio Viam Domitianam mira-
tus sum, quæ gravissimam arenarum moram exe-
mit: cuius beneficio tu quoque maturius epistolam
eam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli
scribo. Proximum est lyricum carmen ad Septi-
mium Severum, juvenem (uti scis) inter ornatissi-
mos secundi ordinis, tuum quidem etiam con-
discipulum; sed mihi contra hoc quoque jus, arc-
tissime carum, nam Vindicis nostri Herculem Epi-

trapezion , secundum honorem , quem de me , & de ipsis studiis meretur , imputare etiam tibi possum. Maximum Junium dignitatis & eloquentiae nomine a nobis diligi , fatis eram testatus epistola , quam ad illum de editione Thebaidos meae publicavi. sed nunc quoque eum reverti maturius e Dalmatia rogo. Juncta est Ecloga ad municipem meum Julium Menecratem , splendidum juvenem , & Pollii mei generum ; cui gratulator , quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypho , majoris gradus juveni , dignius opusculum reddam : sed interin Hendecasyllabos , quos Saturnalibus una risimus , huic volumini inferui. Quare ergo plura in quarto Silvarum , quam in prioribus ? Ne se putent aliquid egisse , qui reprehenderunt (ut audio) quod hoc stili genus edidissent. Primum , supervacuum est dissuadere rem factam. Deinde , multa ex illis jam Domino Cæsari dederam ; & quanto hoc plus est , quam edere ? Exercere autem jocos non licet ? si secreto , inquit. Sed & Sphæromachias spectamus , & pilaris lusio admittitur. novissime , quisquis ex meis invidus aliquid legit , statim se profitetur adversum : itaque consilio ejus accedam ? In summa , nempe ego sum , qui traducor : taceat , & gaudeat. Hunc tamen librum tu , Marcella , defendes. Et , si videatur , hactenus : si minus , reprehendemur.

I. XVII Consulatus Imp. Aug. Germanici
Domitianus.

LAETA bis octonis accedit purpura fastis
 Cæfaris, insignemque aperit Germanicus annum,
 Atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris
 Clarius ipse nitens, & primo major Eoo.
 Exsultent leges Latiæ: gaudete, curules;
 Et septemgeminio janætantior æthera pulset
 Roma jugo: plusque ante alias Evandrius arces
 Collis ovet, subiere novi Palatia fasces,
 Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis
 Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.
 Ipse eriam immensi reparator maximus ævi
 Attollit vultus, & utroque a limine grates
 Janus agit: quem tu, vicina Pace ligatum,
 Omnia jussisti componere bella, novique
 In leges jurare fori, levat ecce supinas
 Hinc atque inde manus, geminaque hæc voce profatur:
SALVE, magne parens mundi, qui secula mecum
 Instaurare paras: talem te cernere semper
 Mense meo tua Roma cupit: sic tempora nasci,
 Sic annos intrare decet, da gaudia fastis
 Continua; hos humeros multo finus ambiat ostro,
 Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
 Aspicias ut templis aliis nitor, altior aris
 Ignis, & ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ.
 Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribusque,

Purpureique Patres ; lucemque a consule ducit
 Omnis honos. quid tale, precor , prior annus habebat ?
 Dic age , Roma potens , & mecum longa Vetus
 Dinumera fastos ; nec parva exempla recenze ,
 Sed quæ sola meus dignetur vincere Cæsar. 30
 Ter Latios deciesque tulit , labentibus annis ,
 Augustus fasces ; sed cœpit sero mereri :
 Tu juvenis prægressus avos. En quanta recusas ,
 Quanta vetas ! fletere tamen ; precibusque Senatus
 Permittes hanc sœpe diem. manet infuper ordo 35
 Longior , & totidem felix tibi Roma curules
 Terque quaterque dabit. mecum altera secula condes ,
 Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.
 Mille trophæa feres : tantum permitte triumphos.
 Restat Baætra novis , restat Babylona tributis 40
 Frenari : nondum in gremio Jovis Indica laurus ,
 Nondum Arabes , Seresque rogan ; nondum omnis honorem
 Annus habet , cupiuntque decem tua nomina menses .
 Sic Janus , clausoque libens se poste recepit .
 Tunc omen plausere fores , lætoque dederunt 45
 Signa polo ; longamque tibi , Dux magne , juventam
 Annuit , atque suos promisit Juppiter annos .

II. *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum*
Domitianum.

REGIA Sidoniæ convivia laudat Elisæ ,
 Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis :
 Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat

Æquore qui lento reducem consumfit Ulixen :
Aet ego , cui sacræ Cæsar nova gaudia coenæ 5
Nunc primum , dominaque dedit consurgere mensa ;
Qua celebrem mea vota lyra , quas solvere grates
Sufficiam ? non , si pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas & Smyrna & Mantua lauros ,
Digna loquar . mediis videor discumbere in astris 10
Cum Jove , & Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum . steriles transmisimus annos ;
Hæc ævi mihi prima dies , hæc limina vitæ.
Tene ego , regnator terrarum orbisque subacti
Magne parens , te , spes hominum , te , cura Deorum , 15
Cerno jacens ? datur hæc juxta , datur ora tueri
Vina inter , mensasque , & non assurgere fas est ?
Tectum augustum , ingens , non centum insigne columnis ,
Sed quantæ Superos cœlumque , Atlante remisso ,
Sustentare queant . stupet hoc vicina Tonantis 20
Regia , teque pari lætantur sede locatum
Numina , ne magnum properes escendere cœlum :
Tanta patet moles , effusæque impetus aulæ
Liberior campi , multumque amplexus aperti
Ætheros , & tantum domino minor : ille penates 25
Implet , & ingenti Genio juvat . Æmulus illic
Mons Libys , Iliacusque nitent , & multa Syene ,
Et Chios , & glauca certantia Doride saxa ,
Lunaque portandis tantum suffæcta columnis .
Longa super species : fessis vix culmina prendas 30
Visibus , auratique pures laquearia cœli
Hic cum Romuleos proceres , trabeataque Cæsar
Agmina mille simili jussit discumbere mensis ,

Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant
 Sufficere. ætherei felix sic orbita fluxit 35
 Triptolemi: sic vitiferò sub palmite nudos
 Umbravit colles, & sobria rura Lyæus.
 Sed mihi non epulas, Indisve innixa columnis
 Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas;
 Ipsum, ipsum cupidio tantum spectare vacavit
 Tranquillum vultus, & majestate serena 40
 Mulcentem radios, summittentemque modeste
 Fortunæ vexilla suæ: tamen ore nitebat
 Diffimulatus honos. talem quoque barbarus hostis
 Posset, & ignotæ conspectum agnoscere gentes.
 Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit 45
 Dimissis Gradibus equis: sic lubrica ponit
 Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux:
 Sic jacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan:
 Sic gravis Alcides post horrida jussa novercæ
 Gaudebat strato latus acclinare leoni. 50
 Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
 Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
 Æthiopum, sacros diffusus nestare vultus,
 Dux superum, secreta jubet dare carmina Musas, 55
 Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.
 Di tibi (namque animas sæpe exaudire minores
 Dicuntur) patriæ bis terque exire senectæ
 Annuerint fines! rata numina miseris astris,
 Templaque des, habilesque domos! sæpe annua pandas 60
 Limina, sæpe novo Janum lictore salutes;
 Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris!
 Qua mihi felices epulas mensæque dedisti

Sacra tuæ , talis longo post tempore venit
 Lux mihi , Trojanæ qualis sub collibus Albæ
 Cum modo Germanas acies , modo Daca sonantem
 Proelia , Palladio tua me manus induit auro.

65

III. *Via Domitiana.*

Quis duri filicis gravisque ferri
 Immanis sonus æquori propinquum
 Saxosæ latus Appiæ replevit ?
 Certe non Libycæ sonant catervæ ,
 Nec dux advena , pejerate bello ,
 Campanos quatæ inquietus agros :
 Nec frangit vada , montibusque cæsis
 Inducit Nero sordidas paludes .
 Sed qui limina bellicosa Jani
 Justis legibus , & foro coronat :
 Qui castra Cereri diu negata
 Reddit jugera , sobriasque terras :
 Qui fortè vetat interire sexum ;
 Et Censor prohibet mares adulteros
 Pulchræ supplicium timere formæ :
 Qui reddit Capitolio Tonantem ;
 Et Pacem propria domo reponit ;
 Qui genti patriæ futura semper
 Sancit limina , Flaviumque coelum ;
 Hic , cœno bibulo viam gravante ,
 Et campis iter amne detinente ,
 Longos eximit ambitus , novoque

10

15

20

Injectu solidat graves arenas ;
 Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ ,
 Gauranosque sinus , & æstuantes
 Septem montibus admovere Baias .
 Hic quondam piger axe vetus udo
 Nutabat cruce pendula viator ;
 Sorbebatque rotas maligna tellus ;
 Et plebs in mediis Latina campis
 Horrebat mala navigationis :
 Nec cursus agiles , & impeditum
 Tardabant iter orbitæ tacentes ,
 Dum pondus nimium querens sub alta
 Repit languida quadrupes statera :
 At nunc , quæ solidum diem terebat ,
 Horarum via facta vix duarum .
 Non tensæ volucrum per astra pennæ ,
 Nec velocitis ibitis , carinæ .
 Hic primus labor inchoare sulcos ,
 Et rescindere limites , & alto
 Egestu penitus cavare terras :
 Mox , haustas aliter replere fossas ,
 Et summo gremium parare dorso ,
 Ne nutent sola , ne maligna sedes ,
 Et pressis dubium cubile saxis .
 Tunc umbonibus hinc & hinc coactis ,
 Et crebris iter alligare gomphis .
 O quantæ pariter manus laborant !
 Hi cædunt nemus , exuuntque montes ,
 Hi ferro scopulos trabesque levant ;
 Illi faxa ligant , opusque texunt

Statius.

G

29

30

35

40

45

50

Coeto pulvere sordidoque topho :

Hi siccant bibulas manu lacunas ,

Et longe fluvios agunt minores.

55

Hæ possent & Athon cavare dextræ ,

Et mœstum pelagus gementis Helles

Intercludere ponte non natanti.

His parvus , Lecheo nihil vetante ,

Inous freta miserrisset Isthmos.

60

Fervent litora , mobilesque silvæ ;

It longus medias fragor per urbes :

Atque echo simul hinc & inde fractam

Gauro Massicus uvifer remittit.

Miratur sonitum quieta Cyme ,

65

Et Literna palus , pigerque Savo.

At flavum caput , humidumque late

Crinem mollibus impeditus ulvis

Vulturnus levat ora , maximoque

Pontis Cæfarei reclinis arcu

70

Raucis talia faucibus redundant :

CAMPORUM bone conditor meorum ,

Qui me vallibus aviis refusum

Et ripas habitare nescientem

Refli legibus alvei ligasti :

75

Et nunc ille ego turbidus , minaxque ,

Vix passus dubias prius carinas ,

Jam pontem fero , perviusque calcor ;

Qui terras rapere , & rotare silvas

Affueram (pudet) , Amnis esse cœpi :

80

Et grates ago , servitusque tanti est ,

Quod sub te duce , te jubente , cessi ;

Quod tu maximus arbiter , meæque
 Victor perpetuus legere ripæ.
 Et nunc limite me colis beato , 85
 Nec sordere finis , malumque late
 Deterges sterilis soli pudorem ;
 Nec me pulvereum , gravemque cœno
 Tyrrheni finus obruet profundi ;
 (Qualis Cinyphius tacente ripa , 90
 Pœnos Bagrada serpit inter agros)
 Sed talis ferar , ut nitente cursu
 Tranquillum mare proximumque possim
 Puro gurgite provocare Lirim.
 Hæc Amnis : pariterque se levabat 95
 Ingenti plaga marmorata dorso :
 Hujus janua , prosperumque limen
 Arcus , belligeri Ducis trophyis
 Et totis Ligurum nitens metallis ,
 Quantus nubila qui coronat imbris . 100
 Illic flectitur exitus viarum ;
 Illic Appia se dolet relinquī.
 Tunc velocior , acriorque cursus ,
 Tunc ipsos juvat imperus jugales .
 Ceu fessis ubi remigum lacertis 105
 Primæ , carbasa ventilaris , auræ .
 Ergo omnes , age , quæ sub axe primo
 Romani colitis fidem parentis ,
 Prono limite commeate gentes .
 Eoæ citius venite laurus ; 110
 Nil obstat cupidis , nihil moratur .
 Qui primo Tyberim reliquit ortu ,

Primo vespere navigat Lucrinum.

Sed quam fine viæ recentis imo;

Qua monstrat veteres Apollo Cumas,

Albam crinibus, infusisque cerno?

Visu fallimur? an sacris ab antris

Profert Chalcidicas Sibylla laurus?

Cedamus; chely, jam repone cantus;

Vates sanctior incipit: tacendum est.

En! & colla rotat, novisque late

Bacchatur spatiis, viamque replet.

Tunc sic virgineo profatur ore:

DICEBAM, veniet (manete campi,

Atque amnis) veniet, favente cœlo,

Qui foedum nemus & putres arenas

Celsis pontibus, & via levabit.

En! hic est Deus; hunc jubet beatis

Pro se Juppiter imperare terris:

Quo non dignior has subit habenas;

Ex quo, me duce, præscios Averni

Æneas, avide futura quærens,

Lucos & penetravit, & reliquit.

Hic paci bonus, hic timendus armis,

Natura melior, potentiorque.

Hic si flammiferos teneret axes,

Largis, India, nubibus maderes,

Undaret Libye, teperet Æmus.

Salve, dux hominum, & parens Deorum,

Prævisum mihi, cognitumque numen.

Nec jam putribus evoluta chartis

Solenni prece Quindecim virorum

115

120

125

130

135

140

Perlustra mea dicta ; sed canentem
 Ipsam cominus (ut mereris) audi :
 Vidi quam seriem morantis ævi
145
 Pronectant tibi candidæ sorores :
 Magnus te manet ordo seculorum :
 Natis longior abnepotibusque ,
 Annos perpetua geres juventa ,
 Quot fertur placidos obisse Nestor ,
150
 Quot Tithonia computat senectus ,
 Et quantos ego Delium poposci .
 Juravit tibi jam nivalis Arctos ;
 Nunc magnos Oriens dabit triumphos .
 Ibis qua vagus Hercules , & Evan ,
155
 Ultra sidera , flammeumque solem ,
 Et Nili caput , & nives Atlantis :
 Et laudum cumulo beatus omni
 Scandes belliger , abnuesque currus :
 Donec Troicus ignis , & renatae
160
 Tarpeius Pater intonabit aulæ ;
 Hæc donec via , te regente terras ,
 Annosa magis Appia senescat .

IV. *Ad Victorium Marcellum epistola.*

CURRE per Euboïcos non segnis , epistola , campos ;
 Hac ingressa vias , qua nobilis Appia crescit
 In latus , & molles solidus premit agger arenas .
 Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces ,

G 3

Continuo dextras flavi pete Tybridis oras ,
 Lydia qua penitus stagnum navale coerct
 Ripa , suburbanisque vadum prætexitur hortis.
 Illuc egregium formaque animisque videbis
 Marcellum , & celso præsignem vertice nosces.
 Cui primum solito vulgi de more salutem ,
 Mox inclusa modis hæc reddere verba memento :
 JAM terras volucremque polum fuga veris aquosi
 Laxat , & Icaris cœlum latratibus urit :
 Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ.
 Hos Prænestē sacrum , nemus hos glaciale Dianæ ,
 Algidus aut horrens , aut Tuscula protegit umbra :
 Tiburis hi lucos , Anienaque frigora captant.
 Te quoque clamoræ quænam plaga mitior urbi
 Subtrahit ? æstivos quo decipis aere soles ?
 Quid , tuus ante omnes , tua cura potissima Gallus ,
 Nec non noster amor , (dubium morumne probandus
 Ingeniine bonis) Latii æstivat in oris ?
 Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ
 Tyrrhenasque domos ? quod si tibi proximus hæret ,
 Non ego nunc vestro procul a sermone recedo :
 Certum est : inde sonus geminas mihi circuit aures.
 Sed tu , dum nimio possessa Hyperione flagrat
 Torva Cleonæ juba sideris , exue curis
 Peccus , & affiduo temet furare labori.
 Et santes operit pharetras , arcumque retendit
 Parthus ; & Eleos auriga , laboribus æctis ,
 Alpheo permulcat equos : & nostra fatiscit
 Laxaturque chelys . vires instigat , alitque
 Tempestiva quies : major post otia virtus .

- Talis cantata Briseïde venit Achilles 39
 Acrior, & positis erupit in Hæc tora plectris.
 Te quoque flammabit tacite repetita parumper
 Desidia, & solitos novus exsultabis in actus.
 Certe jam Latiae non miscent jurgia leges,
 Et pacem piger annus habet; messesque reversæ 40
 Dimisere forum. nec jam tibi turba reorum
 Vestibulo, querulive rogan exire clientes.
 Cessat Centeni moderatrix Judicis hasta,
 Qua tibi sublimi jam nunc celeberrima fama 45
 Eminet, & juvenes facundia præterit annos.
 Felix curarum! cui non Heliconia cordi
 Serta, nec imbellis Parnasi e vertice laurus:
 Sed viget ingenium, & magnos accinetus in usus
 Fert animus quascunque vices. nos otia miti
 Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ 50
 Quærimus. En egomet somnum, & geniale secutus
 Litus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
 Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
 Pulfo, Maroneique sedens in margine templi
 Sumo animum, & magni tumulis adcanto magistri: 55
 At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
 (Detque, precor) Latiique ducis si numina pergent;
 (Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante,
 Quique tuos alio subtexit munere fasces,
 Et spatha antiquæ mandat renovare Latiae) 60
 Foritan Ausonias ibis frenare cohortes,
 Aut Rheni populos, aut nigrae litora Thules,
 Aut Istrum servare latus, metuendave portæ
 Limina Caspiacæ. nec enim tibi sola potentis

- Eloquii virtus ; sunt membra accommoda bellis, 65
 Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti.
 Seu campo pedes ire paras , est agmina supra
 Nuraturus apex ; seu frena sonantia flectes ,
 Serviet asper equus. Nos facta aliena canendo
 Vergimur in senium : propriis tu pulcher in armis 70
 Ipse canenda geres , patriæque exempla parabis.
 Magna pater , dignosque etiamnum belliger actus
 Poscit avus , præstatque domi novisse triumphos.
 Surge agedum , juvenemque puer deprende parentem ,
 Stemmate materno felix , virtute paterna. 75
 Jam te blanda sinu Tyrio sibi Curia felix
 Educat , & cunctas gaudet spondere curules.
 Hæc ego Chalcidicis ad te , Marcella , sonabam
 Litoribus , fractas ubi Vesbius erigit iras ,
 Æmula Trinacriis volvens incendia flammis. 80
 Mira fides ! credetne virum ventura propago ,
 Cum segetes iterum , cum jam hæc deserta virebunt ,
 Infra urbes populosque premi , proavitaque toto.
 Rura abiisse mari ? nec dum letale minari
 Cessat apex . procul ista tuis , Tifata , Teate , 85
 Nec Marrucinos agat hæc infania montes.
 Nunc si forte meis quæ fint exordia Mufis
 Scire petis , jam Sidonios emensa labores
 Thebaïs optato collegit carbasa portu :
 Parnasique jugis , silvaque Heliconide festis 90
 Tura dedit flammis , & virginis exta juvencæ ,
 Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas.
 Nunc vacuos crines alio subit insula nexus :
 Troja quidem , magnusque mihi tentatur Achilles ;

Sed vocat arcitenens alio pater , armaque monstrat
Ausonii majora ducis. trahit impetus illo

95

Jam pridem , retrahitque timor. stabuntne sub illa

Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix?

Dic , Marcella , feram ? fluctus an sueta minores

Nosse ratis , nondum Ioniis credenda periclis?

100.

Jamque vale , & penitus noti tibi vatis amorem

Corde exire veta. nec enim Tirynthius almæ

Pectus amicitiae. cedit tibi gloria fidi

Theseos , & lacerum qui circa moenia Trojæ

Priamidem , cæso solatia traxit amico.

105

V. Carmen Lyricum ad Septimum
Severum.

PARVI beatus ruris honoribus ,
Qua prisca Teucros Alba colit lares ,
Fortem atque facundum Severum
Non solitis fidibus saluto.

Jam trux ad Arctos Parrhasias hiems

5

Concessit altis obruta solibus :

Jam pontus , ac tellus renident ,

Jam Zephyris Aquilo refractus.

Nunc cuncta vernans frondibus annuis

Crinitur arbos ; nunc volucrum novi

10

Questus , inexpertumque carmen ,

Quod tacita statuere bruma.

Non parca tellus , pervagil & focus ,
Culmenque multo lumine sordidum

Solantur , exemptusque testa ,
Qua modo ferbuerat Lyæus.

Non mille balant lanigeri greges ,
Nec vacca dulci mugit adultero :

Unique si quando canenti
Mutus ager domino reclamat.

Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis : hic mea carmina

Regina bellorum virago
Cæfareo decoravit auro :

Cum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni peccore tolleres ;

Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.

Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit ? jam feret Indicas

Messæ , odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.

Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimum putet ?

Quis fonte Juturnæ , relictais
Uberibus , neget esse pastum ?

Nec mira virtus . protinus Ausonum
Portus , dolosæ nescius Africæ

Intras , adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti.

Hic parvus, inter pignora Curiæ,
 Contentus arēto lumine purpuræ,
 Crescis; sed immensos labores
 Indole patricia fecutus.

Non sermo Pœnus, non habitus tibi,
 Externa non mens: Italus, Italus.

Sunt Urbe Romanisque turmis,
 Qui Libyam decorant alumni?

Est & frequenti vox habilis foro,
 Venale sed non eloquium tibi;
 Ensisque vagina quiescit,
 Stringere ni jubeant amici.

Sed rura cordi sæpius & quies,
 Nunc in paternis sedibus & solo
 Vejente, nunc frondosa supra
 Hernica, nunc Curibus vetustis.

Hic plura pones vocibus & modis
 Passu solus: sed memor interim
 Nostri, verecundo latentem
 Barbiton ingemina sub antro.

45

50

55

60

VI. Hercules Epitrapezios Nonii Vindicis.

FORTE remittentem curas, Phœboque levatum
 Pectora, cum patulis tererem vagus otia Septis
 Jam moriente die, rapuit me coena benigni
 Vindicis. hæc imos animi perlapsa recessus
 Inconsumta manet. neque enim ludibria ventris

5

Hausimus , aut epulas diverso e sole petitas ,
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.
Ah miser! quos nosse juvat , quid Phasidis ales
Distet ab hiberna Rhodopes grue : quis magis anser
Exta ferat : cur Tuscus aper generosior Umbro : 10
Lubrica qua recubent conchylia mollius alga.
Nobis verus amor , medioque Helicone petitus
Sermo , hilaresque joci brumalem absumere noctem
Suaserunt , mollemque oculis expellere somnum ;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter 15
Castor , & hesternas risit Tithonia mensas.
O bona nox ! juncta que utinam Tirynthia luna !
Nox & Erythrææ Thetidis signanda lapillis ,
Et memoranda diu , geniumque habitura perennem.
Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti , 20
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici . quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis , artificum veteres cognoscere ductus ,
Et non inscriptis auctorem reddere signis ?
Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni 25
Æra , laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis , quod ebur Pisæo pollice rasum ,
Quod Polycleteis jussum est spirare caminis ,
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem ,
Monstrabit : namque hæc , quoties chelyn exuit ille , 30
Desidia est ; hic Aoniis amor avocat antris .
Hæc inter , festæ Genius tutelaque mensæ
Amphitryoniades , multo mea cepit amore
Pectora , nec longo satiavit lumina visu :
Tantus honos operi , finesque inclusa per arctos 35

Majestas ! Deus ille , Deus ; seque videndum
 Indulfit , Lyfippe , tibi , parvusque viderit
 Sentiri que ingens . & cum mirabilis intra
 Stet mensura pedem , tamen exclamare libebit ,
 (Si visus per membra feras) Hoc pe^tore pressus 40
 Va^stator Nemees ; hæc exitiale ferebant
 Robur , & Argoos frangebant brachia remos .
 Hoc spatio , tam magna , brevi , mendacia formæ !
 Quis modus in dextra , quanta experientia docti
 Artificis curis , pariter gestamina mensæ 45
 Fingere , & ingentes animo versare colosso ?
 Tale nec Idæis quidquam Telchines in antris ,
 Nec solidus Brontes , nec qui polit arma Deorum
 Lemnius , exigua potuisset ludere massa .
 Nec torva effigies , epulisque aliena remissis ;
 Sed qualem parcí domus admirata Molorchi ,
 Aut Aleæ lucis vidit Tegeæ sacerdos :
 Qualis ab Ætæis emissus in astra favillis
 Ne^ttar adhuc torva lætus Junone bibebat :
 Sic mitis vultus , veluti de pe^tore gaudens 55
 Hortetur mensas . tenet hæc marcenia fratris
 Pocula , at hæc clavæ meminit manus : aspera sedes
 Sustinet occultum Nemeæo tegmine saxum .
 Digna operi fortuna sacro : Pellæus habebat
 Regnator lætis numen venerabile mensis , 60
 Et comitem Occasus secum portabat & Ortus :
 Prensabatque libens modo qua diademata dextra
 Abstulerat dederatque , & magnas verterat urbes .
 Semper ab hoc animos in crastina bella petebat ,
 Huic acies vi^tor semper narrabat opimas , 65

Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
 Seu clausam magna Babylona refregerat hasta,
 Seu Pelopis terras libertatemque Pelasgam
 Obruerat bello : magnoque ex agmine laudum
 Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos. 70
 Ille etiam , magnos fatis rumpentibus actus ,
 Cum traheret letale merum , jam mortis opaca
 Nube gravis , vultus alios in numine caro
 Atraque supremis tenuit sudantia mensis.
 Mox Nasamonico decus admirabile regi 75
 Possessum ; fortique Deo libavit honores
 Semper atrox dextra perjuroque ense superbus
 Annibal. Italicæ perfusum sanguine gentis ,
 Diraque Romuleis portantem incendia teclis
 Oderat , & cum epulas , & cum Lenæa dicaret 80
 Dona , Deus castris mœrens comes iffe nefandis.
 Præcipue cum sacrilega face miscuit arces
 Ipsi⁹ , immeritæque domos ac templa Sagunti
 Polluit , & populis furias immisit honestas.
 Nec post Sidonii letum ducis ære potita 85
 Egregio plebeia domus : convivia Sullæ
 Comebat , semper claros intrare penates
 Assuetum , & felix dominorum stemmate signum.
 Nunc quoque (si mores humanaque pectora curæ
 Nosse Deis) non aula quidem , Tirynthie , nec te 90
 Regius ambit honos : sed casta , ignaraque culpæ
 Mens domini , cui prisca fides , cœptæque perenne
 Fœdus amicitiae . scit adhuc florente sub ævo
 Par magnis Veltinus avis , quem nocte dieque
 Spirat , & in caræ vivit complexibus umbræ. 95

Hic igitur tibi læta quies , fortissime Divum
 Alcide : nec bella vides pugnalsque feroceſ ,
 Sed chelyn , & vittas , & amantes carmina laurus.
 Hic tibi ſolenni memorabit carmine , quantus
 Iliacas Geticasque domos , quantusque nivalem 100
 Stymphalon , quantusque jugis Eri manthon aquofis
 Terrueris : quem te pecoris poſſeffor Iberi ,
 Quem tulerit ſævæ Mareoticus arbiter aræ.
 Hic penetrata tibi ſpoliataque limina Mortis
 Concinet , & flentes Libyæ , Scythia que puellas. 105
 Nec te regnator Macetum , nec barbarus unquam
 Annibal , aut ſævi poſſet vox horrida Sulla
 His celebrare modis. certe tu muneris auſtor
 Non aliis malles oculis , Lysippe , probari.

VII. *Lyricum ad Maximum Junium.*

JAMDIU lato ſpatiata campo
 Fortis heroos Erato labores
 Differ : atque ingens opus in minores
 Contrahe gyroſ.

Tuque regnator Lyricæ cohortis 5
 Da novi paulum mihi jura pleſtri ,
 Si tuas cantu Latio ſacravi ,
 Pindare , Thebas.

Maximo carmen tenuare tento :
 Nunc ab intonſa capienda myrto 10
 Serta ; nec major fitis ; & bibendus
 Caſtior amnis,

Quando te dulci Latio remittent
 Dalmatæ montes ? ubi Dite viso
 Pallidus fossor redit , erutoque
 Concolor auro.

Ecce me natum propiore terra
 Non tamen portu retinent amœno
 Desides Baiæ , liticenve notus
 Hectoris armis.

Torpor est nostris sine te Camœnisi ;
 Tardius sueto venit ipse Thymbræ
 Rector , & primis meus ecce metis
 Hæret Achilles.

Quippe , te fido monitore , nostra
 Thebaïs multa cruciata lima
 Tentat audaci fide Mantuanæ
 Gaudia famæ.

Sed damus lento veniam , quod alma
 Prole fundasti vacuos penates.
 O diem lætum ! venit ecce nobis
 Maximus alter.

Orbitas omni fugienda nisu ,
 Quam premit votis inimicus heres ,
 Optimo poscens (pudet heu) propinquum
 Funus amico.

Orbitas nullo tumulata fletu .
 Stat domo capta cupidus superstes
 Imminens leti spoliis , & ipsum
 Computat ignem.

15

20

25

30

35

40

Duret in longum generofus infans,
 Perque non multis iter expeditum
 Crescat in mores patrios, avumque
 Provocet actis!

Tu tuos parvo memorabis enses,
 Quos ad Eoum tuleris Orontem
 Signa frenatae moderatus alæ
 Castore dextro:

Ille, ut invicti rapidum fecutus
 Cæsaris fulmen, refugis amaram
 Sarmatis legem dederit, sub uno
 Vivere cœlo.


Sed tuas artes puer ante discat;
 Omne quis mundi senium remensus
 Orsa Sallusti brevis, & Timayi
 Reddis aluminum.

VIII. *Ad Julium Menecratem ob prolem.*

PANDE fores Superum, vittataque templa Sabæis
 Nubibus & pecudum fibris spirantibus imple,
 Parthenope: clari genus ecce Menecratis auget
 Tertia jam soboles: procerum tibi nobile vulgus
 Crescit, & infani solatur damna Vesevi.
 Nec solum festas secreta Neapolis aras
 Ambiat: & socii portus, dilectaque mitis
 Terra Dicarcheæ, nec non plaga cara madenti

Statius.

H



Surrentina Deo fertis altaria cingat ;
 Materni qua litus avi , quem turba nepotum
 Circnit , & similes contendit reddere vultus.
 Gaudeat & Libyca præsignis avunculus hafta ;
 Quæque sibi genitos putat , attollitque benigno
 Polla sinu. maëte , o juvenis , qui tanta merenti
 Lumina das patriæ. dulci fremit ecce tumultu
 Tot dominis clamata domus. procul atra recedat
 Invidia , atque alio liventia pectora flectat.
 His senium , longæque decus virtutis , & alba
 Atropos , & patrius lauros promittit Apollo.
 Ergo quod Ausoniæ pater augustissimus urbis
 Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis ,
 Omen erat. venit toties Lucina , pluimque
 Intravit repetita larem. sic fertilis , oro ,
 Stet domus , & donis nunquam nudata sacratis.
 Maëte , quod & proles tibi sæpius auëta virili
 Robore : se juveni lætam dat virgo parenti :
 Aptior his virtus , citius dabit illa nepotes.
 Qualis maternis Helene jam digna palæstris
 Inter Amyclæos reptabat candida fratres :
 Vel qualis cœli facies , ubi nocte serena
 Admovere jubar mediæ duo sidera lunæ.
 Sed queror aud faciles , juvenum rarissime , questus ,
 Irascorque etiam , quantum irascuntur amantes.
 Tantane me decuit vulgari gaudia fama
 Noscere : cumque tibi vagiret tertius infans ,
 Protinus ingenti non venit nuntia cursu
 Litera , quæ festos cumulare altaribus ignes ,
 Et redimire chelyn , posteaque ornare juberet ;

12

15

20

25

30

35

Albanoque cadum fordanem promere fumo,
 Et creta signare diem? sed tardus inersque 40
 Nunc demum mea vota cano? tua culpa, tuusque
 Hic pudor, ulterius sed enim producere questus
 Non licet: en hilariis circumstat turba tuorum,
 Defensatque patrem. quem non hoc agmine vincas?
 Di Patrii, quos auguriis super æquora magnis 45
 Litus ad Ausonium devexit Abantia classis;
 Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo;
 Cujus adhuc volucrem lœva cervice sedentem
 Respiciens blande felix Eumelis adorat:
 Tuque, Aëtæa Ceres, cursu cui semper anhelo 50
 Votivam taciti quassamus lampada mystæ:
 Et vos, Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
 Taygeta, umbrosæve magis coluere Therapnæ,
 Hos cum plebe sua patrii servate Penates.
 Sint, qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem 55
 Voce opibusque juvent, viridique in nomine servent.
 His placidos genitor mores, largumque nitorem
 Monstret avus; pulchræ studium virtutis eterque.
 Quippe & opes & origo finunt, hanc, lampade prima
 Patrias intrare fores; hos, pube sub ipsa 60
 (Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
 Numina) Romulei limen pulsare Senatus.

IX. *Risus Saturnalitius ad Plotium Gryphum.*

EST sane jocus iste, quod libellum
 Misisti mihi, Gryphe, pro libello.

Urbanum tamen hoc potest videri,
Si post hoc aliquid mihi remittas :
Nam si ludere , Gryphe , perseveras , 5
Non ludis. licet , ecce , computemus :
Noſter purpureus novusque charta ,
Et binis decoratus umbilicis ,
Præter me , mihi conſtituit decuſſis .
Tu roſum tineis , ſituque putrem , 10
Quales aut Libycis madent olivis ,
Aut tus Niliacum , piperve fervant ;
Aut Byzantiacos olenit lacertos ;
Nec ſaltem tua dieta continentem ,
Quæ trino juvenis foro tonabas , 15
Aut centum prope judices , prius quam
Te Germanicus arbitrum ſequenti
Annonæ dedit , omniumque late
Præfecit ſtationibus viarum ;
Sed Bruti ſenis oſcitations 20
De capſa miferi libellionis ,
Emtum plus minus aſſe Caīano ,
Donaſ. uſque adeone defuerunt
Sciffis pilea ſuta de lacernis ?
Vel mantilia , luridæve mappæ ? 25
Chartæ , Thebaicæve , caricæve ?
Nuſquam turbine conditus ruenii
Prunorum globus , atque coſtanorum ?
Non ellychnia ſicca , non repliqæ
Bulborum tunicæ , nec ova tantum ? 30
Non leves alicæ , nec asperum far ?
Nuſquam Cinyphiis vagata campis

- Curvarum domus uda cochlearum?
 Non lardum breve, debilisve perna?
 Non Lucanica, non graves Phalisci,
 Non sal, oxygarumve, caseusve, 35
 Aut panes viridantis aphonitri,
 Vel passum pithii suis reconstum,
 Dulci defruta vel lutoſa ceno?
 Quantum vel dare cereos olentes,
 Cultellum, tenuesve codicillos? 40
 Ollares, rogo, non licebat uvas,
 Cumano patinas vel orbe tortas,
 Aut unam dare synthesin (quid horres?)
 Alborum calicum, atque caccaborum? 45
 Sed certa velut æquus in flatera,
 Nil mutas, sed idem nihil rependis.
 Quid? si cum bene mane semicrudus.
 Illatam tibi dixero salutem,
 Et tu me vicibus domi salutes? 50
 Aut cum me dape juveris opima,
 Exspectes similes & ipse coenas?
 Iraſcor tibi, Gryphe. sed valebis:
 Tantum ne mihi, quo soles lepore,
 Et nunc hendecasyllabos remittas. 55
-

P. PAPINII STATII
 S I L V A R U M
 LIBER V.

Ad Abascantium.

OMNIBUS affectibus prosequenda sunt bona exempla, cum publice profint. Pietas, quam Priscillæ tuæ præstas, & morum tuorum pars est, & nulli non conciliare te, præcipue marito, potest. Uxorem enim vivam amare, voluptas est, defunctam religio. Ego tamen huic operi non ut unus e turba, nec tantum quasi officiosus assilui. amavit enim uxorem meam Priscilla, & amando fecit mihi illam probatiorem. post hoc ingratuus sum, si lacrimas tuas transeo. Præterea, latus omne divinæ domus semper demereri pro mea mediocritate connotor. nam qui bona fide Deos colit, amat & sacerdotes. Sed quamvis propiorem nexum amicitiae tuæ jampridem cuperem, mallem tamen nondum intervenisse materiam. *** *Reliqua desunt.*

I. Abascantii in Priscillam pietas.

Si manus aut similes docilis mihi singere ceras,
Aut ebur, impressis aurumve animare figuris;
Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito
Conciperem, namque egregia pietate meretur;
Ut vel Apelleo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolentis:
Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum Morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærerit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat. 10
Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare justa lyra: modo dexter Apollo,
Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar;
Annuat, haud alio melius condere sepulcro. 20
Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera cum volucrem Phœbi rota torqueat annum:
Sed cum plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu, miseramque accessus ad aurem
Conjugis orbat, tunc flere & scindere vestes
Et famulos lassare greges, & vincere planctus,
Fataque, & injustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat, licet ipse levandos
Ad gemitus silvis comitatus & amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter materterea vatem, 25
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;

Nil cantus, nil fila, Deis pallentis Averni
 Eumenidumque audita comis, mulcere valerent:
 Tantus in attonito regnabat pectora luctus!
 Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix 30
 Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
 Imber. habentne pios etiamnum haec lumina fletus?
 Mira fides! citius genitrix Sipylea feretur
 Exhausisse genas; citius Tithonida moesti
 Deficient rores, aut exsiccata satiscet
 Mater Achilleis hiemes affrangere busfis.
 Maestri animi: notat ista Deus, qui fletit habendas
 Orbis, & humanos propior Jove digerit actus;
 Moerentemque videt, lectique arcana ministri
 Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram, 40
 Et colis exsequias. hic est castissimus ardor;
 Hic amor a domino meritus censore probari.
 Nec mirum, si vos collato pectora mixtos
 Junxit inabrupta Concordia longa catena.
 Illa quidem, nuptuque prior, tædasque marito 45
 Passa alio; sed te ceu virginitate jugatum
 Visceribus totis, animoque amplexa fovebat.
 Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
 Ulmus amat, miscetque nemus, ditemque precatur
 Autumnum, & caris gaudet redimita racemis.
 Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ, 50
 Quæ morum caruere bonis, falsaque potentes
 Landis egent veræ. tibi, quanquam & origo niteret
 Et felix species, multumque optanda maritis,
 Ex te major honos, unum novisse cubile,
 Unum secretis agitare sub ossibus ignem. 55

- Illum nec Phrygius vitiaſſet raptor amorem,
Dulichiive proci; nec qui fraternus adulter
Caſta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes, Lydæ ſi pondera gaza, 60
Indorumque dares Serumque Arabumque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque reperdere famæ.
Nec frons triste rigens, nimiusque in moribus horror:
Sed simplex, hilariſque fides, & mixta pudori 65
Gratia. quod ſi anceps metus ad majora vocaſſet,
Illa vel armiferas pro conjuge læta catervas,
Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti,
Exciperet. melius, quod non adverſa probarunt,
Quæ tibi cura tori, quantus pro conjuge pallor. 70
Sed meliore via dextros tua vota marito
Promeruere Deos; dum nocte dieque fatigas
Numina, dum cunctis ſupplex advolveris aris,
Et mitem Genium domini præſentis adoras.
Audita es: venitque gradu Fortuna benigno. 75
Vidit quippe pii juvenis navamque quietem,
Intactamque fidem ſuccinctaque pectora curis,
Et vigiles ſenſus, & digna evolvere tantas
Sobria corda vices; vidit, qui cuncta fuorum
Novit, & inſpectis ambit latus omne ministris. 80
Nec mirum: videt ille ortus, obitusque; quid Aufter;
Quid Boreas hibernus agat; ferrique togæque
Confilia; atque ipsam mentem probat. ille ſubiectis
Molem immensam humeris, & vix traſtabile pondus
Imposuit, (nec enim numeroſior altera ſacra 85
Cura domo) magnum late dimittere in orbem

Romulei mandata Ducas ; viresque modosque
 Imperii tractare manu : quæ laurus ab Arcto ,
 Quid vagus Euphrates , quid ripa binominis Istri ;
 Quid Rheni vexilla ferant : quantum ultimus orbis 90
 Cesserit , & refluxo circumsona gurgite Thule.
 Omnia nam lætas pila attollentia frondes ,
 Nullaque famosa signatur lancea pinna.
 Præterea , fidos dominus si dividat enses ,
 Pandere quis centum valeat frenare maniplis 95
 Intermixtus equos : quis præcepisse cohorti :
 Quem deceat clari præstantior ordo tribuni :
 Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.
 Mille etiam prænoffe vices : an merferit agros
 Nilus , an imbrifero Libye sudaverit Austro : 100
 Cunctaque si numerem , non plura interprete virga
 Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris ;
 Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras ,
 Et picturato pluvium ligat aera gyro ;
 Quæque tuas laurus volucri , Germanice , curru 105
 Fama vehit , prægressa diem , tardumque sub altris
 Arcada , & in medio linquens Thaumantida cœlo.
 Qualem te Superi , Priscilla , hominesque benigno
 Aspexere die cum primum ingentibus actis
 Admotus conjux ! vicisti gaudia certe 110
 Ipsius , affuso dum peccatore prona sacratos
 Ante pedes avide domini tam magna merentis
 Volveris. Aonio non sic in vertice gaudet
 Quam pater arcani præfecit hiatibus antri
 Delius , aut primi cui jus venerabile thyrsi 115
 Bacchus , & attonitæ tribuit vexilla catervæ :

Nec tamen hic mutata quies , probitasve secundis
Intumuit: tenor idem animo , moresque modesti ,
Fortuna crescente , manent. foveat anxia curas
Conjugis , hortaturque simul , fletitque labores. 120
Ipsa dapes modicas , & sobria pocula tradit ,
Exemplumque ad herile monet. velut Appula conjux
Agricolæ parci , vel sole infecta Sabina ,
Quæ videt emeriti , jam prospexitibus astris ,
Tempus adesse viri , propere mensasque torosque
Instruit , exspectatque sonum redeuntis aratri.

Parva loquor : tecum gelidas comes illa per Arctos ,
Sarmaticasque hiemes , Istrumque , & pallida Rheni
Frigora , tecum omnes animo durare per aestus ,
Et , si castra darent , velle gestare pharetras , 130
Velle Amazonia latus intercludere pelta ;
Dum te pulvrea bellorum in nube videret
Cæfarei prope fulmen equi , divinaque tela
Librantem , & magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Haec tenus alma chelys : tempus nunc ponere frondes , 135
Phœbe , tuas , mœstaque comam damnare cupresso.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque Deus ? quis jussit iniquas
Æternum bellare Deas ? nullamne notavit
Illa domum , torvo quam non hæc lumine sigat 140
Protinus , & sæva perturbet gaudia dextra ?
Florebant hilares inconcussique penates ;
Nil mœstum : quid enim , quamvis infida levisque ,
Cæsare tam dextro , posset Fortuna timeri ?
Invenere viam liventia Fata , piumque 145
Intravit vis sæva larem . sic plena maligno

Afflantur vineta Noto : sic alta senescit
 Imbre seges nimio : rapidæ sic obvia puppi
 Invidet , & velis adnubilat aura secundis.

Carpitur eximium fato Priscilla decorem :
 Qualiter alta comam silvarum gloria pinus
 Seu Jovis igne malo , seu jam radice soluta ,
 Deficit , & nulli spoliata remurmurat auræ.

Quid probitas , aut casta fides , quid numina presunt
 Culta Deum ? furvæ miseram circum undique leti
 Vallavere plagæ. tenuantur dura fororum
 Licia , & exacti supereft pars ultima fili.

Nil famuli coetus , nil ars operosa medentum
 Auxiliata malis. comites tamen undique ficto
 Spem simulant vultu : flentem notat illa maritum.

Ille modo infernæ nequidquam flumina Lethes
 Incorrupta rogat : nunc anxius omnibus aris
 Illacrimat , signatque fores , & pectore terget
 Limina : nunc magni vocat exorable numen
 Cæsar. Heu durus Fati tenor ! estne quod illi
 Non licet ? quantæ poterant mortalibus annis
 Accessisse moræ , si tu , pater , omne teneres
 Arbitrium ? cæco gemeret Mors clusa barathro ,
 Longius & vacuæ posuissent stamina Parcæ.

Jamque cadunt vultus , oculisque novissimus error ,
 Obtusæque aures , nisi cum vox sola mariti
 Noscitur. illum unum media de morte reversa
 Mens videt ; illum ægris circumdat fortiter ulnis.
 Immotas obversa genas ; nec sole supremo
 Lumina , sed dulci mavult satiare marito.
 Tunc sic unanimum moriens solatur amantem :

150

155

160

165

170

175

PARS animæ victura meæ , cui linquere possem
 O utinam , quos dura mihi rapit Atropos , annos ;
 Parce precor lacrimis , fævo nec concute planctu
 Pectora , nec crucia fug'entem conjugis umbram. 180

Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœsti
 Quod prior : exegi longa potiora senecta .
 Tempora ; vidi omni te pridem in flore nitentem ;
 Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ.
 Non in te Fatis , non jam Cœlestibus ullis 185

Arbitrium : mecum ista fero. tu limite cœpto
 Tende libens , sacrumque latus , Geniumque potentem
 Irrequietus ama. nunc , quod cupis ipse juberi ,
 Da Capitolinis æternum sedibus aurum ,
 Quo niteant sacri centeno pondere vultus 190

Cæsaris ; & propriæ signa cultricis amorem.
 Sic ego nec Furias , nec deteriora videbo
 Tartara , & Elysias felix admittar in oras.
 Hæc dicit labens , sociosque amplectitur artus ;
 Hærentemque animam non tristis in ora mariti 195

Transtulit , & cara pressit sua lumina dextra.
 At juvenis magno flammatus pectora luctu ,
 Nunc implet fævo viduos clamore penates :
 Nunc ferrum laxare cupit : nunc ardua tendit
 In loca : vix retinent comites. nunc ore ligato 200

Incubat amissæ , mersumque in corde dolorem
 Sævus agit. qualis conspecta conjuge segnis
 Odrysius vates positis ad Strymona plectris
 Obstupuit , tristemque rogum fine carmine flevit.
 Ille etiam certæ rupisset tempora vitæ , 205

Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires :

Sed prohibet mens fida Duci , jurataque sacris
 Imperiis , & major amor. Quis carmine digno
 Exsequias & dona malæ feralia pompæ
 Perlegat ? omne illic stipatum examine longo 210
 Ver Arabum Cilicumque fluit , floresque Sabæi ,
 Indorumque arsura seges , præreptaque templis
 Tura , Palæstini simul Hebræique liquores ,
 Coryciæque comæ , Cinyreaque germina. At altis
 Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit 215
 Tegmine : sed toto spectatur in agmine conjux
 Solus ; in hunc magnæ fleetuntur lumina Romæ ,
 Ceu juvenes natos suprema ad busta ferentem :
 Is dolor in vultu ; tantum crinesq[ue] genæque
 Sordis habent. Illam tranquillo fine solutam , 220
 Felicemque vocant ; lacrimas fudere marito.
 Est locus ante urbem , qua primum surgitur ingens
 Appia ; quaque Italo gemitus Almone Cybele
 Ponit , & Idæos jam non reminiscitur amnes .
 Hic te Sidonio velatam molliter ostro 225
 Eximius conjux (nec enim fumantia busta
 Clamoremque rogi potuit perferre) beato
 Composuit , Priscilla , toro. nil longior ætas
 Carpere , nil ævi poterunt vitiare labores
 Siccatam membris ; tantas venerabile marmor 230
 Spirat opes. mox in varias mutata novaris
 Effigies : hoc ære Ceres , hoc lucida Gnoſis ,
 Illo Maja tholo , Vénus hoc non improba faxo .
 Accipiunt vultus , haud indignata , decoros
 Numina : circumstant famuli , consuetaque turba 235
 Obsequiis. tum rite tori mensæque parantur

Affiduæ. domus ista, domus; quis triste sepulcrum
 Dixerit? Hac merito visa pietate mariti,
 Protinus exclames, Est hic, agnosco, minister
 Illius, æternæ modo qui sacraria genti

240

Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo.

Sic ubi magna novum Phario de litore puppis
 Solvit iter, jamque innumeros utrinque rudentes
 Lataque veliferi porrexit brachia mali,

Invasitque vias; in eodem angusta phaselus

245

Æquore, & immensi partem sibi vindicat Austri.

Quid nunc immodicos, juvenum lectissime, fletus
 Corde foves, longumque vetas exire dolorem?

Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat

250

Lattratus? tacet ille piis: ne tardior adsit

Navita, proturbetque vadis? vehit ille merentes
 Protinus, & Manes placidus locat hospite cymba.

Præterea, si quando pio laudata marito

255

Umbra venit, jubet ire faces Proserpina lætas,

Egressaque factis veteres Heroïdas antris

260

Lumine purpureo tristes laxare tenebras,

Sertaque & Elysios animæ præsternere flores.

Sic Manes Priscilla subit; ubi supplice dextra

Pro te Fata rogat, reges tibi tristis Averni

Placat, ut expletis humani finibus ævi

Pacantem terras Dominum, juvenemque relinquas

Ipse senex: certæ jurant in vota Sorores.

II. *Protrepticon ad Crispinum.*

RURA meus Tyrrhena petit, saltusque Tagetis
 Crispinus. nec longa mora est, aut avia tellus;
 Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
 Udaque turgentes impellunt lumina guttæ,
 Ceu super Ægeas hiemes abeuntis amici
 Vela sequar, spectemque ratem jam fessus ab altis
 Rupibus, atque oculos longo querar aere vinci.
 Quod si militiae jam te, puer inclyte, primæ
 Clara rudimenta, & castrorum dulce vocaret
 Auspicio, quanto manarent gaudia fletu,
 Quosve darem amplexus! & nunc optanda propinquant
 Tristia? Et octonus bis jam tibi circuit orbes
 Vita; sed angustis animus robustior annis,
 Succumbitque oneri, & mentem sua non capit ætas.
 Nec mirum: non te series in honora parentum
 Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem,
 Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
 Turmali, trabeaque Remi; nec paupere clavo
 Augustam sedem & Latii penetrale Senatus
 Advena pulsasti; sed præcedente tuorum
 Agmine. Romulei qualis per munera Circi,
 Cum pulcher visu & titulis generosus avitis
 Exspectatur equus, cuius de stemmate longo
 Felix emeritos habet admissura parentes:
 Illum omnes acciunt plausus, illum ipse volantem
 Pulvis & incurvæ gaudent agnoscere metæ:

10

15

20

25

Sic te, clare puer, genitum fibi Curia sensit,
Primaque patritia clausit vestigia luna.

Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agновere humeri. Sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater. quippe ille juventam
Protinus ingrediens, pharetratum invasit Araxem
Belliger, indocilemque fero servire Neroni
Armeniam. rigidi summam Mayortis agebat
Corbulo; sed comitem belli fociumque laborum
Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum; atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus: quod tempus amicum
Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello,

Quæ suspesta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenii. Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis juga quærere commoda castris,
Metari Bolanus agros, aperire malignas

Tot veprum nemorumque moras, tantamque verendi
Mentem implere ducis, jussisque ingentibus unus

Sufficere. ipsa virum norat jam barbara tellus:
Ille secundus apex bellorum, & proxima cassis.
Sic Phryges attoniti, quanquam Nemæa viderent
Arma, Cleonæusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen & Telamona timebant.

Disce, puer: nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos. aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem; quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen

Intrarit mandata gerens; quantusque potentis

Statius.

30

35

40

45

50

55

I

Mille urbes Asiae sortito rexerit anno,
 Imperium mulcente toga. bibe talia pronis
 Auribus : hæc certent tibi conciliare propinqu'i:
 Hæc iterent comites præcepta , senesque paterni. 60
 Jamque adeo moliris iter , nec deside passu
 Ire paras: nondum validæ tibi signa juventæ
 Irrepere genis , & adhuc decor integer ævi.
 Nec genitor juxta; fatis namque haustus iniquis
 Occidit, heu ! geminam prolem fine præside linquens. 65
 Nec saltē teneris ostrom' puerile lacertis
 Exuit, albentique humeros induxit amictu.
 Quem non corrupdit pubes effrena , novæque
 Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
 Silva comas tollit , fructumque exspirat in umbras. 70
 At tibi Pieriæ tenero sub pectori curæ,
 Et pudor , & docti legem sibi dicere mores ;
 Tunc hilaris probitas , & frons tranquilla , nitorque
 Luxuriæ confine timens , pietasque per omnes
 Dispensata modos; æquævo cedere fratri , 75
 Mirarique patrem , miseræque ignoscere matri.
 Admonuit fortuna domus : tibine illa nefanda
 Pocula , letalesque manu componere succos
 Evaluit, qui voce potes prævertere morsus
 Serpentum , atque omnes vultu placare novercas ? 80
 Infestare libet Manes , meritoque precatu
 Pacem auferre rogis: sed te , puer optime , cerno
 Flectentem justis , & talia dicta parantem :
 PARCE , precor , cineri: fatum illud , & ira nocentum
 Parcarum , crimenque Dei mortalia quisquis
 Pectora sero videt , nec primo in limine sistit 85

- Conatus scelerum , atque animos infanda parantes.
Excidat illa dies ævo , nec postera credant
Secula ! nos certe taceamus ; & obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis. 90
Exegit pœnas , hominum cui cura suorum ,
Quo Pietas auctore redit , terrasque revisit ,
Quem timet omne nefas. satis hæc , lacrimandaque nobis
Ultio. quin sævas utinam exorare liceret
Eumenidas , timidæque avertere Cerberon umbræ , 95
Immemoremque tuis citius dare Manibus amnem.
Maëste animo , juvenis ! sic crescunt crimina matris.
Nec tantum pietas , sed protinus ardua virtus
Affectionata tibi. nuper cum forte sodalis
Immeritæ falso palleret criminè famæ , 100
Erigeretque forum , succinctaque judice multo
Surgeret , & castum libraret Julia fulmen ;
Tu , quanquam non ante forum legesque severas
Passus , sed tacita studiorum occultus in umbra ,
Defensare metus , adversaque tela subiissi 105
Pellere , inermis adhuc & tiro , paventis amici.
Haud unquam tales aspexit Romulus annos
Dardanique senes , medii bellare togata
Strage fori. stupuere Patres tentamina tanta
Conatusque tuos ; pro te reus ipse timebat. 110
Par vigor & membris ; promtæque ad fortia vires
Sufficient animo , atque ingentia jussa sequuntur.
Ipse ego te nuper Tyberino ut litore vidi ,
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda ,
Pendentem in cursus , vexantemque ilia nudo 115
Calce ferocis equi , vultu dextraque minacem ;

Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi.

Getulo sic pulcher equo, Troianaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros

Aescanius, miseramque patri flagrabat Elisam.

Troilus haud aliter gyro breviore minaptes

Eludebat equos: aut quem de turribus altis

Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas

Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.

Ergo age, nam magni ducis indulgentia pulsat,

Certaque dat votis hilaris vestigia frater,

Surge, animo & fortis castrorum concipe curas:

Monstrabunt acies Mavors, Aethæaque virgo;

Fletere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus;

Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo

Nubigenas clypeos, intactaque cædibus æra.

Quasnam igitur terras, quem Cæsar is ibis in orbem?

Arctoosne amnes, & Rheni fracta natabis

Flumina? an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?

An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum

Sauromatas quaties? an te septenus habebit

Ister, & undoso circumflua conjuge Peuce?

An Solyrum cinerem, palmetaque capta subibis

Non sibi felices silvas ponentis Idumes?

Quod si te magno tellus frenata parenti

Accipiat, quantum ferus exsultabit Araxes!

Quanta Calydonios attollet gloria campos!

Cum tibi longævus referet trucis incola terræ,

Hic suetus dare jura parens; hoc cespite turmas

Affari: vigiles speculas, castellaque longe

Prospicis? ille dedit; cinxitque hæc mœnia fossa:

120

125

130

135

140

145

Belligeris hæc dona Deis , hæc tela dicavit ;
 Cernis adhuc titulos : hunc ipse , vocantibus armis ,
 Induit , hunc regi rapuit thoraca Britanno.

Qualiter in Tencros vietria bella paranti
 Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.

Felix , qui viridi fidens cœptaque juventa
 Durabis quascunque vices , vallumque subibis
 Forsan & ense latus (si numina principis adsint)

Cinctus , & unanimi comes indefessus amici ;
 Quo Pylades ex more pius , quo Dardana gessit
 Bella Menoetjades. quippe hæc concordia vobis ,
 Hic amor est ; duretque precor ! nos fortior ætas
 Jam fugit ; hinc votis animum precibusque juvabo.

Hei mihi , sed cœtus solitos si forte ciebo ,
 Et mea Romulei venient ad carmina patres ,
 Tu deeris , Crispine , mihi ; cuneosque per omnes
 Te meus absentem circumspetabit Achilles.

Sed venies melior ; (vatum non irrita currunt
 Omina) quique aquilas tibi nunc , & castra recludit ,
 Idem omnes perferre gradus , cinqique superbis
 Fascibus , & patrias dabit infedisse curules.

Sed quis ab excelsis Troianæ collibus Albæ ,
 (Unde suæ juxta prospectat moenia Romæ
 Proximus ille Deus) fama velocior intrat

Nuntius , atque tuos implet , Crispine , penates ?
 Dicebam certe , vatum non irrita currunt
 Auguria. en ! ingens referat tibi limen honorum
 Cæsar , & Ausionii committit munia ferri.

Vade , puer , tantisque enixus suffice donis.
 Felix , qui magno jam nunc sub præside juras ,

Cuique facer primum tradit Germanicus ensem!
Non minus hoc fortis, quam si tibi panderet ipse
Bellipotens aquilas, torvaque induceret ora
Casside. vade alacer, majoraque disce mereri.

180

III. *Epicedion in patrem suum.*

IPSE malas vires, & lamentabile carmen
Elyfio de fonte mihi, pulsusque sinistræ
Da, genitor perdoce, lyræ: neque enim antra movere
Delia, nec solitam fas est impellere Cyrrham
Te fine. Corycia quidquid modo Phœbus in umbra
Quidquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan,
Dedidici. fugere meos Parnasia crines
Vellera, funestamque ederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum,
Ille ego, magnanimū qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque æquare caendo.
Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatae præduxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, & nil dulce sonantes
Nec digitis, nec voce Deæ. dux ipsa, silenti
Fulta caput cithara, qualis post Orpheus raptum
Adstitit, Hebre, tibi, cernens jam surda ferarum
Agmina, & immotos sublato carmine lucos.
At tu, seu membris emissus in ardua tendis,
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, qua ducat semita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem

10

15

20

Causa queat, doctique modos extendis Arai:
 Seu tu Lethæi secreto in gramine campi
 Concilia heroum juxta Manesque beatos, 25
 Maeonium Ascræumque senem, non segnior umbra
 Accolis, alternumque sonas, & carmina misces;
 Da vocem magno, Pater, ingeniumque dolori.
 Nam me ter relegens coelum, terque ora retexens
 Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes 30
 Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis
 Irrubuit, cineremque oculis humentibus hausi.
 Vilis honos studiis: vix hæc in munera solvo
 Primum animum; tacitisque fitum depellere curis.
 Nunc etiam trepidante manu, nec lumine sicco 35
 Ordior, ac clinis tumulo, quo molle quiescis
 Jugera nostra tenens; ubi post Æneia fata
 Solatus, Latii ingessit montibus Albam.
 Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
 Odit, & infaultæ regnum dotale novercæ. 40
 His ego te (nam Sicanii non mitius halat
 Aura croci, dites nec sicubi rara Sabæi
 Cinnama, odoratas nec Arabs decerpfit aristas)
 Insertum cum laude locis, te carmine plango
 Pierio. sume hos gemitus, & munera nati, 45
 Et lacrimas, cari quas nunquam habuere parentes.
 Atque utinam fortuna mihi dare Manibus aras,
 Par templis opus, aeriamque educere molem,
 Cyclopum scopulos ultra, atque audacia faxa
 Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco! 50
 Illic & Siculi superasse dona sepulcri,
 Et Nemees lucum, & Pelopis solennia trunci.

Illuc Cœbalio non funderet aera disco
 Graiorum vis ulla virūm : non arva rigaret
 Sudor equūm , aut putri sonitum daret ungula campo ; 55
 Sed Phœbi simplex chorus . hic frondentia vatum
 Præmia laudato , genitor , tibi rite dicarem.
 Ipse madens lacrimis , umbrarum animæque sacerdos
 Præcipiterem redditum , cui te nec Cerberus omni
 Ore , nec Orpheæ quirent avertere leges : 60
 Meque habitus moresque tuos & facta canentem
 Fors & magniloquo non posthabuisset Homero ,
 Tenderet & torvo pietas æquare Maroni.
 Cur magis incessat Superos , & aena Sororum
 Stamina , quæ tepido genitrix super aggere nati 65
 Orba sedet ? vel quæ primævi conjugis ignem
 Aspicit , obstantesque manus , turbamque tenentem
 Vincit , in ardente (liceat) moritura maritum ?
 Major certe illis Superos & Tartara pulsem
 Invidia : externis etiam miserabile visu 70
 Funus eat. Sed nec modo se Natura dolenti ,
 Nec Pietas injusta dedit : r'hi limine primo
 Fatorum , & viridi , genitor , ceu raptus ab ævo ,
 Tartara dura subis. nec enim Marathonia virgo
 Parcius exstinctum sœvorum crimine agrestum 75
 Fleverit Icarium , Phrygia quam turre cadentem
 Astyanacta parens. laqueo quin illa supremos
 Inclusit gemitus : at te , post funera magni
 Hectoris , Hæmonio pudor est servisse marito.
 Non ego quas fati certus sibi voce canora 80
 Inferias præmittit olor ; nec rupe quod atra
 Tyrhenæ volucres nautis prædulce minantur ,

- In patrios adhibebo rogos; non murmure truncō
Quod gemit, & diræ queritur Philomela sorori;
Nota nimis vati. quis non in funera cunctos 85
Heliadum ramos, lacrimosaque germina duxit,
Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec foeda gavisam Pallada buxo?
Te pietas oblita virūm, revocataque cœlo
Iustitia, & gemina planget facundia lingua; 90
Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi;
Quis honor Aonios seno pede ducere cantus,
Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyræ, nomenque fuit: quosque orbe sub omni
Ardua septena numerat Sapientia fama: 95
Qui furias, regumque dolos, aversaque cœlo
Sidera terrifico super intonuere cothurno:
Et quis lasciva vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos gressu truncare tenores.
Omnia namque animo complexus, & omnibus auctor, 100
Qua fandi via lata patet: five orsa libebat
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, & effreno nimbos æquare profatu.
Exsere semiustos Vesuvino fulgure vultus,
Parthenope, crinemque afflato monte sepulti 105
Pone super tumulos, & magni funus alumni,
Quo non Monychiæ quidquam præstantius arces,
Doctave Cyrene, Sparteve animosa creavit.
Si tu stirpe vetus, famæque obscura jaceres,
Nil gentile tumens, illo te cive probares 110
Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci.
Ille tuis toties pressit sua tempora fertis,

Cum stata laudato caneret Quinquennia verfu,
 Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
 Dulichii, specieque comam subnexus utraque. 115
 Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus,
 Nec sine luce genus; (quanquam fortuna parentum
 Arctior expensis) etenim te divite ritu
 Ponere purpureos infantia adegit amictus
 Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum. 120
 Protinus exorto dextrum risere sorores
 Aonides, pueroque chelyn summisit, & ora
 Imbuit amne sacro, jam tum tibi blandus, Apollo.
 Nec simplex patriæ decus, & natalis origo
 Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ. 125
 Te de gente suum Latiis ascita colonis
 Graia refert Selle; (Phrygius qua puppe magister
 Excidit, & mediis miser evigilavit in undis;)
 Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.

* * * * *

Mæonidēn, aliæque aliis natalibus urbes 130
 Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
 Verus: alit viëtos immanis gloria falsi.
 Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas,
 Protinus ad patrii raperis certamina lustri
 Vix implenda viris, laudum festinus, & audax 135
 Ingenii: stupuit primæva ad carmina plebes
 Eubœa, & natis te monstravere parentes.
 Inde frequens palmæ, nulloque ingloria sacro
 Vox tua. non toties victorem Castora gyro,
 Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ. 140
 Sit proum viciſſe domi; quid Achæa mereri

Præmia, nunc ramis Phoebi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantea protectum tempora pinu? 139
Cum toties lassata, tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem.

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, moresque & facta priorum
Discere: quis casus Troiæ; quam tardus Ulixes;
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Mæonides; quantumque pios ditarit agrestes 145
'Ascræus, Siculusque senex: qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrumque precator
Ibycus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Stesichorusque ferox, astusque egressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho;

Quosque aliens dignata chelys, tu pandere docti
Carmina Battiadæ, latebrasque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinnæ;
(Sed quid parva loquor?) tu par assuetus Homero
Ferre jugum, senosque pedes æquare solutis 150
Vocibus, & nunquam passu breviore relinqui.
Quid mirum, patria si te petiere relicta,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidæ, vel quos e vertice Surrentino

Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, & Ausonii pridem laris hospita Cyme:
Quosque Dicarchei portus, Baianaque mittunt
Litora, qua mediis alte permixtus anhelat 155
Ignis aquis, & operta animos incendia servant.

Sic ad Avernales scopulos , & opaca Sibyllæ
Antra , rogaturæ veniebant undique gentes.

Illa minas Divum , Parcarumque aëta canebat ,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo.

Mox & Romuleam stirpem , proceresque futuros
Instruis , inque patrum vestigia ducere perstas.

Sub te Dardanius facis explorator operæ ,
Qui Diomedei celat penetralia furti ,

Crevit , & inde sacrum didicit puer. arma probare

Monstrasti Salis , præfigumque æthera certis

Auguribus ; cui Chalcidicum fas volvere carmen ,

Lanea cui Phrygii est coma flaminis , & tua multum

Verbera succinætj formidavere Luperci.

Et nunc ex illo forsan grege , gentibus alter

Jura dat Eois , alter compescit Iberos ,

Alter Achæmenium secludit Zeugmate Persen :

Hi dites Afiae populos , hi Pontica frenant ,

Hi fora pacificis emendant fascibus , illi

Castra pia statione tenent : tu laudis origo .

Non tibi certassent juvenilia fingere corda

Nestor , & indomiti Phœnix moderator alumni ;

Quique tubas acres , lituosque audire volentem

Æaciden , alio frangebat carmine Chiron.

Talia dum celebras , subitam civilis Erinnys

Tarpeio de monte facem , Phlegræaque movit

Prælia . sacrilegis lucent Capitolia tædis ,

Et Senonum furias Latiae sumfere cohortes .

Vix requies flammæ , nec dum rogus ille Deorum

Siderat , excisis cum tu solatia templis

Impiger , & multum facibus velocior ipfis ,

175

180

185

190

195

200

- Concipis ore pio , captivaque fulmina defles.
 Mirantur Latii proceres , ultiorque Deorum
 Cæsar , & e medio Divum pater annuit igni.
 Jamque & flere pio Vesuvina incendia cantu
 Mens erat , & gemitum patriis impendere damnis ;
 Cum pater exemnum terris ad fidera montem
 Sustulit , & late miseris dejecit in urbes. 205
- Me quoque vocales lucos lustrataque Tempe
 Pulsantem , cum stirpe tua descendere dixi ,
 Admiseris Deæ : nec enim mihi fidera tanti ,
 Aequoraque & terras , quam vos debere parenti.
 Tu decus hoc quodcunque lyræ , primusque dedisti
 Non vulgare loqui , & famam sperare sepulcro. 210
- Qualis eras , Latios quoties ego carmine patres
 Mulcerem , felixque tui spectator adesses
 Muneris ! heu quali confusus gaudia fletu ,
 Vota piosque metus inter , lætumque pudorem !
 Quam tuus ille dies ! quam non mihi gloria major ! 215
- Talis Olympiaca juvenem cum spectat arena
 Qui genuit , plus ipse ferit , plus corde sub alto
 Cæditur : attendunt cunei ; spectatur athletes
 Ille magis , crebro dum lumina pulveris haustu
 Obruit , & prensa vovet exspirare corona. 220
- Hei mihi quod tantum patrias ego vertice frondes ,
 Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
 Te sub teste tuli ! qualem te Dardanus Albæ
 Vix cepisset ager , si per me ferta tulisses
 Cæsarea donata manu ! quod subdere robur
 Illa dies , quantum potuit demissæ senectæ ? 225
- Heu quod me mixta quercus non preffit oliva , 230

Et fugit speratus honos , cum Lustra parentis
 Invida Tarpeii canerem ! Te nostra magistro
 Thebais urgebat priscom exordia vatum :
 Tu cantus stimulare meos , tu pandere fastra
 Heroum , bellique modos , positusque locorum
 Monstrabas. labat incerto mihi limite cursus
 Te sine , & orbatæ caligant vela carinæ.

Nec solum larga memet pietate fovebas :

Talis & in thalamos. una tibi cognita tæda

Connubia , unus amor. certe sejungere matrem
 Jam gelidis nequeo bustis ; te senit , habetque ,
 Te videt , & tumulos ortuque obituque salutat ,
 Ut Pharios aliae ficta pietate dolores

Mygdoniosque colunt , & non sua funera plorant.

Quid referam expositos servato pondere mores ?

Quæ pietas ? quam vile lucrum ? quæ cura pudoris ?

Quantus amor recti ? rursusque , ubi dulce remitti ,

Gratia quæ dictis ? animo quam nulla seneatur ?

His tibi pro meritis , famam laudesque benignas

Index cura Deum , nulloque e vulnere tristes

Concessit. raperis , genitor , non indigus ævi ,

Non nimius ; trinisque decem quinquennia lustris

Juncta ferens. sed me pietas numerare , dolorque

Non finit. o Pylias ævi transcendere metas ,

Et Teucros æquare fenes , o digne videre

Me similem ! Sed nec leti tibi janua tristis :

Quippe leves causæ ; nec segnis tabe senili

Exitus instanti præmisit membra sepulcro ;

Sed te torpor iners , & mors imitata quietem ,

Explicit , falsoque tulit sub Tartara somno.

235

240

245

250

255

260

Quos ego tunc gemitus? comitum manus anxia vidit,
 Vedit & exemplum genitrix, gavisaque vovit
 Quæ lamenta tuli. veniam concedite, Manes;
 Fas dixisse, Pater: non tu mihi plura dedisses.

265

Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis,
 Vellat &, Elysia quamvis in sede locatum,
 Abripere, & Danaas iterum portare per umbras;
 Tentantem & vivos molitum in Tartara gressus,
 Detulit infernæ vates longæva Dianæ.

270

Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
 Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras,
 Si conjux retro Phylaceida rettulit umbram,
 Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes,
 Aut mea? fas mihi fit patrios contingere vultus,

275

Fas junxisse manus, & lex quæcunque sequatur.
 At vos umbrarum reges, Ennaeque Juno

(Si laudanda precor) tædas auferte, comasque
 Eumenidum: nullo sonet asper janitor ore:

Centaurosque, Hydræque greges, Scyllæaque monstra 280
 Aversæ celent valles; umbramque senilem
 Invitet ripis, discussa plebe, supremis
 Væctor, & in media componat molliter alga.

Ite, pii Manes, Graiūmque examina vatum,
 Illustremque animam Lethæis spargite fertis,
 Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
 In quo falsa dies, cœloque simillimus aer.

285

Inde tamen venias melior, qua porta malignum
 Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra
 Quæ solitus. Sic sacra Numæ, ritusque colendas 290
 Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro:

Scipio sic plenos Latio Jove ducere somnos
Creditur Ausoniis, & non sine Apolline Sulla.

IV. *Ad Somnum.*

CRIMINE quo merui juvenis, placidissime Divum,
Quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus, volucresque, feræque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluiis idem sonus; occidit horror
Æquoris, & terris maria acclinata quiescunt.
Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras
Stare genas; totidem Ætææ, Paphiæque recursant
Lampades, & toties nostros Tithonia questus
Præterit, & gelido tangit miserata flagello.
Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,
Quæ sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, & haud unquam vigilabat corpore toto.
Et nunc fors aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultiro te, Somne, repellit.
Inde veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; (hoc turba precetur
Lætior) extremo me tange cacumine virgæ,
(Sufficit) aut levior suspenso poplite transi.

10

15

V. Epicedion in puerum suum.

Me miserum (neque enim verbis solennibus ulla
 Incipiam nunc, Castaliæ vocalibus undis
 Invitus, Phœboque gravis) quæ vestra, sorores,
 Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?
 Dicite: post poenam liceat commissa fateri.
5
 Numquid inaccesso posui vestigia luco?
 Num verito de fonte bibi? quæ culpa? quis error;
 Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis
 Viscera nostra tenens animamque, avellitur infans;
 Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
10
 Oraque; non fueram genitor: sed cernite fletus,
 Liventesque genas, & credite planetibus orbi,
 Orbis ego. Huc patres, & aperto pectore matres
 Convenient, cineretisque oculis, & munera fert.
 Si qua sub uberibus plenis ad funera natos
15
 Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
 Pectus, & ardentes restinxit laete favillas;
 Quisquis adhuc teneræ signatum flore juventæ
 Immersit cineri juvenem, primaque jacentis
 Serpere crudeles vident lanugine flamas,
20
 Adsit, & alterno mecum clamore fatiscat:
 Vincetur lacrimis, & te, Natura, pudebit.
 Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus.
 Hoc quoque cum in *** ter dena luce peracta
 Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
25
 Discordesque modos, & singultantia verba

Statius.

K

Molior. orsa *** est: atque ira tacendi
 Impatiens. sed nec solitae mihi vertice laurus ,
 Nec fronti vittatus honos. en taxea marcer
 Silva comis , hilaresque ederas plorata cupressus 30
 Excludit ramis. ignavo pollice chordas
 Pulso : sed incertum digitis errantibus amens
 Tundo chelyn. juvat heu , juvat illandabile carmen
 Fundere , & incomte miserum laudare dolorem:
 Sic merui ; sic me cantuque habituque nefastum 35
 Aspiciant Superi. pudeat Thebasque novumque
 Aëciden : nil jam placitum manabit ab ore.
 Ille ego , qui toties blandus matrumque patrumque
 Vulnera , qui vivos potui mulcere dolores ;
 Ille ego lugentum mitis solator , acerbis 40
 Auditus tumulis , & descendantibus umbris ,
 Deficio , medicasque manus , fomentaque quæro
 Vulneribus (sed summa) meis. Nunc tempus , amici ,
 (Quorum ego manantes oculos & saucia terfi
 Pectora) reddere opem , sævasque exsolvere grates. 45
 Nimirum tunc vestra domans ego vulnera , moestos
 Increpui : nunc damna dolens alterna , reposco
 In felix lacrimas , & mitia carmina quæro.
 Verum erat: absuntæ vires , & copia fandi
 Nulla mihi , dignumque nihil mens fulmine tanto 50
 Repperit. inferior vox omnis , & omnia fordent
 Verba. ignosce , puer : tu me caligine mersum
 Obruis ah dira. viso sic vulnere caræ
 Conjugis , invenit caneret quod Thracius Orpheus
 Dulce fibi: sic busta Lini complexus Apollo 55
 Non tacuit. Nimius fortasse, avidusque doloris

Dicar, & in lacrimis justum excessisse pudorem.
 Quisnam autem gemitus, lamentaque nostra reprendit?
 O nimium felix, nimium crudelis, & expers
 Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem
 Fletibus, aut fines audet censere dolendi!
 Incitat (heu) planetus, potius fugientia ripas
 Flumina devincas, rapidis aut ignibus obfes,
 Quam miseros lugere vetes. tamen ille severus
 (Quisquis is est) nostræ cognoscat vulnera causæ.
 Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
 Delicias, doctumque sui convicia Nili
 Infantem, lingua nimium, salibusque protervum
 Dilexi. meus ille, meus: tellure cadentem
 Excepi, & vinclum genitali carmine fovi;
 Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
 Inserui vitæ. quid plus tribuere parentes?
 Quin alias ortus, libertatemque sub ipsis
 Uberibus tibi, parve, dedi: tu munera nostra
 Ridebas, ignarus adhuc. properaverit ille,
 Sed merito properabat, amor; ne perderet ullum
 Libertas tam parva diem. nonne horridus ipsis
 Invidia Superos, injustaque Tartara pulssem?
 Nonne gemam te, care puer? quo sospite natos
 — Non cupi: primo gremium cui protinus ortu
 Applicui, fixique meum: cui verba, sonosque
 Monstravi, questusque & murmura cæca resolvens;
 Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
 Erexì; blandique sinus jam jamque natantes

60

65

70

75

80

Excepisse genas , dulcesque accersere somnos.

85

Cui nomen vox prima meum , ludusque tenello
Ritus , & e nostro veniebant gaudia vultu.

* * * *

Desunt cetera.

P. PAPINII STATII
THEBAIDOS
LIBRI XII

A R G U M E N T A

L I B R O R U M D U O D E C I M

T H E B A I D O S

Ex vetustissimo codice Toletano.

SOLVITUR in *Primo* fratrum concordia libro.
Denegat & foedus, repetitaque regna *Secundus*.
Tertius in Thebas inflammat Dorica castra.
In *Quarto* Mavors bello rapit undique Grajos.
Quintus & Hypsipyles luctus, narratque dolores.
Archemori *Sextus* ludos ad funera dicit.
Septimus obfessas Thebas, vatisque sepulcrum.
Occidit *Oktavo* Menalippi cuspide Tydeus.
Hippomedonta solo dat *Nonus* & Arcada telo.
Cuspide fulminea *Decimus* Capanea terebat.
Undecimus parili germanos funere jungit.
Ultimus Ogygias dat vincere Thesea Thebas.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER I.

FRATERNAS acies , alternaque regna profanis
 Decertata odiis , fontesque evolvere Thebas ,
 Pierius menti calor incidit . Unde jubetis
 Ire Deæ ? Gentisne canam primordia diræ ?
 Sidonios raptus , & inexorabile paclum
 Legis Agenoreæ ? scrutantemque æquora Cadmum ?
 Longa retro series , trepidum si Martis operti
 Agricolam infandis condentem prælia sulcis
 Expediam , penitusque sequar , quo carmine muris
 Jussit Amphion Tyrios accedere montes .
 Unde graves iræ cognata in mœnia Baccho ,
 Quod fœvæ Junonis opus , cui sumserit arcum
 Infelix Athamas , cur non expaverit ingens
 Ionium , socio casura Palæmone mater .
 Atque adeo jam nunc gemitus , & prospera Cadmi
 Præteriisse finam : limes mihi carminis esto
 Edipodæ confusa domus : quando Itala nondum
 Signa , nec Arctoos ausim sperare triumphos ,

Bisque jugo Rhenum , bis adaectum legibus Istrum ;
Et conjurato dejectos vertice Dacos : 20
Aut defensa prius vix pubescentibus annis
Bella Jovis, Tuque o Latiae decus addite famæ ,
Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis
Æternum sibi Roma cupit : licet arctior omnes
Limes agat stellas , & te plaga lucida cœli
Pleiadum , Boreæque , & hiulci fulminis expers . 25
Sollicitet ; licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat , aut magni cedat tibi Juppiter æqua
Parte poli ; maneas hominum contentus habenis ,
Undarum terræque potens , & fidera dones. 30
Tempus erit , cum Pierio tua fortior œstro
Facta canam : nunc tendo chelyn. fatis arma referre
Aonia , & geminis sceptrum exitiale tyrannis ,
Nec furii post fata modum , flammisque rebelles . 35
Seditione rogi , tumultisque parentia regum
Funera , & egestas alternis mortibus urbes.
Cœrula cum rubuit Lernæo sanguine Dirce ,
Et Thetis arentes assuetum stringere ripas ,
Horruit ingenti venientem Ismenon acervo. 40
Quem prius heroum , Clio , dabis ? immodicum iræ
Tydea ? laurigeri subitos an vatis hiatus ?
Urget & hostilem propellens cœdibus amnem
Turbidus Hippomedon , plorandaque bella protervi
Arcados , atque alio Capaneus horrore canendus. 45
Impia jam merita scrutatus lumina dextra
Merferat æterna damnatum nocte pudorem
Œdipodes , longaque animam sub morte tenebat.

Illum indulgentem tenebris , imæque recessu
 Sedis , inaspe^tos cœlo , radiisque penates 50
 Servantem , tamen assiduis circumvolat alis
 Sæva dies animi , scelerumque in pe^catore Diræ.
 Tunc vacuos orbes , crudum ac miserabile vitæ
 Supplicium , ostentat cœlo , manibusque cruentis
 Pulsat inane solum , sævaque ita voce precatur : 55
 Di , fontes animas , angustaque Tartara pœnis
 Qui regitis , tuque umbrifero Styx livida fundo ,
 Quam video , multumque mihi consueta vocari
 Annue , Tisiphone , perversaque vota secunda :
 Si bene quid merui , si me de matre cadentem 60
 Fovisti gremio , & trajectum vulnere plantas
 Firmasti : si stagna petii Cyrrhæa bicorni
 Interfusa jugo , possem cum degere falso
 Contentus Polybo , trifidæque in Phocidos arcto
 Longævum implicui regem , secuique trementis 65
 Ora senis , dum quærō patrem : si Sphyngos iniquæ
 Callidus ambages te præmonstrante resolvi :
 Si dulces furias , & lamentabile matris
 Connubium gavisus inii ; noctemque nefandam
 Sæpe tuli , natosque tibi (scis ipsa) paravi : 70
 Mox avidus pœnæ digitis cædentibus ulro
 Incubui , miseraque oculos in matre reliqui ;
 Exaudi , si digna precor , quæque ipsa furenti
 Subjiceres : Orbum visu , regnisque , parentem
 Non regere , aut diëtis mœrentem flectere adorri 75
 Quos genui , quo^cunque toro : quin ecce superbi
 (Pro dolor) & nostro jamdudum funere reges
 Insultant tenebris , gemitusque odere paternos .

Hisne etiam funestus ego? & videt ista Deorum
 Ignavus genitor? tu saltem debita vindex 80
 Huc ades, & totos in poenam ordire nepotes.
 Indue quod madidum tabo diadema cruentis
 Unguisbus atripui, votisque instincta paternis
 I media in fratres, generis consortia ferro
 Diffiliant: da Tartarei regina barathri 85
 Quod cupiam vidisse nefas. nec tarda sequetur
 Mens juvenum, modo digna veni, mea pignora nosces.
 Talia jaētanti crudelis Diva severos
 Advertit vultus. inamoenum forte sedebat
 Cocyton juxta resolutaque vertice crines, 90
 Lambere sulfureas permiserat anguis undas.
 Ilicet igne Jovis, lapfisque citior astris
 Tristibus exsiliuit ripis, discedit inane
 Vulgus, & occurus dominæ pavet. illa per umbras
 Et caligantes animarum examine campos, 95
 Tenariæ limen petit irremeabile portæ.
 Sensit adesse dies: piceo nox obvia nimbo
 Lucentes turbavit equos. procul arduus Atlas
 Horruit, & dubia cœlum cervice remisit.
 Arripit exemplo Maleæ de valle resurgens 100
 Notum iter ad Thebas. neque enim velocior ullas
 Itque redditque vias, cognataque Tartara mayult.
 Centum illi stantes umbrabant ora cerastræ,
 Turba minor diri capitis: sedet intus abastis
 Ferrea lux oculis. qualis per nubila Phœbes 105
 Atracia rubet arte labor: suffusa veneno
 Tenditur, ac sanie gliscit cutis: igneus atro
 Ore vapor; quo longa sitis, morbiique, famesque,

Et populis mors una venit. riget horrida tergo
Balla, & coerulei redeunt in pectori nodi.

110

Atropos hos, atque ipsa novat Proserpina cultus.
Tum geminas quatit illa manus. haec igne rogali
Fulgurat, haec vivo manus aera verberat hydro.

Ut stetit, abrupta qua plurimus arce Citharon

Occurrit cœlo, fera sibila crine virenti

115

Congeminat, signum terris, unde omnis Achæi

Ora maris late, Pelopeiaque regna resultant.

Audiit & medius cœli Parnassus, & asper

Eurotas, dubiamque jugo fragor impulit Eten

120

In latus, & geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.

Ipsa suum genitrix, curvo delphine vagantem

Arripuit frenis, gremioque Palæmona pressit.

Atque ea Cadmeo præceps ubi limine primum

Constitut, afflueraque infecit nube penates:

Protinus attoniti fratrum sub pectori motus,

125

Gentilisque animos subiit furor, ægraque lætis

Invidia, atque parens odii metus. inde regendi

Sævus amor: ruptæque vices, jurisque secundi

Ambitus impatiens, & summo dulcissimum

Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

130

Sic ubi delectos per torva armenta juvencos

Agricola imposito sociare affectat aratro:

Illi indignantes, quis nondum vomere multo

Ardua nodosos cervix descendit in atmos,

In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant

135

Viribus, & vario confundunt limite sulcos:

Haud secus indomitos præceps discordia fratres

Asperat. alterni placuit sub legibus anni

Exfilio mutare ducem. sic jure maligno
 Fortunam transfire jubent , ut sceptra tenentem 140
 Fœdere præcipiti semper novus angeret heres.
 Hæc inter fratres pietas erat : hæc mora pugnæ
 Sola , nec in regem perduratura secundum.
 Et nondum crasso laquearia fulva metallo ,
 Montibus aut alte Graiis effulta nitebant 145
 Atria , congestos satis explicitura clientes.
 Non impacatis regum advigilantia somnis
 Pila , nec alterna ferri statione gementes
 Excubiaæ , nec cura mero committere gemmas ,
 Atque aurum violare cibis. sed nuda potestas 150
 Armavit fratres : pugna est de paupere regno.
 Dumque uter angustæ squalentia jugera Dirces
 Verteret , aut Tyrii folio non altus ovaret
 Exfulis , ambigitur ; periit jus , fasque , bonumque ,
 Et vitæ , mortisque pudor. Quo tenditis iras , 155
 Ah miseri ? quid si peteretur crimine tanto.
 Limes uterque poli , quem Sol emissus Eoo
 Cardine , quem porta vergens prospectat Ibera ?
 Quasque procul terras obliquo fidere tangit
 Avius , aut Borea gelidas , madidive tepentes 160
 Igne Noti ? quid si Tyriæ Phrygiæve sub unum
 Convegentur opes ? loca dira , arcesque nefandæ
 Suffecere odio , furtisque immanibus emtum est
 Ædipodæ sedisse loco. Jam forte carebat
 Dilatus Polynicis honos. quis tum tibi , sæve , 165
 Quis fuit ille dies ? vacua cum solus in aula
 Respiceret jus omne tuum , cunctosque minores ,
 Et nusquam par stare caput ? Jam murmura serpunt

Plebis Echioniae, tacitumque a principe vulgus
 Diffidet, & (qui mos populis) venturus amatur.
 Atque aliquis, cui mens humili læfisse veneno
 Summa, nec impositos unquam cervice volenti
 Ferre duces: Hancne Ogygiis, ait, aspera rebus
 Fata tulere vicem? toties mutare timendos,
 Alternoque jugo dubitantia subdere colla!

170

Partiti versant populorum fata, manuque
 Fortunam fecere levem. semperne vicissim
 Exfulibus servire dabor? tibi, summe Deorum
 Terrarumque sator, sociis hanc addere mentem
 Sedit? an inde vetus Thebis extenditur omen,
 Ex quo Sidonii nequidquam blanda juvenci
 Pondera, Carpathio jussus sale quærere Cadmus
 Exsul Hyanteos invenit regna per agros:

180

Fraternasque acies foetæ telluris hiatu
 Augurium, seros dimisi adusque nepotes?
 Cernis, ut erectum torva sub fronte minetur
 Sævior assurgens demto consorte potestas?
 Quas gerit ore minas? quanto premit omnia fastu?
 Hicne unquam privatus erit? tamen ille precanti
 Mitis, & affatu bonus & patientior æqui.
 Quid mirum? non solus erat. non vilis in omnes
 Promta manus casus domino cucunque parati.
 Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
 Vela trahunt, nutat mediæ fortuna carinæ.
 Heu dubio suspensa metu, tolerandaque nullis
 Aspera fors populis! hic imperat: ille minatur.
 At Iovis imperiis rapidi super atria cœli
 Leitus concilio Divum convenerat ordo.

185

190

195

Interiore polo. spatiis hinc omnia juxta
 Primæque occiduæque domus , effusa sub omni 200
 Terra atque unda die. mediis sese arduus infert
 Ipse Deis , placido quatiens tamen omnia vultu ,
 Stellantique locat folio. nec protinus ausi
 Cœlicolæ , veniam donec pater ipse fedendi
 Tranquilla jubet esse manu. mox turba vagorum
 Semideum , & summis cognati nubibus amnes , 205
 Et compressa metu servantes murmura venti
 Aurea teæta replent , mixta convexa Deorum
 Majestate tremunt : radiant majore sereno
 Culmina , & arcano florentes lumine postes. 210
 Postquam iussa quies , filuitque exterritus orbis ,
 Incipit ex alto : (grave & immutabile sanctis
 Pondus adest verbis , & vocem Fata sequuntur)
 Terrarum delicta , nec exsuperabile Djris
 Ingenium mortale queror. quonam usque nocentum 215
 Exigar in poenas? tædet saevire corusco
 Fulmine. jam pridem Cyclopum operosa fatiscunt
 Brachia , & Æoliis desunt incudibus ignes.
 Atque ideo tuleram falso rectore solutos
 Solis equos , cœlumque rotis errantibus uri , 220
 Et Phaethontea mundum squallere favilla.
 Nil actum est : neque tu valida quo cuspidé late
 Ire per illicitum pelago , germane , dedisti.
 Nunc geminas punire domos , quis sanguinis auctor
 Ipse ego , descendō. Perseos alter in Argos 225
 Scinditur , Aonias fluit hic ab origine Thebas.
 Mens cunctis imposta manet : quis funera Cadmi
 Nesciat? & toties excitam a sedibus imis

- Eumenidum bellasse aciem ? mala gaudia matrum ,
 Erroresque feros nemorum , & reticenda Deorum 230
 Crimina ? vix lucis spatio , vix noctis abastæ
 Enumerare queam mores , gentemque profanam.
 Scandere quin etiam thalamos hic impius heres
 Patris , & immeritæ gremium incestare parentis
 Appetiti , proprios monstro revolutus in ortus. 235
 Ille tamen Superis æterna piacula solvit ,
 Projecitque diem : nec jam amplius æthere nostro
 Vescitur , at nati (facinus fine more !) cadentes
 Calcavere oculos. jam jam rata vota tulisti ,
 Dire senex : meruere tuæ , meruere , tenebræ 240
 Ultorem sperare Jovem. nova fontibus arma
 Injiciam regnis , totumque a stirpe revellam
 Exitiale genus. belli mihi semina funto
 Adraustus sacer , & Superis adjuncta sinistris
 Connubia. Hanc etiam poenis incessere gentem 245
 Decretum. neque enim arcano de pectore fallax
 Tantalus , & sævæ periit injuria mensæ.
 Sic pater omnipotens. ast illi saucia dictis
 Flammatu versans inopinum corde dolorem
 Talia Juno refert : Mene , o justissime Divum , 250
 Me bello certare jubes ? scis semper ut arcis
 Cyclopum , magnique Phoroneos inclytæ fama
 Sceptra viris , opibusque juvem , licet improbus illic
 Custodem Phariæ , somno letoque juvencæ
 Extinguas , septis & turribus aureus intres. 255
 Mentitis ignosco toris : illam odimus urbem ,
 Quam vultu confessus adis : ubi conscia magni
 Signa tori , tonitus agis , & mea fulmina torques.

Facta luant Thebæ: cur hostes eligis Argos?

Quin age, si tanta est thalami discordia sancti,
Et Samon, & veteres armis exscinde Mycenæ.

260

Verte solo Spartæ. cur usquam sanguine festo
Conjugis ara tuæ, cumulo cur turis Eoi
Læta calet? melius votis Mareotica fumat
Coptos, & ærisoni lugentia flumina Nili.

265

Quod si prisca luunt auëtorum crimina gentes,
Subvenitque tuis sera hæc sententia curis;
Percensere ævi senium, quo tempore tandem
Terrarum furias abolere, & secula retro
Emendare sat est? jamdudum ab sedibus illis
Incipe, fluctivaga qua præterlabitur unda
Sicanos longe relegens Alpheus amores.

270

Arcades hic tua (nec pudor est?) delubra nefastis
Imposuere locis: illic Mavortius axis

Ænomai, Geticoque pecus stabulare sub Æmo
Dignius: abruptis, etiamnum inhumata procornu

275

Relliquiis truncæ ora rigent. tamen hic tibi templi
Gratus bonos. placet Ida nocens, mentitaque manes

Creta tuos. me Tantaleis confistere teftis,

Quæ tandem invidia est? belli defleste tumultus,

280

Et generis miseresce tui. sunt impia late

Regna tibi, melius generos passura nocentes.

Finierat miscens precibus convicia Juno.

At non ille gravis, dictis, quanquam aspera, motus

Reddidit hæc: Evidem haud rebar te mente secunda

285

Laturam, quodcumque tuos (licet æquus) in Argos

Consulerem, neque me (detur si copia) fallit

Multa super Thebis Bacchum, ausuramque Dionem

- Dicere, sed nostri reverentia ponderis obstat.
 Horrendos etenim latices, Stygia æquora fratris 290
 Obtestor, mansum & non revocabile verum,
 Nil fore quo dictis flectar, quare impiger ales
 Portantes præcede Notos, Cyllenia proles:
 Aera per liquidum, regnisque illapsus opacis
 Dic patruo: superas senior se tollat ad auras 295
 Laüs, exstinctum nati quem vulnere, nondum
 Ulterior Lethes accepit ripa, profundi
 Lege Erebi: ferat hæc diro mea jussa nepoti:
 Germanum exilio fretum, Argolicisque tumentem
 Hospitiis, quod sponte cupit, procul impius aula 300
 Arceat, alternum regni insitiatuſ honorem:
 Hinc causæ irarum. certo reliqua ordine ducam.
 Paret Atlantides dictis genitoris, & inde
 Summa pedum propere plantaribus illigat alis,
 Obnubitque cœmas, & temperat astra galero. 305
 Tum dextræ virgam inferuit, qua pellere dulces
 Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire
 Tartara, & exsangues animare assueverat umbras.
 Desiluit; tenuique exceptus inhorruit aura.
 Nec mora, sublimes raptim per inane volatus 310
 Carpit, & ingeni designat nubila gyro.
 Interea patriis olim vagus exſul ab oris
 Edipodionides furto deserta pererrat
 Aoniæ. jam jamque animis male debita regna
 Concepit, & longum signis cunctantibus annum 315
 Stare gemit, tenet una dies noſteſque recursans
 Cura virum, si quando humilem decidere regno
 Germanum, & ſemet Thebis, opibusque potitum

Statius.

L



Cerneret, hac ævum cupiat pro luce pacisci.
 Nunc queritur ceu tarda fugæ dispendia: sed mox 320
 Attollit flatus ducis, & sedisse superbum
 Dejecto se fratre putat, spes anxia mentem
 Extrahit, & longo consumit gaudia voto.
 Tunc sedet Inachias urbes, Danaeiaque arva,
 Et caligantes abrupto sole Mycenæ, 325
 Ferre iter impavidum. seu prævia dicit Erinnys,
 Seu fors illa viæ, sive hac immota vocabat
 Atropos. Ogygiis ululata furoribus antra
 Deserit, & pingues Baccheo sanguine colles.
 Inde plagam, qua molle sedens in plana Cithæron 330
 Porrigitur, lassumque inclinat ad æquora montem,
 Præterit. hinc arête scopuloſo in limite pendens,
 Infames Scyrone petras, Scyllæaque rura
 Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
 Linquit, & in mediis audit duo litora campis. 335
 Jamque per emeriti surgens confinia Phœbi
 Titanis, late mundo subvesta silenti
 Rorifera gelidum tenuaverat aera biga.
 Jam pecudes volucresque tacent: jam somnus avaris
 Inserpit curis, pronusque per aera nutat, 340
 Grata laboratæ referens obliavia vitæ.
 Sed nec puniceo redditum nubila cœlo
 Promiserit jubar, nec rarefentibus umbris
 Longa repereſſo nituere crepuscula Phœbo.
 Densior a terris, & nulli pervia flammæ 345
 Subtexit nox atra polos. jam clauſtra rigidis
 Æoliæ percussa ſonant, venturaque rauco
 Ore minatur hiems, venti transverſa frementes



- Configunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum coelum sibi quisque rapit. sed plurimus Auster 350
Inglomerat noctem, & tenebrosa volumina torquet,
Defunditque imbræ. sicco quos asper hiatu
Persolidat Boreas. nec non abrupta tremiscunt
Fulgura, & attritus subita face rumpitur æther.
Jam Nemea, jam Tænareis contermina lucis 355
Arcadiæ capita alta madent. ruit agmine facto
Inachus, & gelidas surgens Erasinus ad Arctos.
Pulverulenta prius, calcandaque flumina nullæ
Aggeribus tenuere moræ, stagnoque refusa est
Funditus, & veteri spumavit Lerna veneno. 360
Frangitur omne nemus: rapiunt antiqua procellæ
Brachia silvarum, nullisque aspecta per ævum
Solibus umbroſi patuere æſtiva Lycæ.
Ille tamen modo saxa jugis fugientia ruptis
Miratur, modo nubigenas e montibus amnes. 365
Aure pavens, paſſimque infano turbine raptas
Pastorum pecorumque domos. non ſegnius amens,
Incertusque viæ, per nigra silentia, vastum
Haurit iter. pulsat metus undique, & undique frater.
Ac velut hiberno deprensus navita ponto, 370
Cui neque temo piger, neque amico fidere monſtrat
Luna vias, medio coeli, pelagique tumultu
Stat rationis inops: jam jamque aut saxa malignis
Exspectat submersa vadis, aut vertice acuto
Spumantes scopulos erectæ incurrere proræ: 375
Talis opaca legens nemorum Cadmeius heros,
Accelerat, vasto metuenda umbone ferarum
Excutiens stabula, & prono virgulta refringit

Pectore : dat stimulos animo vis mœsta timoris ,

Donec ab Inachiis viæta caligine teñit 380

Emicuit lucem devixa in mœnia fundens

Larissæus apex. illo spe concitus omni

Evolat. hinc celsæ Junonis templa Prosymnæ

Lævus habet, hinc Herculeo signata vapore

Lernæi stagna atra vadi. tandemque reclusis 385

Infertur portis. æstutum regia cernit

Vestibula. hic artus imbræ ventoque rigentes

Projicit, ignotæque acclinis postibus aulæ

Invitat tenues ad dura cubilia somnos.

Rex ibi tranquillæ medio de limite vitæ 390

In senium vergens populos Adrastrus habebat,

Dives avis, & utroque Jovem de sanguine dicens.

Hic sexus melioris inops, sed prole virebat

Feminea, gemino natarum pignore fultus.

Cui Phœbus generos (monstrum exitiabile dictu! . 395

Mox adaperta fides) ævo ducente canebat

Setigerumque suem, & fulvum adventare leonem.

Hæc volvens, non ipse pater, non docte futuri

Amphiaræ vides, etenim vetat auctor Apollo.

Tantum in corde sedens ægrefscit cura parentis. 400

Ecce autem antiquam fato Calydona relinquens

Olenius Tydeus (fraterni sanguinis illum

Conscius horror agit) eadem sub nocte sopora

Lustra terit, similesque Notos deuestus & imbræ ,

Infusam tergo glaciem, & liquentia nimbis 405

Ora, comasque gerens, subit uno tegmine, cuius

Fusus humo gelida partem prior hospes habebat.

Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentam

- Attulit, hand passi sociis defendere noctem
Culminibus. paulum alternis in verba minasque 410
Cunctantur: mox ut jaatis sermonibus irae
Intumuere satis, tum vero erectus uterque
Exsertare humeros, nudamque lacestere pugnam.
Celsior ille gradu procera in membra, simulque
Integer annorum, sed non & viribus infra 415
Tydea fert animus, totosque infusa per artus
Major in exiguo regnabat corpore virtus.
Jam crebros iictus ora & cava tempora circum
Obnixi ingeminant, telorum aut grandinis instar
Rhipheæ, flexoque genu vacua ilia tundunt. 420
Non aliter quam Pisæo sua lustra Tonanti
Cum redeunt, crudisque virum sudoribus ardet
Pulvis, at hinc teneros caveæ diffensus ephebos
Conicit, exclusæque exspectant præmia matres.
Sic alacres odio, nullaque cupidine laudis 425
Accensi incurunt, scrutatur & intima vultus
Unca manus, penitusque oculis cedentibus instat.
Forsan & accinætos lateri (sic ira ferebat)
Nudassent enses, meliusque hostilibus armis
Lugendus fratri, juvenis Thebane, jaceres, 430
Ni rex insolitum clamorem, & pectore ab alto
Stridentes gemitus, noctis miratus in umbris,
Movisset gressus, magnis cui sobria curis
Pendebat somno jam deteriore senectus.
Iisque ubi progrediens numerosa luce, per alta 435
Atria, dimotis adverso limine claustris
Terribilem dictu faciem, lacera ora, putresque
Sanguineo videt imbre genas: Quæ causa furoris,

Externi juvenes? (neque enim meus audeat istas
Civis in usque manus) quisnam implacabilis ardor
Exturbare odii tranquilla silentia noctis?

440

Usque adeone angusta dies? & triste , parumper
Pacem animo , somnumque pati? sed prodite tandem
Unde orti? quo fertis iter? quæ jurgia? nam vos
Haud humiles tanta ira docet , generisque superbi
Magna per effusum clarescunt signa cruentum.

445

Vix ea , cum mixto clamore obliqua tuentes
Incipiunt una : Rex o mitissime Achivum ,
Quid verbis opus? ipse undantes sanguine vultus
Aspicis , hæc passim turbatis vocis amaræ

450

Confudere sonis. inde orsus in ordine Tydeus
Continuat , moesti cupiens solatia casus:

Monstriferae Calydonis opes , Acheloaque arva
Deserui: vestris hic me ecce in finibus ingens
Nox operit. testo cœlum prohibere quis iste
Arcuit? an quoniam prior hæc ad limina forte
Molitur gressus? pariter stabulare bimembres
Centauros , unaque ferunt Cyclopas in Ætna
Compositos , sunt & ravidis jura infita monstris ,
Fasque suum : nobis sociare cubilia terræ?

455

Sed quid ego? aut hodie spoliis gavisus abibis ,
Quisquis es , his ; aut me , si non effectus oborto
Sanguis hebet luctu , magni de stirpe creatum
Æneos , & Marti non degenerare paterno
Accipies. Nec nos animi , nec stirpis egemus ,
Ille refert contra , sed mens sibi conscia facti
Cunctatur proferre patrem. tunc mitis Adraustus ,
Immo agite , & positis , quas nox inopinaque suafit

460

465

- Aut virtus, aut ira minis, succedite teſto.
 Jam pariter coeant animorum in pignora dextræ. 470
 Non hæc incassum, Divisque absentibus acta:
 Forſan & has venturus amor præmiferit iras,
 Ut meminiffe juvet. nec varia voce locutus
 Fata ſenex: ſiquidem hanc perhibent post vulnera junctis
 Eſſe fidem, quanta partitum extrema protervo 475
 Thesea Pirithoo, vel inanem mentis Orestem
 Oppoſito rabidam Pylade vitaffe Megæram.
 Tunc quoque mulcentem diſtis corda aspera regem.
 Jam faciles (ventis ut decertata residuat
 Aequora, laxatique diu tamen aura ſuperſtes 480
 Immoritur velis) paſſi ſubiere penates.
 Hic primum luſtrare oculis, cultusque virorum
 Telaque magna vacat, tergo videt hujus inanem.
 Impexis utrinque jubis horrere leonem,
 Illius in ſpeciem, quem per Theumeſia Tempe 485
 Amphitryoniades fractum juvenilibus armis
 Ante Cleonæi veſtitur prælia monſtri.
 Terribiles contra ſetis, ac dente recurvo
 Tydeas per latos humeros ambire laborant
 Exuviæ, Calydonis honos. ſtupet omne tanto
 Defixus senior, divina oracula Phœbi
 Agnoscens, monitusque datos vocalibus antris.
 Obtruſu gelida ora premit, laetusque per artus
 Horror iit. ſenſit manifesto numine duſtos
 Affore, quos nexionis ambagibus augur Apollo 490
 Portendi generos, vultu fallente ferarum,
 Ediderat. tunc ſic tendens ad ſidera palmas:
 Nox, quæ terrarum coelique amplexa labores

Ignea multivago transmittis sidera lapsu,
 Indulgens reparare animum, dum proximus ægris 500
 Infundat Titan agiles animantibus ortus,
 Tu mihi perplexis quæsitam erroribus ultro
 Advehis alma fidem, veterisque exordia fati
 Detegis, assistas operi, tuaque omnia firmes.
 Semper honoratam dimensis orbibus anni 505
 Te domus ista colet: nigri tibi, Diva, litabunt
 Electa cervice greges, lustraliaque exta
 Laete novo perfusus edet Vulcanius ignis.
 Salve prisca fides tripodum, obscurique recessus,
 Deprendi, Fortuna, Deos, sic fatus; & ambos 510
 Innectens manibus tecta ulterioris ad aulæ
 Progreditur, canis etiamnum altaribus ignes,
 Sopitum cinerem, & tepidi libamina sacri
 Servabant, adolere focos, epulasque recentes
 Instaurare jubet. dictis parere ministri 515
 Certatim accelerant, vario strepit ista tumultu
 Regia: pars ostro tenuis, auroque sonantes
 Emunire toros, altosque inferre tapetas,
 Pars teretes levare manu ac disponere mensas.
 At alii tenebras & opacam vincere noctem 520
 Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.
 His labor inserto torrere exsanguia ferro
 Viscera cæsarum pecudum: his cumulare canistris
 Perdomitam saxo Cererem. lætatur Adrastrus
 Obsequio fervore domum: jamque ipse superbis 525
 Fulgebat stratis, folioque effultus eburno.
 Parte alia juvenes siccati vulnera lymphis
 Discumbunt: simul ora notis foedata tuentur.

- Inque vicem ignoscunt, tunc rex longævus Aceſten
 (Natarum hæc altrix , eadem & fidissima custos 530)
 Lecta sacram justæ Veneri occultare pudorem)
 Imperat acciri , tacitaque immurmurat aure.
 Nec mora præceptis ; cum protinus utraque virgo
 Arcano egressæ thalamo (miserabile viſu)
 Pallados armisonæ , pharetratæque ora Dianæ 535
 Æqua ferunt , terrore minus. nova deinde pudori
 Visa virûm facies : pariter pallorque , ruborque
 Purpureas haſfere genas : oculique verentes
 Ad sanctum rediere patrem. postquam ordine mensæ
 Viſta fames , signis perfectam auroque nitentem 540
 Iafides pateram famulos ex more popofcit ,
 Qua Danaus libare Deis seniorque Phoroneus
 Affueti. tenet hæc operum cælata figuræ:
 Aureus anguicomam præſeſto Gorgona collo
 Ales habet: jam jamque vagas (ita viſus) in auras 545
 Exſilit : illa graves oculos , languentiaque ora
 Pæne movet , vivoque etiam pallescit in auro.
 Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alijs :
 Gargara desidunt ſurgenti , & Troia recedit :
 Stant mœſti comites , fruſtraque ſonantia laxant 550
 Ora canes , umbramque petunt , & nubila latrant.
 Hanc undante mero fundens , vocat ordine cunctos
 Coelicolas : Phœbum ante alios , Phœbum omnis ad aras
 Laude ciet comitum , famulumque , evinſta pudica
 Fronde , manus : cui festa dies , largoque reſecti 555
 Ture , vaporatis lucent altaribus ignes.
 Forſitan , o juvenes , quæ ſint ea ſacra , quibusque
 Præcipuum cauſis Phœbi obtemperem honorem ,

Rex ait, exquirunt animi. non infacia sua sit
 Relligio: magnis exercita cladibus olim 560
 Plebs Argiva litant: animos advertite, pandam:
 Postquam coerulei sinuosa volumina monstri,
 Terrigenam Pythona, Deus septem orbibus atris
 Amplexum Delphos, squammisque annosa terentem
 Robora, Caftaliis dum fontibus ore trifulco 565
 Fusus hiat, nigro sitiens alimenta veneno,
 Perculit, absuntis numerosa in vulnera telis,
 Cyrrhaeique dedit centum per jugera campi
 Vix tandem explicitum, nova deinde piacula cædi
 Perquirens, nostri tecta haud opulenta Crotopi 570
 Attigit. huic primis, & pubem ineuntibus annis
 Mira decore pio servabat nata penates
 Intemerata toris. felix, si Delia nunquam
 Furta, nec occultum Phœbo sociasset amorem.
 Namque ut passa Deum Nemei ad fluminis undam, 575
 Bis quinos plena cum fronte resumeret orbes
 Cynthia, fidereum Latonæ fœta nepotem
 Edidit: ac poenæ metuens (neque enim ille coactis
 Donasset thalamis veniam pater) avia rura
 Eligit, ac natum septa inter ovilia furtim 580
 Montivago pecoris custodi mandat alendum.
 Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
 Gramineos dedit herba toros, & vimine queru
 Texta domus: clausa arbutei sub cortice libri
 Membra tepent, suadetque leves cava fistula somnos, 585
 Et pecori commune solum, sed fata nec illum
 Concessere larem: viridi nam cespite terræ
 Projectum temere & patulo cœlum ore trahentem

- Dira canum rabies , morfu depastra cruento ,
Disjicit. hic vero attonitas ut nuntius aures 590
Matris adit , pulsi ex animo genitorque , pudorque ,
Et metus. ipsa ultro sœvis plangoribus amens
Tecta replet , vacuumque ferens velamine pectus
Occurrit confessa patri. nec motus , & atro
Imperat , infandum ! cupientem occumbere leto . 595
Sero memor thalami , moestæ solatia morti ,
Phœbe , paras. monstrum infandis Acheronte sub imo
Conceptum Eumenidum thalamis : cui virginis ora ,
Pectoraque , æternum stridens a vertice surgit
Et ferrugineam frontem discriminat anguis . 600
Hæc tam dira lues nocturno squalida passu
Illabi thalamis , animasque a stirpe recentes
Abripere alricum gremiis , morfinque cruento
Devesci & multum patrio pinguescere luctu .
Haud tulit armorum præstans animique Corœbus , 605
Seque ultro leætis juvenum , qui robore primi
Famam posthabita faciles extendere vita ,
Obtulit. illa novos ibat populata penates
Portarum in bivio. lateri duo corpora parvum
Dependent , & jam unca manus vitalibus hæret , 610
Ferratique unguis tenero sub corde tepescunt.
Obvius huic latus omne virum stipante corona
It juvenis , ferrumque ingens sub pectori diro
Condidit: atque imas animæ mucrone corusco
Scrutatus latebras , tandem sua monstra profundo 615
Reddit habere Jovi. juvat ire , & visere juxta
Liventis in morte oculos , uterique nefandam
Proluviem , & crasso squalentia pectora tabo ,

Qua nostræ cecidere animæ. stupet Inachia pubes :
 Magnaque post lacrimas etiamnum gaudia pallent. 610
 Hi trabibus duris solatia vana dolori,
 Proterere exanimis artus , asproisque molares
 Deculcare genis , nequit iram explere potestas.
 Illam & nocturno circum stridore volantes
 Impastæ fugiſtis aves , rabidamque canum vim ; 615
 Oraque ſicca ferunt trepidorum inhiatſe luporum.
 Sævior in miseros fatis ultricis ademtæ
 Delius insurgit , ſummaque biverticis umbra
 Parnassi residens , arcu crudelis iniquo
 Pestifera arma jact , camposque , & celsa Cyclopum 620
 Teſta , ſuperjecto nebularum incendit amictu.
 Labuntur dulces animæ : mors fila fororum
 Enſe metit , captamque tenens fert manibus urbem.
 Quærenti , quæ cauſa , duci ; quis ab æthere lævus
 Ignis , & in totum regnaret Sirius annum ? 625
 Idem auſtor Pæan rursus jubet ire cruento
 Inferias monstro juvenes , qui cæde potiti.
 Fortunate animi , longumque in ſecula digne
 Promeriture diem ! non tu pia degener arma
 Occulis , aut certæ trepidas occurrere morti. 630
 Cominus ora ferens , Cyrrhæi in limine templi
 Conſtitit , & ſacras ita vocibus alperat iras :
 Non miſſus , Thymbræ , tuos ſupplexve penates
 Advenio : mea me pietas , & conſcia virtus
 Has egere vias. ego ſum , qui cæde ſubegi , 635
 Phoebe , tuum mortale nefas , quem nubibus atris
 Et ſqualente die , nigra quem tabe finiſtri
 Quæris , inique , poli. quod ſi monſtra efferat magnis

- Cara adeo Superis, jaeturaque vilior orbis,
Mors hominum, & saevo tanta inclemensia cœlo est: 650
Quid meruere Argi? me me, Divum optime, solum
Objecisse caput fatis præstabit. an illud
Lene magis cordi, quod desolata domorum
Tecta vides? ignique datis cultoribus omnis
Lucet ager? sed quid fando tua tela manusque
Demoror? exspectant matres, supremaque fundunt
Vota mihi. fatis est: merni, ne parcere velles.
Proinde move pharetras, arcusque intende sonoros;
Insignemque animam leto demitte. sed illum
Pallidus Inachiis qui desuper imminet Argis, 660
Dum morior, depelle globum. Fors æqua merentes
Respicit. ardenter, tenuit reverentia, cædis
Latoïdem, tristemque viro summissus honorem
Largitur vitæ. nostro mala nubila cœlo.
Diffugunt. at tu stupefacti a limine Phœbi
Exoratus abis. inde hæc stata sacra quotannis
Sollennes recolunt epulæ, Phœbeiaque placat
Templa novatus honos: has forte invisitis aras
Vos quæ progenies? quanquam Calydonius Eneus,
Et Parthaonie (dudum si certus ad aures 670
Clamor iit) tibi jura domus; tu pande, quis Argos
Advenias, quando hæc variis sermonibus hora est.
Dejecit moestos extemplo Ismenius heros
In terram vultus, taciteque ad Tydea læsum
Oblivquare oculos. tum longa silentia movit:
Non super hos Divum tibi sum quærendus honores,
Unde genus, quæ terra mihi: quis defluat ordo
Sanguinis antiqui, piget inter sacra fateri.

Sed si præcipitant miserum cognoscere curæ,
 Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebe , 680
 Et genitrix locasta mihi. tum motus Adraustus
 Hospitiis (agnovit enim) quid nota recondis ?
 Scimus , ait. nec sic aversum fama Mycenis
 Volvit iter. regnum , & furias , oculosque pudentes
 Novit , & Archois si quis de solibus horret , 685
 Quique bibit Gangen , aut nigrum occasibus intrat
 Oceanum , & si quos incerto litore Syrtes
 Destituunt , ne perge queri , casusque priorum
 Annnumerare tibi. nostro quoque sanguine multum
 Erravit pietas. nec culpa nepotibus obstat. 690
 Tu modo dissimilis rebus mereare secundis
 Excusare tuos. sed jam temone supino
 Languet Hyperboreæ glacialis poritor Ursæ.
 Fundite vina sociis , servatoremque parentum
 Latoïden votis iterumque iterumque canamus. 695
 Phœbe parens , seu te Lyciæ Pataræa nivosis
 Excent dumeta jugis , seu rore pudico
 Castaliæ flavos amor est tibi mergere crines :
 Seu Troiam Thymbræus habes , ubi fama volentem
 Ingratis Phrygios humeris subiisse molares : 700
 Seu juvat Ægæum feriens Latonius umbra
 Cynthus , & assiduam pelago non quærere Delon :
 Tela tibi , longeque feros lentandus in hostes
 Arcus , & ætherii dono cessere parentes
 Æternum florere genas. tu doctus iniquas 705
 Parcarum prænoffe manus , fatumque quod ultra est ,
 Et summo placitura Jovi. quis letifer annus ,
 Bella quibus populis , mutant quæ sceptræ Cometæ.

Tu Phryga submittis citharæ, tu matris honori
Terrigenam Tityon Stygiis extendis arenis.

710

Te viridis Python, Thebanaque mater ovantem,
Horruit in pharetris. ultrix tibi torva Megæra
Jejunum Phlegyam subter cava faxa jacentem
Æterno premit accubitu, dapibusque profanis
Instimulat: sed mixta famem fastidia vincunt.

715

Adsis o memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osyrin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mitram.

720

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS
LIBER II.

INTEREA gelidis Maia fatus aliger umbris
 Jussa gerens magni remeat Jovis. undique pigræ
 Ire vetant nubes, & turbidus implicat aer:
 Nec Zephyri rapuere gradum, sed fœda silentis
 Aura poli. Styx inde novem circumflua campis,
 Hinc objecta vias torrentum incendia cludunt.
 Pone senex trepida succedit Laius umbra
 Vulnere tardus adhuc. capulo nam largius illi
 Transfabiit costas cognatis istibus/ensis
 Impius, & primas Furiarum pertulit iras.
 It tamen, & medica firmat vestigia virga.
 Tum steriles luci, possefaque Manibus arva,
 Et ferrugineum nemus adstupet, ipsaque tellus
 Miratur patuisse retro, nec liyida tabes
 Invidiæ, functis quanquam & jam lumine cassis,
 Defuit. unus ubi ante alios, cui lœva voluntas
 Semper, & ad Superos hinc est gravis exitus, ævi
 Insultare malis, rebusque ægrefcere lœtis:

Vade, ait, o felix, quoscunque vocaris in usus,
Seu Jovis imperio, seu major adegit Erinnys 20
Ire diem contra, seu te furiata sacerdos
Thessalis arcano jubet emigrare sepulcro,
Heu dulces visure polos, soleisque relictum,
Et virides terras, & puros fontibus amnes;
Tristior has iterum tamen intrature tenebras. 25
Illos ut cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus;
Sævus & intranti populo, jam nigra tumebat
Colla minax, jam sparsa solo turbaverat ossa:
Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens 30
Ferrea tergemino domuisset lumina somno.
Est locus Inachiæ, dixerunt Tænara gentes,
Qua formidatum Maleæ spumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine visus.
Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus 35
Despicit, & tantum fessis insiditur astris.
Illic exhausti posuere cubilia venti:
Fulminibusque iter est, medium cava nubila montis
Insumsere latus: summos nec præpetis alæ
Plausus adit colles, nec rauca tonitrua pulsant. 40
Ait ubi prona dies, longos super æquora fines
Exigit, atque ingens medio natat umbra profundo.
Interiore sinu frangentia litora curvat
Tænaros, expositos non audax scandere fluens.
Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos 45
In portum deducit equos: prior haurit arenas
Ungula; postremi solvuntur in æquora pisces.
Hoc (ut fama) loco pallentes devius umbras
Statius. M

Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat
Mortibus: Arcadii perhibent si vera coloni,
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager. saepe Eumenidum vocesque, manusque,
In medium sonuere diem, letique triformis
Janitor agricolas campis auditus abegit.

Hac & tunc fusca volucer Deus obsitus umbra

Exsilit ad Superos, infernaque nubila vultu

Discutit, & vivis afflatibus ora serenat.

Inde per Arcturum, mediaque silentia Lunæ

Arva super, populosque meat. Sopor obvius illi

Noctis agebat equos, trepidusque assurgit honori

Numinis, & recto decedit limite cœli.

Inferior volat umbra Deo, præreptaque noscit

Sidera, principiumque sui. jamque ardua Cyrrhæ,

Pollutamque suo despectat Phocida busto.

Ventum erat ad Thebas: gemuit prope limina natū

Laius, & notos cunctatur inire penates.

Ut vero excelsis suamet juga nixa columnis

Vidit, & infectos etiamnum sanguine currus,

Pæne retro turbatus abit. nec summa Tonantis

Jussa, nec Arcadiæ retinent spiramina virgæ.

Et tunc forte dies noto signata Tonantis

Fulmine, prærupti cum te, tener Evie, partus

Transmisere patri. Tyriis ea causa colonis

Insomnem ludo certatim educere noctem

Suaserat. effusi passim per tecta, per agros,

Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum

Proflabant sub luce Deum. tum plurima buxus,

Æaque taurinos sonitu vincentia pulsus.

- Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas
Impulerat matres Baccho meliore Cithæron. 80
- Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Bistones, aut mediæ ponunt convallibus Offæ.
Illi semianimum pecus, excussaque leonum
Ore dapes, & lacte novo domuisse cruentem
Luxus: at Ogygii si quando afflavit Iacchi 85
- Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulchrum
Spargere, & immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festisque reponere mensas.
Nox ea, cum tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionii stratis allapsus, ubi ingens 90
- Fuderat Affyriis exstrœta tapetibus alto
Membra toro, pro gnara nihil mortalia fati
Corda sui! capit ille dapes, habet ille soporem.
Tunc senior quæ jussus agit, neu falsa videri
Noctis imago queat, longævi vatis opacos 95
- Tiresiae vultus, vocemque, & vellera nota
Induitur, mansere comæ, propexaque mento
Canicies, pallorque suus. sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus olivæ
Vittarum provenit honos. dehinc tangere ramo 100
- Pectora, & has visus Fatorum expromere voces:
Non somni tibi tempus iners, qui nocte sub alta
Germani secure jaces: ingentia dudum
Aëta vocant, rerumque graves, ignave, paratus.
Tu veluti, magnum si jam tollentibus Austris 105
- Ionium nigra jaceat sub nube magister,
Immemor armorum, versantisque æquora clavi
Cunctaris. jamque ille novis (scit fama) superbus

Connubiis, viresque parat, quis regna capessat,
Quis neget: inque sua senium sibi destinat aula.

110

Dant animos ficer augurio fatalis Adrastrus,

Dotalesque Argi: nec non in foedera vite

Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.

Hinc tumor, & longus fratri promitteris exsul.

Ipse Deum genitor tibi me miseratus ab alto

115

Mittit. habe Thebas, cæcumque cupidine regni,

Ausurumque eadem germanum expelle; nec ultra

Fraternos inhiantem obitus sine fidere cœptis

Fraudibus, aut Cadmo dominas inferre Mycenæ.

Dixit, & abscedens (etenim jam pallida turbant

120

Sidera lucis equi) ramos ac vellera fronti

Deripuit, confessus avum, dirique nepotis

Incubuit stratis: jugulum mox cæde patentem

Nudat, & undanti perfundit vulnera somnum.

Illi rupta quies, attollit membra, toroque

125

Erigitur plenus monstros, vanumque cruentis

Excutiens, simul horret avum, fratremque requirit.

Qualis ubi audito venantium murmure tigris

Horruit in maculas, somnosque excussit inertes;

Bella cupit, laxatque genas, & temperat ıngues;

130

Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis

Spirantem fert ore virum: sic excitus ira

Ductor, in absentem consumit prælia fratrem.

Et jam Mygdoniis elata cubilibus alto

Impulerat cœlo gelidas Aurora tenebras,

135

Rorantes excussa comas, multumque sequenti

Sole rubens: illi roseus per nubila seras

Adverrit flamas, alienumque æthera tardo

Lucifer exit equo , donec pater igneus orbem
 Implet , atque ipsi radios vetet esse sorori : 140
 Cum senior Talaonides , nec longa morati
 Dircausque gradum pariterque Acheloius heros
 Corripuere toris. illos post verbera fessos ,
 Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni
 Somnus. at Inachio tenuis sub pectore regi 145
 Tracta quies , dum mente Deos , inceptaque versat
 Hospitia , & quæ sint generis adscita reperiis
 Fata movet. postquam mediis in sedibus aulæ
 Congressi , inque vicem dextras junxere , locumque
 Quo serere arcana aptum , atque evolvere curas , 150
 Insidunt; prior his dubios compellat Adraustus :
 Egregii juvenum , quos non sine numine regnis
 Invexit nox dextra meis , quibus ipse per imbræ ,
 Fulminibus mixtos , intempestumque Tonantem
 Has meus usque domos vestigia fecit Apollo : 155
 Non equidem obscurum vobis , plebique Pelasgæ
 Esse reor , quantis connubia nostra procorum
 Turba petant studiis. geminæ mihi namque , nepotum
 Læta fides , æquo pubescunt fidere natæ.
 Quantus honos , quantusque pudor (ne credite patri) 160
 Et super hesternas licuit cognoscere mensas.
 Has tumidi solio , & late dominantibus armis
 Optavere viri , (longum enumerare Pharæos
 Chaliosque duces) & Achæa per oppida matres ,
 Spem generis , nec plura tuus despexerat Æneus 165
 Foedera , Pisæisque sacer metuendus habenis.
 Sed mihi nec Sparta genitos , nec ab Elide missos
 Jungere fas generos : vobis hic sanguis , & aulæ

Jura meæ , longo promittitur ordine fati.
 Di bene , quod tales stirpemque animosque venitis , 170
 Ut responsa juvent. hic duræ tempore noctis
 Partus honos : hæc illa venit post verbera merces.
 Audierant : fixosque oculos per mutua paulum
 Ora tenent , visique inter se se ordine fandi
 Cedere , sed cunctis Tydeus audentior actis 175
 Incipit : O quam te parcum in præconia famæ
 Mens agitat matura tuæ , quantumque ferentem
 Fortunam virtute domas ! cui cedat Adrastus
 Imperiis ? quis te folio Sicyonis avitæ
 Excitum infrenos componere legibus Argos 180
 Nesciat ? atque utinam his manibus permittere gentes ,
 Juppiter æque , velis , quas Doricus alligat undis
 Isthmos , & alterno quas margine submovet infra :
 Non fugeret diras lux intercisa Mycenæ ,
 Sæva nec Eleæ gemerent certamina valles ; 185
 Eumenidesque aliis aliæ sub regibus , & quæ
 Tu potior , Thebane , queri . nos vero volentes ,
 Expositique animis . Sic interfatus , & alter
 Subjicit : Anne aliquis soceros accedere tales
 Abnuat ? exsulibus quanquam patriaque fugatis 190
 Nondum læta Venus , tamen omnis corde resedit
 Tristitia , affixique animo cessere dolores .
 Nec minus hæc læti trahimus folatia , quam si
 Præcipiti convulsa Noto , prospectet amicam
 Puppis humum . iuvat ingressos felicia regni 195
 Omina , quod superest fati vitæque laborum
 Fortuna transfire tua . Nec plura morati ,
 Consurgunt , dictis impensius aggerat omne

- Promissum Inachius pater , auxilioque futurum
 Et patriis spondet reduces inducere regnis. 200
- Ergo alacres Argi , fuso rumore per urbem.
 Advenisse duci generos , primisque Hymenæis
 Egregiam Argian , nec formæ laude secundam
 Deiphylen , tumida jam virginitate jugari ,
 Gaudia mente parant : socias it Fama per urbes ; 205
 Finitimisque agitatur agris , procul usque Lycæos
 Partheniosque super saltus , Ephyræaque rura.
 Nec minus Ogygias eadem Dea turbida Thebas
 Infilit , & totis perfundit mœnia pennis ,
 Labdaciumque ducem præmissæ confona nocti 210
 Territat , hospitia , & thalamos , & foedera regni ;
 Permixtumque genus . (quæ tanta licentia monstro ?
 Quis furor est ?) jam bella canit . diffuderat Argos
 Exspectata dies . læto regalia cœtu
 Atria complentur , species est cernere avorum 215
 Cominus , & vivis certantia vultibus æra.
 Tantum ausæ perferre manus . pater ipse bicornis
 In lœvum prona nixus sedet Inachus urna.
 Hunc tegit Iasiusque senex , placidusque Phoroneus ,
 Et bellator Abas , indignatusque Tonantem 220
 Acrisius , nudoque ferens caput ense Corœbus ,
 Torvaque jam Danai facinus meditantis imago :
 Exin mille duces ; foribus cum immissa superbis
 Unda fremit vulgi . procerum manus omnis , & alto .
 Quis propior de rege gradus , stant ordine primi : 225
 Interior sacris calet , & sonat aula tumultu
 Femineo . casta matres cinxere corona
 Argolides : pars virginibus circum undique fusæ

- Foedera conciliant nova , solanturque timorem.
 Ibant insignes vultuque habituque verendo 230
 Candida purpureum fusæ super ora ruborem ;
 Dejectæque genas. tacite subit ille supremus
 Virginitatis amor , primæque modestia culpæ
 Confundit vultus. tunc ora rigantur honestis
 Imbris , & teneros lacrimæ juvere parentes. 235
 Non secus ac supero pariter si cardine lapsæ
 Pallas & asperior Phœbi soror , utraque telis ,
 Utraque torva genis , flavoque in vertice nodo ,
 Illa suas Cyntho comites agat , hæc Aracyntho :
 Tunc , si fas oculis , non unquam longa tuendo 240
 Expedias , cui major honos , cui gratiор , aut plus
 De Jove , mutatosque velint transumere cultus ,
 Et Pallas deceat pharetras , & Delia cristas.
 Certant lætitia , Superosque in vota fatigant
 Inachidæ , quæ cuique domus , sacrique facultas. 245
 Hi fibris , animaque litant , hi cespite nudo :
 Nec minus audit , si mens accepta meretur
 Ture Deos , fractisque obtendunt limina silvis.
 Ecce metu subito (Lachesis sic dira jubebat)
 Impulsæ mentes ; excussaque gaudia patris , 250
 Et turbata dies. innuptam lumine adibant
 Pallada ; Munychiis cui non Argiva per urbes
 Posthabita est Larissa jugis. hic more parentum
 Iasides , thalamis ubi casta adolesceret ætas ,
 Virgineas libare comas , primosque solebant 255
 Excusare toros. celsam subeuntibus arcem
 In gradibus summi delapsum culmine templi
 Arcados Eupippi spolium cadit æreus orbis ;

- Præmissasque faces , festum nubentibus ignem ,
 Obruit , eque adytis simul exaudita remoris 260
 Nondum ausos firmare gradum , tuba terruit ingens.
 In regem conversi omnes formidine prima ,
 Mox audisse negant : cunctos tamen omina rerum
 Dira movent , variisque metum sermonibus augent.
 Nec mirum : nam tu infaustos donante marito 265
 Ornatus Argia geris , dirumque monile
 Harmonies. longa est series , sed nota malorum
 Prosequar , unde novis tam sæva potentia donis.
 Lemnius hæc , ut prisca fides Mavortia longum
 Furta dolens , capta postquam nihil obstat amori 270
 Pœna , nec ultrices castigavere catenæ ,
 Harmonies dotalē decus sub luce jugali
 Struxerat. hoc , docti quanquam maiora , laborant
 Cyclopes , notique operum Thelchines amica
 Certatim juvere manu , sed plurimus ipsi 275
 Sudor. ibi arcano florentes igne smaragdos
 Cingit , & infaustas percussum adamanta figuræ ,
 Gorgoneosque orbes , Siculaque incude reliquæ
 Fulminis extremi cineres , viridumque draconum
 Lucentes a fronte jubes : hic flebile germen 280
 Hesperidum , & dirum Phryxæi velleris aurum.
 Tum varias pestes , raptumque interPLICAT atro
 Tisiphones de crine ducem , & quæ pessima Ceston
 Vis probat. hæc circum spumis Lunaribus ungit
 Callidus , atque hilari perfundit cuncta veneno. 285
 Non hoc Pasithea blandarum prima sororum ,
 Non decor , Idaliusque puer , sed Luætus , & Iræ ,
 Et Dolor , & tota pressit Discordia dextra.

- Prima fides operi, Cadmum comitata jacentem
 Harmonie versis in sibila dira querelis, 290
 Illyricos longo fulcavit pectore campos.
 Improba mox Semele, vix dona nocentia collo
 Induit, & fallax intravit limina Juno.
 Teque etiam, infelix, perhibent, locasta, decorum
 Possedit nefas. vultus hac laude colebas, 295
 Heu quibus, heu placitura toris! post longior ordo.
 Tum donis Argia nitet, vilesque sororis
 Ornatus sacro præculta supervenit auro.
 Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
 Ante omnes, epulasque trucem secreta coquebat 300
 Invidiam, saevis detur si quando potiri
 Cultibus, heu nihil auguriis adjuta propinquis.
 Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades?
 Digna quidem, sed quid miseri decepta mariti
 Arma? quid infantes nati meruere furores? 305
 Postquam regales epulas, & gaudia vulgi
 Bisseni clusere dies, Ismenius heros
 Respicere ad Thebas, jamque & sua quærere regna;
 Quippe animum subit illa dies, qua sorte benigna
 Fratris, Echionia steterat privatus in aula:
 Respiciens descisse Deos, trepidoque tumultu 310
 Dilapsos comites, nudum latus omne, fugamque
 Fortunæ. namque una foror producere tristes
 Exsulis ausa vias, etiam hanc in limine primo
 Liquerat, & magna lacrimas incluserat ira.
 Tunc quos excedens hilares, quis cultus iniqui
 Præcipiuus ducis, & profugo quos ipse notarat
 Ingemuisse sibi, per noctem, ac luce sub omni

- Digerit. exedere animum dolor iraque demens,
Et qua non gravior mortalibus addita cura , 320
Spes , ubi longa venit. talem sub pectora nubem
Confilio volvens , Dircen , Cadmique negatas
Apparat ire domos. veluti dux taurus , amata
Valle carens , pulsus solito quem gramine victor
Jussit ab erecta longe mugire juventa : 325
Cum profugo placuere tori , cervixque recepto
Sanguine magna reddit , fractaeque in pectora vires:
Bella cupit , saltusque , & capta armenta reposcit ,
Jam pede , jam cornu melior , pavet ipse reversum
Victor , & attoniti vix agnovere magistri . 330
Non alias tacita juvenis Theumesius iras
Mente acuit ; sed fida vias , arcanaque conjux
Senferat. utque toris primo complexa jacebat
Auroræ pallore virum , Quos callide motus ,
Quamve fugam moliris ? ait. nil transit amantes. 335
Sentio , per vigiles accunt suspiria questus ,
Nunquam in pace sopor. quoties hæc ora natare
Fletibus , & magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu ? nil fodere rupto ,
Connubiisve super moveor , viduaque juventa : 340
(Et si crudus amor , nec dum post flammea toti
Intepuere tori) tua me , properabo fateri ,
Angit amata salus. tune incomitatus , inermis
Regna petes ? poterisque tuis decidere Thebis ,
Si neget ? atque illum solers deprendere semper 345
Fama duces , tumidum narrat , raptoque superbum ,
Difficilemque tibi. nec dum consumserat annum.
Me quoque nunc vates , nunc exta minantia Divos ,

Aut avium lapsus , aut turbida noctis imago
 Territat. ah , memini , nunquam mihi falsa per umbras 350
 Juno venit. quo tendis iter? ni conscius ardor
 Dicit , & ad Thebas melior socer. Hic breve tandem
 Risit Echionius juvenis , tenerumque dolorem
 Conjugis amplexu solatur , & oscula moestis
 Tempestiva genis posuit , lacrimasque repressit : 355
 Solve metus animo , dabitur , mihi crede , merentum
 Consiliis tranquilla dies . te fortior annis
 Nondum cura decet. sciat hæc Saturnius olim
 Fata parens , oculosque polo dimittere si quos
 Justitia , & rectum terris defendere curat.
 Fors aderit lux illa tibi , qua moenia cernes
 Conjugis , & geminas ibis regina per urbes.
 Sic ait , & caro raptim se limine profert.
 Tydea jam socium coepitis , jam pectori fido
 Aequantem curas (tantus post jurgia mentes 365
 Vinxit amor) socerumque affatur tristis Adraustum.
 Fit mora consilio : cum multa moventibus , una
 Jam potior cunctis sedit sententia , fratri
 Prætentare fidem , tutosque in regna precando
 Explorare aditus. audax ea munera Tydeus
 Sponte subit. nec non & te , fortissime gentis
 Aetolum , multum lacrimis conata morari
 Deiphyle , sed iussa patris , tutique regressus
 Legato , justæque preces vicere fororis.
 Jamque emensus iter silvis ac litore durum ,
 Qua Lernea palus , ambusque sontibus alte
 Intepet Hydra vadis , & qua vix carmine raro
 Longa sonat Nemea nondum pastoribus ausis , 370
 375

- Qua latus Eeos Ephyres quod vergit ad Euros,
Sifypheique sedent portus : irataque terræ 380
Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.
Hinc prætervectus Nisum , & te mitis Eleusin
Lævus habet : jamque arva gradu Theumesia , & arces
Intrat Agenoreas : ibi durum Eteoclea cernit
Sublimem folio , septumque horrentibus armis. 385
Jura ferus populo trans legem , ac tempora regni
Jam fratris de parte dabat. sedet omne paratus
In facinus , queriturque fidem tam sero reposci.
Constitit in mediis : ramus manifestat olivæ
Legatum , causisque viæ nomenque rogatus 390
Edidit : utque rudis fandi , pronusque calori
Semper erat , justis miscens tamen aspera , cœpit :
Si tibi plana fides , & dieti cura maneret
Fœderis , ad fratrem completo justius anno
Legatos hinc ire fuit ; teque ordine certo 395
Fortunam exuere , & lætum descendere regno ;
Ut vagus ille diu , passusque haud digna per urbes
Ignatas , paetæ tandem succederet aulæ.
Sed quia dulcis amor regni , blandumque potestas ;
Posceris . astriferum velox jam circulus orbem 400
Torsit , & amissæ redierunt montibus umbræ ,
Ex quo frater inops , ignota per oppida tristes
Exsul agit casus , & te jam tempus aperto
Sub Jove ferre dies , terrenaque frigora membris
Ducere , & externos summissum ambire penates. 405
Pone modum lætis . satis auro dives , & ostro
Conspicuus , tenuem germani pauperis annum
Risisti . moneo regnorum gaudia temet

Dedoceas , patiensque fugæ mereare reverti.

Dixerat. At illi tacito sub pectora dudum

Ignea corda fremunt : jacto velut aspera saxo

Cominus erigitur serpens , cui subter inanes

Longa fitis latebras , totosque agitata per artus

Convocat in fauces & squammea colla venenum :

Cognita si dubijs fratriis mihi jurgia signis

Ante forent , nec clara odiorum arcana paterent ,

Sufficeret vel sola fides , qua torvus , & illum

Mente gerens , ceu septa novus jam moenia laxet

Fosfor , & hostiles inimicent classica turmas ,

Præfuris. in medios si cominus orsa tulisses

Bistonas , aut refugo pallentes sole Gelonos ,

Parcior alloquio , & mediæ reverentior æqui

Inciperes. neque te furibundæ criminè mentis

Arguerim , mandata refers. nunc , omnia quando

Plena minis , nec sceptra fide , nec pace sequestra

Poscitis , & capulo propior manus : hæc mea regi

Argolico , nondum æqua tuis , vice dicta reporta :

Quæ sors justa mihi , quæ non indebitus annis

Sceptra dicavit honos , teneo , longumque tenebo.

Te penes Inachiæ dotalis regia dono

Conjugis , & Danaæ (quid enim majoribus actis

Invideam ?) cumulentur opes . felicibus Argos

Auspiciis , Lernamque regas. nos horrida Dirces

Pascua , & Euboicis arctatas fluctibus oras ,

Non indignati miserum dixisse parentem

Œdipoden. tibi larga (Pelops , & Tantalus auctor)

Nobilitas , propiorque fluat de sanguine juncto

Juppiter. anne feret luxu consueta paterno

410

415

420

425

430

435

- Hunc regina larem? nostræ cui jure forores
 Anxia pensa trahant? longo quam sordida luctu 440
 Mater, & ex imis auditus forte tenebris
 Offendat socer ille senex: jam pectora vulgi
 Affuevere jugo. pudet heu, plebisque, patrumque,
 Ne toties incerta ferant, mutantque gementes
 Imperia, & dubio pigeat parere tyranno. 445
 Non parcit populis regnum breve. respice quantus
 Horror, & attoniti nostro in discrimine cives.
 Hosne ego, quis certa est sub te duce poena, relinquam?
 Irratus, germane, venis. fac velle, nec ipsi
 (Si modo notus amor, meritique est gratia) patres 450
 Reddere regna finent. Non ultra passus, & orsa
 Injecit mediis sermonibus obvia: Reddes,
 Ingeminat, reddes: non si te ferreus agger
 Ambiat; aut triplices alio tibi carmine muros
 Amphion auditus agat. nil tela, nec ignes 455
 Obsfliterint, quin ausa luas, nostrisque sub armis
 Captivo moribundus humum diademate pulses.
 Tu merito: ast horum miseret, quos sanguine viles
 Conjugibus, patisque infanda ad prælia raptos
 Projicis excidio, bone rex. o quanta Cithæron
 Funera, sanguineisque vadis, Ismene, rotabis!
 Hæc pietas, hæc magna fides: nec crimina gentis
 Mira equidem duco: sic primus sanguinis auctor,
 Incestique patrum thalami; sed fallit origo:
 Ædipodes tu solus eris: hæc præmia morum 460
 Ac sceleris, violente, feres. nos poscimus annum.
 Sed moror. Hæc audax etiamnum in limine retro
 Vociferans, jam tunc impulsa per agmina præceps,

Evolat. **C**neæ vindex sic ille Dianæ
 Erectus seit, & aduncæ fulmine malæ,
 Cum premeret Pelopea phalanx, faxa obvia volvens,
 Fractaque perfoßis arbusta Acheloia ripis,
 Jam Telamona solo, jam stratum Ixiona linquens,
 Te, Meleagre, subit, ibi demum cuspide lata
 Hæſit, & obnixo ferrum laxavit in armo. 470
 Talis adhuc trepidum liquit Calydonius heros
 Concilium, infrendens ipſi ceu regna negentur:
 Festinatque vias, ramumque precantis olivæ
 Abjicit. attonitæ teſtorum ex culmine ſummo
 Prospeſtant matres, ſævoque infanda precantur 480
Cenidae, tacitoque ſimul ſub pectore regi.
 Nec piger ingenio ſcelerum, fraudiſque nefandæ
 Reſtor eget. juvenum fidos leſtiffima bello
 Corpora nunc pretio, nunc ille hortantibus ardens
 Sollicitat diſtiſ, nocturnaque prœlia ſævus 485
 Inſtruit, & ſanctum populis per ſecula nomen
 Legatum infidiis, tacitoque invadere ferro,
 (Quid regnis non vile?) cupit: quas quæreret artes
 Si fratrem fortuna dares? o cæca nocentum
 Conſilia! o ſemper timidum ſcelus! exit in unum 490
 Plebs ferro jurata caput. ceu caſtra ſubire
 Apparet, aut celſum crebris arietibus urbis
 Inclinare latus. denſi ſic agmine facto
 Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.
 Maſte animi, tantis dignus qui crederis armis. 495
 Fert via per dumos propior, qua calle latenti
 Præcelerant, densæque legunt compendia filvæ.
 Leſta dolis ſedes: gemini procul urbe malignis

- Faucibus urgentur colles , quos umbra superni
 Montis , & incurvis claudunt juga frondea silvis: 500
- Insidias natura loco , cæcamque latendi
 Struxit opem. medias arête fecat aspera rupes
 Semita , quam subter campi , devexaque latis
 Arva jacent spatiis. contra importuna crepido
 Eridipodioniaæ domus alitis. hic fera quondam
 Pallentes erexta genas , suffusaque tabo
 Lumina , concretis infando sanguine plumis
 Relliquias amplexa virûm , semesaque nudis
 Pectoribus stetit ossa premens , visuque trementi
 Collustrat campos , si quis concurrere dictis 510
 Hospes inexplicitis , aut cominus ire viator
 Audeat , & duræ commercia jungere linguae.
 Nec mora , quin acuens exsertos protinus ungues ,
 Liventesque manus , fractosque in vulnere dentes ,
 Terribili applausu circum hospita surgeret ora. 515
 Et latuere doli , donec de rupe cruenta
 Heu simili deprensa viro , cessantibus alis
 Tristis inexpletam scopulis affligeret alvum.
 Monstrat silva nefas , horrent vicina juvenci
 Gramina; damnatis avidum pecus abstinet herbis. 520
 Non Dryadum placet umbra choris , non commoda sacrâ
 Faunorum , diræque etiam fugere volucres
 Prodigiale nemus. tacitis huc gressibus aeti
 Deveniunt peritura cohors : hostemque superbum
 Annixi jaculis , & humi posita arma tenentes
 Exspectant , densaque nemus statione coronant. 525
 Cœperat humenti Phœbum subtexere palla
 Nox , & coeruleam terris infuderat umbram.

Statius.

N

Ille propinquabat silvis , & ab aggere celso
 Scuta virum , galeasque videt rutilare comantes , 530
 Qua laxant rami nemus , adversaque sub umbra
 Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.
 Obstupuit visis. ibat tamen , horrida tantum
 Spicula , & inclusum capulo tenuis admovet ensem:
 Ac prior , unde viri? quidve occultatis in armis? 535
 Non humili terrore rogat. nec redditia contra
 Vox , fidamque negant suspecta silentia pacem.
 Ecce autem vallo Chthonii contorta lacerto ,
 Quo duce freta cohors , fuscas intervolat auras
 Hasta , sed audenti Deus & Fortuna recessit. 540
 Per tamen Olenii tegimen suis , atraque fetis
 Terga , super lœvos humeros vicina cruentari
 Effugit , & viduo jugulum ferit irrita ligno.
 Tunc horrere comæ , sanguisque in corde gelari.
 Huc ferus atque illuc animum , pallentiaque ira 545
 Ora ferens , nec tanta putat fibi bella parari.
 Ferte gradum contra , campoque erumpite aperto.
 Quis timor audendi? quæ tanta ignavia? solus ,
 Solus in arma voco. neque in his mora; quos ubi plures ,
 Quam ratus , innumeris videt excursare latebris , 550
 Hos prodire jugis , illos e vallibus imis
 Crescere , nec paucos campo , totumque sub armis
 Collucere iter (ut clausas indagine profert
 In medium vox prima feras) quæ sola medendi
 Turbata ratione via est , petit ardua diræ 555
 Sphyngos , & abscessis infringens cautibus uncas
 Exsuperat juga dira manus , scopuloque potitus ,
 Unde procul tergo metus , & via prona nocendi ,

- Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
 Vertere humo, murisque valent inferre juvenci, 560
 Rupibus avellit: dein toto sanguinè nixus
 Sustinet, immanem quærens librare ruinam;
 Qualis in adversos Lapithas erexit inanem
 Magnanimus cratera Pholus. stupet obvia leto
 Turba super stantem, atque emissi turbine montis 565
 Obruitur, simul ora virum, simul arma, manusque,
 Fraetaque commixto federunt pectora ferro.
 Quattuor hic adeo dejecti mole sub una
 Congemuere, fuga tremefactum protinus agmen
 Excutitur coptis. neque enim temnenda jacebant
 Funera, fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
 Æquabat virtus, Martisque e semine Theron
 Terrigenas confisus avos: nec vertere cuiquam
 Frena secundus Halys, sed tunc pedes occubat arvis,
 Pentheumque trahens nondum te Phædimus æquo, 575
 Bacche, genus: quorum ut subitis exterrita fatis
 Agmina, turbatam vidi laxare catervam:
 Quæ duo sola manu gestans acclinia monti
 Fixerat, intorquet jacula, & fugientibus addit.
 Mox in plana libens, nudo ne pectora tela
 Inciderat, saltu præceps desertur: & orbem,
 Quem procul oppresso vidi Therone volutum;
 Corripuit, tergoque, & vertice tegmine noto
 Septus, & hostili propugnans pectora parma
 Constituit: inde iterum densi glomerantur in unum
 Ogygidæ, firmantque gradum. trahit ocios emsem
 Bistonium Tydeus, Mavortia munera magni
 Εneos: & partes pariter divisus in omnes 585

Hos obit, atque illos, ferroque micantia tela 590
 Decutit. impeditant numero, seque ipsa vicissim
 Arma premunt: nec vis conatibus ulla, sed ipsæ
 In socios errare manus, & corpora turba
 Involvi prolapsa sua. manet ille cruentis
 Angustus telis, & inexpugnabilis obstat.
 Non aliter (Geticæ si fas est credere Phlegræ) 595
 Armatum immensus Briareus stetit æthera contra,
 Hinc Phœbi pharetras, hinc torvæ Palladis angues,
 Inde Pelethoniam præfixa cuspide pinum
 Martis, at hinc lasso mutata Pyracmone temnens
 Fulmina, cum toto nequidquam obfessus Olympo 600
 Tot queritur cessare manus: non segnius ardet
 Huc illuc clypeum objectans, seque ipse recedens
 Circuit, interdum trepidis occurrit, & instat
 Spicula divellens, clypeo quæ plurima toto
 Fixa tremunt, armantque virum, saepe aspera passum 605
 Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
 Nec mortem sperare valet. rotat ipse furentem
 Deilochum, comitemque illi jubet ire sub umbras
 Phegea, sublata minitantem bella securi,
 Dircæumque Gyan, & Echionium Lycophontem. 610
 Jam trepidi fese quærunt, numerantque, nec idem
 Cædis amor, tantamque dolent rarescere turbam.
 Ecce Chromis Tyrii demissus origine Cadmi,
 (Hunc utero quondam Dryope Phoenissa gravato 615
 Rapta repente choris, onerisque oblita ferebat:
 Dumque trahit prensis taurum tibi cornibus Evan,
 Procidit impulsus nimiis conatibus insans)
 Tunc audax jaculis, & capti pelle leonis

- Pinea nodosa quassabat robora clava,
Increpitans: Unusne viri tot cædibus unus 620
Ibit ovans Argos? vix credet fama reverso.
Heu socii, nullæne manus, nulla arma valebunt?
Hæc regi promissa Cydon, hæc Lampe dabamus?
Dum clamat, subit ore cavo Theumesia cornus,
Nec prohibent fauces, atque illi voce repleta 625
Intercepta natat prorupto in sanguine lingua.
Stabat adhuc, donec transmissa morte per artus
Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta.
Vos quoque Thespiadæ, cur insitiatus honora
Arcuerim fama? fratriis moribunda levabat 630
Membra solo Periphas (nil indole clarius illa;
Nec pietate fuit) læva marcentia colla
Sustentans, dextraque latus, singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam, cum multa gementi
Pone gravis curvas perfringit lancea costas.
Exit & in fratrem, cognataque pectora telo
Conserit. ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, & asperga germani morte, resolvit.
At cui vita recens, & adhuc in vulnere vires, 640
Hos tibi complexus, hæc dent, ait, oscula nati.
Procubuere pares fatis (miserabile votum
Moris) & alterna clauerunt lumina dextra.
Protinus idem ultro jaculo, parmaque Menœtem
Proterebat agens, trepidis vessigia retro 645
Pallibus urgente, donec defecit iniqua
Lapsus humo, pariterque manus distractus in ambas
Orat, & a jugulo nitentem sustinet hastam:

- Parce per has stellis interlabentibus umbras ,
 Per Superos , noctemque tuam. fine , tristia Thebis 650
 Nuntius acta feram , vulgique per ora parentis
 Contemto te rege canam. sic irrita nobis
 Tela cadant , nullique tuum penetrabile ferro
 Pectus , & optanti victor reveharis amico.
 Dixerat. Ille nihil vultum mutatus , inanes 655
 Perdis , ait , lacrimas , & tu (ni fallor) iniquo
 Pollicitus mea colla duci. nunc arma , diemque
 Projice. quid sequeris timidæ compendia vitæ ?
 Bella manent. Simul hæc , & crassum sanguine telum
 Jam redit. ille super dictis infensus amaris 660
 Prosequitur viatos : Non hæc Trieterica vobis
 Nox patrio de more venit: non Orgia Cadmi
 Cernitis , aut avidas Bacchum scelerare parentes.
 Nebridas & fragiles thyrsos portare putas
 Imbellem ad sonitum , maribusque incognita veris 665
 Fœda Celenæa committere prælia buxo ?
 Hic aliæ cædes , alias furor : ite sub umbras
 O timidi , paucique ! Hæc intonat : ast tamen illi
 Membra negant , lassusque ferit præcordia sanguis.
 Jam sublata manus cassos defertur in iætus , 670
 Tardatique gradus : clypeum nec sustinet umbo
 Mutatum spoliis : gelidus cadit imber anhelo
 Pectore : tum crines , ardentiaque ora cruentis
 Roribus , & tetra morientum aspergine manant.
 Ut leo , qui campis longe custode fugato
 Massylas depastus oves , ubi sanguine multo 675
 Luxuriata fames , cervixque , & tabe gravatae
 Confedere jubæ , mediis in cædibus adstat

- Æger hians , vietusque cibis : nec jam amplius iræ
Crudescunt : tantum vacuis ferit aera malis , 680
Molliaque ejæcta delambit vellera lingua.
Ille etiam Thebas spoliis , & sanguine plenus
Iset , & attonitis feso , populoque , ducique
Ostentasset ovans , ni tu Tritonia virgo
Flagrantem , multaque operis caligine plenum
Confilio dignata virum. Sate gente superbi
Eneos , absentes cui dudum vincere Thebas
Annuimus , jam pone modum , nimiumque secundis
Parce Deis. huic una fides optanda labori.
Fortuna satis usus abi. Restabat acerbis
Funeribus , socioque gregi non sponte superstes
Hemonides (ille hæc præviderat , omina doctus
Aeros , & nulla deceptus ab alite) Mæon ,
Nec veritus prohibere ducem. sed fata monentem
Privavere fide : vita miserandus inertis 695
Damnatur: trepido Tydeus immitia mandat:
Quisquis es Aonidum , quem craftina munere nostro
Manibus exemptum mediis Aurora videbit ,
Hæc jubeo perferre duci : cinge aggere portas :
Tela nova : fragiles ævo circumspice muros : 700
Præcipue stipare viros , densaque memento
Multiplicare acies : fumantem hunc aspice late
Ense meo campum. tales in bella venimus.
Hæc ait , & meritæ pulchrum tibi Pallas honorem
Sanguinea de strage parat , prædamque jacentem
Comportat gaudens , ingentiaque æta recenset.
Quercus erat teneræ jam longum oblita juventæ
Aggere camporum medio , quam plurimus ambit

Frondibus incurvis & crudo robore cortex:

Huic leves galeas, perfoffaque vulnere crebro

710

Inserit arma ferens, huic truncos ietibus enses

Subligat, & fractas membris spirantibus hastas.

Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans

Incipit. oranti nox, & juga longa resultant.

Diva ferox, magni decus, ingeniumque parentis

715

Bellipotens, cui torva genis horrore decoro

Cassis, & asperso crudescit sanguine Gorgon,

Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnae

Impulerit Bellona tubas, huic annue sacro:

Seu Pandionio nostras invisere cædes

720

Monte venis, sive Aonia devertis Ithone

Læta choris, seu tu Libyco Tritone repexas

Lota comas, qua te bijugo temone frementem

Intemeratarum volucer rapit axis equarum:

Nunc ibi fracta virum spolia, informesque dicamus

725

Exuvias. at si patriis Parthaonis arvis

Inferar, & reduci pateat mihi Martia Pleuron:

Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo

Collibus, Ionias qua despectare procellas

Dulce fit, & flavo tollens ubi vertice pontum

730

Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.

Hic ego majorum pugnas, vultusque tremendos.

Magnanimum effingam regum, figamque superbis

Arma tholis: quæque ipse meo quoq[ue] revixi

Sanguine, quæque dabis captis Tritonia Thebis,

735

Centum ibi virgineis voræ Calydonides aris

Aetæas tibi rite faces, & ab arbore casta

Neftent purpureas niveo discriminè vittas:

Pervigilemque focis ignem longæva sacerdos
Nutriet, arcanum nunquam inspectura pudorem.
Tu bellis, tu pace feres de more frequentes
Primitias operum, non indignante Diana.
Dixerat; & dulces iter instaurabat ad Argos.

740

P. PAPINII STATII
 THEBAIDOS
 LIBER III.

At non Aoniam moderator perfidus aulæ,
 Nocte sub ancipi quamvis humentibus astris,
 Longus ad Auroram superet labor, otia somni
 Accipit. invigilant animo, scelerisque parati
 Supplicium exercent curæ. tunc plurima versat
 Pessimus in dubiis augur timor; hei mihi, clamat;
 Unde moræ? (nam prona ratus, facilemque tot armis
 Tydea, nec numero virtutem, animumque rependit)
 Num regio diversa viæ? num missus ab Argis
 Subsidio globis? an sceleris data fama per urbes
 Finitimas? paucosne, pater Gradive, manuve
 Legimus indecores? at enim fortissimus illic
 Et Chromis, & Dorylas, & nostris turribus æqui
 Thespiadæ totos raperent mihi funditus Argos.
 Nec tamen ille meis reor impenetrabilis armis,
 Ære gerens solidoque datos adamante lacertos,
 Venerat. heu segnes, quorum labor hæret in uno;
 Si conferta manus. vario sic turbidus æstu

5

10

15

Angitur, ac se se culpat super omnia, qui non
 Orantem in mediis legatum coetibus ense 20
 Perculerit, foedasque palam satiaverit iras.
 Jam pudet incepti, jam poenitet, ac velut ille
 Fluibus Ioniis Calabræ datus arbiter alno,
 Nec rudis undarum, portus sed linquere amicos
 Prior Olenii frustra gradus impulit astri: 25
 Cum fragor hiberni subitus Jovis, omnia mundi
 Claustra tonant, multusque polos inclinat Orion:
 Ipse quidem mallet terras, pugnatque reverti,
 Fert ingens a puppe Notus: tunc arte relista
 Ingemit, & cæcas sequitur jam nescius undas: 30
 Talis Agenoreus ductor, cæloque morantem
 Luciferum, & seros moerentibus increpat ortus.
 Ecce sub occidua versæ jam noctis habenas,
 Astrorumque obitus, ubi primum maxima Tethys
 Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto, 35
 Ima flagellatis, signum lugubre malorum,
 Ponderibus trepidavit humus, motusque Cithæron
 Antiquas dedit ire nives. tunc visa levare
 Culmina, septenæque jugo concurrere portæ.
 Et prope sunt causæ: gelido remeabat Eoo 40
 Iratus fatis, & tristis, morte negata
 Hemonides. nec dum ora patent, dubiusque notari
 Signa dabat magnæ longe manifesta ruinæ,
 Planctuque, & gemitu. lacrimas nam protinus omnes
 Fuderat. haud aliter saltu devertitur orbus 45
 Pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
 Cujus herile pecus silvis inopinus abegit
 Imber, & hibernæ ventosa cacumina Lunæ.

Luce patent cædes : domino perferre recentes
 Ipse timet casus , hausta que informis arena
 Questibus implet agros , fabulique silentia magni
 Odit , & amissos longo ciet ordine tauros.
 Illum congestæ portarum ad limina matres
 Ut solum videre (nefas !) nulla agmina circum ;
 Magnanimosque duces nihil ausæ querere , tollunt
 Clamorem , bello qualis supremus apertis
 Urbibus , aut pelago jam descendente carina.
 Ut primum invisi cupido data copia regis :
 Hanc tibi de tanto donat ferus agmine Tydeus
 Infelicem animam , sive hæc sententia Divum ,
 Seu fortuna fuit : seu , quod pudet ire fateri ,
 Vis invicta viri . vix credo & nuntius , omnes ,
 Procubuere omnes . noctis vaga lumina testor
 Et socium manes , & te mala protinus ales
 Qua redeo : non hanc lacrimis meruisse , nec astu
 Crudelem veniam , atque inhonoræ munera lucis.
 Sed mihi jussa Deum , placitoque ignara moveri
 Atropos , atque olim non hæc data janua leti
 Eripuere necem . jamque ut mihi prodiga vitæ
 Pectora , & extremam nihil horrescentia mortem
 Aspicias ; bellum infandum ominibusque negatam
 Movisti , funeste , aciem , dum pellere leges ,
 Et consanguineo gliscis regnare superbus
 Exsule . te series orbarum excisa domorum
 Planctibus affiduis , te diro horrore volantes
 Quinquaginta animæ , circum noctesque , diesque ,
 Affilient : neque enim ipse moror . jam moverat iras .
 Rex ferus , & tristes ignescunt sanguine vultus .

50

55

60

65

70

75

Inde ultro Phlegyas, & non cunctator iniqui
 Labdacus (hos regni ferrum penes) ire; manuque 80
 Proturbare parant. sed jam nudaverat ensem
 Magnanimus vates; & nunc trucis ora tyranni,
 Nunc ferrum aspectans, nunquam tibi sanguinis hujus
 Jus erit, aut magno feries imperdita Tydeo
 Pectora. vado equidem exsultans, ereptaque fata 85
 Insequor, & comites feror exspectatus ad umbras.
 Te Superis, fratrique. & jam media orsa loquentis
 Abstulerat plenum capulo latus. ille dolori
 Pugnat, & ingentem nixu duplicatus in ictum
 Corruit, extremisque animæ singultibus errans 90
 Alternum nunc ore venit, nunc vulnere sanguis.
 Excusse procerum mentes, turbataque mussant
 Concilia. ast illum conjux, fidique parentes
 Servantem vultus, & torvum in morte peracta,
 Nec longum reducem lætati, in testa ferebant. 95
 Sed ducis infandi rabidae non haec tenus iræ
 Stare queunt. vetat igne rapi, pacemque sepulcri
 Impius ignaris nequidquam manibus arcer.
 Tu tamen egregius fati, mentisque, nec unquam
 Indignum passure situm, qui minus ausus 100
 Vadere contemtum regis, quaque ampla veniret
 Libertas fancire viam: quo carmine dignam,
 Quo satis ore tuis famam virtutibus addam,
 Augur amate Deis? non te cœlestia frustra
 Edocuit, lauroque sua dignatus Apollo est, 105
 Et nemorum Dodona parens, Cyrrhaeaque virgo
 Audebit tacito populos suspendere Phœbo.
 Nunc quoque Tartareo multum divisus Averno

Elyfias, i, carpē plagas: ubi manibus axis
 Invius Ogygiis, nec fontis iniqua Tyranni 110
 Jussa valent. durant habitus, & membra cruentis
 Inviolata feris, nudoque sub axe jacentem
 Et nemus, & tristis volucrum reverentia servat.
 At nuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes
 Mœnibus effusi per plana, per invia, passim
 Quisque suas avidi ad lacrimas miserabile currunt
 Certamen: quos densa gradu comitantur eentes
 Millia solandi studio; pars visere flagrant
 Unius acta viri, & tantos in nocte labores.
 Fervet iter gemitu, & plangoribus arva reclamant. 120
 Ut vero infames scopulos, silvamque nefandam
 Perventum, ceu nulla prius lamenta, nec atri
 Manassent imbris, sic ore miserrimus uno
 Exoritur fragor, aspectuque accensa cruento
 Turba fuit. stat sanguineo discissus amictu 125
 Luctus atrox, cæsoque invitat pectore matres.
 Scrutantur galeas frigentum, inventaque monstrant
 Corpora, procidua super externosque, suosque,
 Hæ pressant in tæbe comas, hæ lumina signant,
 Vulneraque alta replent lacrimis. pars spicula dextra 130
 Nequidquam parcente trahunt, pars molliter aptant
 Brachia truncâ loco, & cervicibus ora reponunt.
 At vaga per dumos, vacuique in pulvere campi
 Magna parens juvenum, gemini tunc funeris, Ide
 Squallentem sublata comam, livenitaque ora
 Ungue premens, nec jam infelix miserandaque, verum
 Terror ineft lacrimis, per & arma & corpora passim
 Caniciem impexam dira tellure volutans,


Quærit inops natos , omni que in corpore plangit.
Thessalis haud aliter bello gavisa recenti , 140
Cui gentile nefas hominem revocare canendo ,
Multifida attollens antiqua lumina cedro ,
Nocte subit campos , versatque in sanguine funatum
Vulgus , & explorat manes , cui plurima busto
Imperet ad Superos . animarum mœsta queruntur
Concilia , & nigri pater indignatur Averni .
Illi in secessu pariter sub rupe jacebant
Felices , quos una dies , manus abstulit una ,
Pervia vulneribus media trabe pectora nexi .
Ut vidit , lacrimisque oculi patuere profusis : 150
Hosne ego complexus , genitrix , hæc oscula , nati ,
Vestra tuor ? sic vos extremo in fine ligavit
Ingenium crudele necis ? quæ vulnera traetem ,
Quæ prius ora premam ? vosne illa potentia matris ,
Vos uteri fortuna mei ? qua tangere Divos 155
Rebar , & Ogygias titulis anteire parentes .
At quanto melius , dextraque in forte jugatæ ,
Quis steriles thalami , nulloque ululata dolore
Respexit Lucina domum . mihi quippe malorum
Causa labor . sed nec bellorum in luce patentis 160
Conspicui factis , æternaque gentibus ausi ,
Quæsistis miseræ vulnus memorabile matri :
Sed mortem obscuram , miserandaque funera passi .
Heu quantus furto crux , & sine laude jacetis !
Quin ego , non dextras miseris complexibus ausim 165
Dividere , & tanti consortia rumpere leti :
Ite diu fratres , indiscretique supremis
Ignibus , & caros urna confundite manes .

Nec minus interea digesta strage suorum
 Hinc Chthonium conjux , hinc mater Penthea clamat 170
 Astyoche , puerique rudes tua , Phaedime , proles
 Amissum didicere patrem , Marpissaque paetum
 Phyllea : sanguineumque lavant Acamanta sorores.
 Tunc ferro retegunt silvas , collisque propinqui
 Annosum truncant apicem , qui conscius actis 175
 Noctis , & inspexit gemitus . ibi grandior ævo
 Ante rogos , dum quisque suo nequit igne revelli ,
 Concilium infastum dictis mulcebat Alethes :
 Sæpe quidem infelix , varioque exercita ludo
 Fatorum gens nostra ruit , Sidonius ex quo 180
 Hospes in Aonios jecit fata ferrea sulcos :
 Unde novi foetus , & formidata colonis
 Arva suis . sed nec veteris cum regia Cadmi
 Fulmineum in cinerem monitis Junonis iniquæ
 Consedit , neque funerea cum laude potitus 185
 Infelix Athamas trepido de monte veniret ,
 Semianimem heu læto referens clamore Learchum ;
 Hic gemitus Thebis : nec tempore clarius illo
 Phoenissæ sonuere domus , cum lassa furorem
 Vicit , & ad comitum lacrimas expavit Agave. 190
 Una dies similis fato specieque malorum
 Æqua fuit , qua magniloquos luit impia flatus
 Tantalis , innumeris cum circumfusa ruinis
 Corpora tot raperet terra , tot quæreret ignes.
 Talis erat vulgi status , & sic urbe relicta , 195
 Primæisque senes , & longo examine matres
 Invidiam planxere Deis , miseroque tumultu
 Eina per ingentes stipabant funera portas.

- Meque ipsum , memini (nec dum apta doloribus ætas)
Flesse tamen , gemituque meos æquasse parentes. 200
- Illa tamen Superi. nec quod tibi Delia castos
Prolapsum ad fontes , specula temerante profana ,
Heu dominum insani non agnovere Molossi ,
Deslerim magis , aut verso quod sanguine fluxit
In subitos regina lacus. sic dira sororum 205
- Pensa dabant , visumque Jovi. nunc regis iniqui
Ob noxam immeritos patriæ tot culmina cives
Exuimus , nec adhuc calcati foederis Argos
Famâ subit , & jam bellorum extrema dolemus.
Quantus equis , quantusque viris in pulvere crassio 210
- Sudor ! io quanti crudele rubebitis amnes !
Viderit hæc bello viridis manus : ast ego doner
Dum licet igne meo , terraque infestans avita.
Hæc senior : multumque nefas Eteoclis acerbat ,
Crudelem infandumque vocans , poenasque daturum. 215
- Unde ea libertas ? juxta illi finis & ætas
Tota retro , feræque velit decus addere morti.
Hæc sator astrorum jamdudum e vertice mundi
Prospectans , primoque imbutas sanguine gentes ,
Gradivum acciri propere jubet. Ille furentes 220
- Bistonas , & Geticas populatus cædibus urbes ,
Turbidus ætherias currus urgebat ad arces ,
Fulmine cristatum galeæ jubar , armaque in auro
Tristia , terrificis monstrorum animata figuris ,
Incuiens : tonat axe polus , clypeique cruenta 225
- Lux rubet , & solem longe ferit æmulns orbis.
Hunc ubi Sarmaticos etiamnum efflare labores
Juppiter , & tota perfusum pectora belli.

Statius.

O



Tempestate videt: Talis mihi, nate, per Argos,
Talis abi: sic ense madens, ac nubilus ira.

230

Exturbent resudes frenos; & cuncta perosi
Te cupiant, tibi præcipites animaque, manusque
Devoveant: rape cunctantes, & foedera turba,
Quæ dedimus. tibi fas ipsos incendere bello
Cœlicolas, pacemque meam. iam semina pugnæ

235

Ipse dedi. remeat portans immania Tydeus
Ausa ducis, scehus & turpis primordia belli,
Insidias, fraudesque, suis quas ultus in armis.

Adde fidem. vos o Superi, meus ordine sanguis,
Ne pugnate odii, neu me tentare precando

240

Certeis. sic fata mihi, nigræque fororum
Juravere colus. manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populique in prælia nati.

Quid ni me veterum poenas sanctire malorum
Gentibus, & diros finitis punire nepotes,

245

Arcem hanc æternam, mentis sacraria nostræ,
Testor, & Elysios etiam mihi numina fontes,
Ipse manu Thebas, correptaque moenia fundo

Excutiam, versaque solo super Inacha tecta
Effundam turres, ac stagna in cœrula vertam

250

Imbre superjecto: licet ipsa in turbine rerum
Juno suos colles, templumque amplexa laboret.
Dixit; & artoniti jussis (mortalia credas

Pectora) sic cuncti vocemque, animosque tenebant.
Non secus ac longa ventorum pace solutum

255

Æquor, & imbelli recubant ubi litora somno,
Silvarumque comas, & abacto flumine nubes

Mulcet iners æstas; iunc stagna, lacusque sonori

- Detumuere : tacent exhausti folibus amnes.
 Gaudet ovans jussis , & adhuc temone calenti 260
 Fervidus , in lævum torquet Gradivus habenas.
 Jamque iter extreum , cœlique abrupta tenebat ,
 Cum Venus ante ipsos nulla formidine gressum
 Figit equos. cessere retro , jam jamque rigentes
 Suppliciter posuere jubas. tunc pectora summo 265
 Acclinata jugo , vultumque obliqua madentem ,
 Incipit: (interea dominæ vestigia juxta
 Spumantem proni mandunt adamanta jugales)
 Bella etiam in Thebas , sacer o pulcherrime , bella
 Ipse paras , ferroque tuos abolere nepotes ? 270
 Nec genus Harmiones , nec te connubia coelo
 Festa , nec hæ quidquam lacrimæ , furibunde , morantur ?
 Criminis hæc merces ? hoc fama , pudorque relictus ?
 Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ ?
 Perge libens. at non eadem Vulcania nobis 275
 Obsequia , & læsi servit tamen ira mariti.
 Illum ego perpetuis mihi desudare caminis
 Si jubeam , vigilesque operi transmittere noctes ,
 Gaudeat , ornatusque novos , ipsique laboret
 Arma tibi. tu : sed scopulos & ahena precando 280
 Flectere corda paro. solum hoc tamen anxia , solum
 Obtestor , quid me Tyrio sociare marito
 Progeniem caram , infaustisque dabas Hymenæis ?
 Dum fore præclaros armis , & vivida rebus
 Pectora vipereo Tyrios de sanguine jaetas , 285
 Demissumque Jovis serie genus. ah mea quanto
 Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto
 Trans Boream , Thracasque tuos. indigna parumne

Pertulimus? divæ Veneris quod filia longum
 Reptat, & Illyricas ejecitat virus in herbas? 290
 Nunc gentem immeritam. Lacrimas non pertulit ultra
 Bellipotens. hastam lœva transumit, & alto
 (Hand mora) desiluit curru: clypeoque receptam
 Lædit in amplexu, dictisque ita mulcet amicis:
 O mihi, bellorum requies, & sacra voluptas, 295
 Unaque pax animo; soli cui tanta potestas
 Divorumque hominumque meis occurrere telis
 Impune, & media quamvis in cæde frementes,
 Hos affltere equos, hunc ensem avellere dextra.
 Nec mihi Sidonii gênitalia foedera Cadmi, 300
 Nec tua cara fides (ne falsa incessere gande)
 Exciderunt. prius in patrui Deus infera mergar
 Stagna, & pallentes agar exarmatus ad umbras.
 Sed nunc Fatorum monitus, mentemque supremi
 Iussus obire patris. (neque enim Vulcaña tali 305
 Imperio manus apta legi) quo pectore contra
 Ire Jovem, dictisque parem contemnere leges?
 Cui modo, pro vires! terras, coelumque, fretumque,
 Attremere oranti, tantisque ex ordine vidi
 Delituisse Deos. sed ne mihi corde supremos 310
 Concipe. cara, metus: quando hæc mutare potestas
 Nulla datur. cum jam Tyriis sub moenibus ambæ
 Bellabunt gentes, adero, & socia arma juvabo.
 Tunc me sanguineo late defervere campo
 Res super Argolicas hand sic dejecta videbis: 315
 Hoc mihi jus, nec Fata vetant. Sic orsus aperto
 Flagrantes immisit equos. non ocius alti
 In terras cadit ira Jovis, si quando nivalem

- Othrym, & Arctoæ gelidum caput institit Offæ,
Armavitque in nube manum. volat ignea moles 310
Sæva Dei mandata ferens, cœlumque trisulca.
Territat omne coma, jamdudum aut ditibus agris.
Signa dare, aut ponto miseros involvere nautas.
Janque remensus iter fesso Danaeia Tydeus
Arva gradu, viridisque legit devexa Prosymnæ 325
Terribilis visu. stant fulti pulvære crines:
Squallidus ex humeris cadit alta in vñlera sudor;
Insomnesque oculos rubor excitat, oraque retro
Sorbet anhela fitis. mens altum spirat honorem
Conscia factorum. sic nota in pascua taurus 330
Bellator redit, adverso cui colla, suoque
Sanguine, proscissisque natant palearibus armi.
Tunc quoque lassâ tumet virtus, multumque superbit
Pectore despecto. vacua jacet hostis arena
Turpe gemens, crudosque vetat sentire dolores. 335
Tali erat. medias etiam non destitit urbes
Quidquid & Asopon, veteresque interjacet Argos
Inflammare odiis: multumque, & ubique retexens
Legatum sese Graia de gente petendis
Iste super regnis profugi Polynicis, at inde 340
Vim, noctem, scelus, arma, dolos, ea foedera passum.
Regis Echionii, fratri sua jura negari.
Prona fides populis. Deus omnia credere suadet
Arripotens, geminatque acceptos fama pavores.
Utque introgressus portas (& forte verendos 345
Concilio pater ipse duces cogebat Adrastrus)
Improvisus adest, jam illinc a postibus aulæ,
Vociferans: Arma, arma viri, tuque optime Lernæ.

Ductor, magnanimum si quis tibi sanguis avorum ;
 Arma para, nusquam pietas, non gentibus æquum
 Fas, aut cura Jovis. melius legatus adfsem
 Sauromatas avidos, servatoremque cruentum
 Bebrycii nemoris. nec iussa incuso, pigetve
 Officii. juvat isse, juvat, Thebasque nocentes
 Explorasse manu. bello me, credite, bello,
 Ceu turrim validam, aut arctam compagibus urbem;
 Deleci insidiis instructique omnibus armis
 Nocte doloque viri, nudum ignarumque locorum
 Nequidquam clausere. jacent in sanguine mixti
 Ante urbem vacuam. nunc o, nunc tempus in hostes ;
 Dum trepidi, exsanguesque metu, dum funera portant :
 Dum capulo nondum manus excidit. ipse ego fessus
 Quinquaginta illis heroum immanibus umbris,
 Vulneraque ista ferens putri infieata cruento
 Protinus ire peto. trepidi de sedibus adstant
 Inachidæ: cunctisque prior Cadmeiūs heros
 Accurrit vultum dejectus, &c, En ego Divis
 Invisus, vitæque nocens, hæc vulnera cerno
 Integer? hosne mihi reditus, germane, parabas?
 Io me hæc tela dabas? pro vitæ foeda cupido!
 Infelix, facinus fratri tam grande negavi.
 Et nunc vestra quidem maneant in pace serena
 Mœnia; nec vobis tanti sim causa tumultus
 Hospes adhuc, scio, nec me adeo res dextra levavit,
 Quam durum natis, thalamo quam triste revelli,
 Quam patria. non me ullius domus anxia culpet,
 Respectenque truces obliquo lumine matres.
 Ibo libens certusque mori: licet optima conjux

350

355

360

365

370

375

Auditusque iterum revocet sacer. hunc ego Thebis,
 Huac, germane , tibi jugulum , & tibi, maxime Tyden, 380
 Debeo. sic variis prætentat pectora dictis ,
 Obliquatque preces. commotæ questibus iræ
 Et mixtus lacrimis caluit dolor. omnibus ulti
 Non juvenum modo , sed gelidis & inertibus ævo
 Pectoribus mens una subit , viduare penates , 385
 Finitimas adhibere manus : jamque ire. sed altus.
 Consiliis pater, imperiique haud flectere molem
 Inficius : Ista quidem Superis , curæque medenda
 Linquite quæsto meæ: nec te germanus inulto
 Sceptra geret : neque vos avidi promittere bellum.
 At nunc egregium tantoque in sanguine ovantem
 Excipite Θeniden , animosque & pectora laxet
 Sera quies , nobis dolor haud rationis egebit.
 Turbati extemplo comites , & pallida conjux ,
 Tydea circum omnes fessum bellique viæque 390
 Stipantur, lætus mediis in sedibus aulæ
 Constitit, ingentique exceptus terga columnæ ,
 Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon ,
 Nunc velox ferro , nunc ille potentibus herbis
 Mitior. ipse alta seductus mente renarrat 400
 Principia irarum , quæque orsus uterque vicissim ;
 Quis locus insidiis , tacito quæ tempora bello :
 Qui contra , quantique duces , ubi maximus illi
 Sudor, & indicio servatum Mæona tristi ,
 Exponit. cui fida manus proceresque , sacerque 405
 Adstupet oranti, Tyriusque incenditur exsul.
 Solverat Hesperii devexo margine ponti
 Flagrantes Sol pronus equos , rutilamque lavabat

Oceani sub fonte comam : cui turba profundâ
 Nereos , & rapidis accurrunt passibus Horæ ; 410
 Frenaque , & auratæ textum sublime coronæ
 Deripiunt: laxant roseis humentia loris
 Pectora. pars meritos vertunt ad molle jugales.
 Gramen , & erecto currum temone supinant.
 Nox subiit , curasque hominum , motusque ferarum 415
 Composuit , nigroque polos involvit amictu.
 Illa quidem cunctis , sed non tibi mitis , Adraste ,
 Labdacioque duci. nam Tydea largus habebat
 Perfusum magna virtutis imagine somnus.
 Et jam noctivagas inter Deus armiger umbras 420
 Desuper Arcadiæ fines , Nemeæaque rura ,
 Tænariumque cacumen , Apollineasque Therapnas
 Armorum tonitru ferit , & trepidantia corda
 Implet amore sui. comunt Furor Iraque cristas ,
 Frena ministrat equis Pavor armiger. at vigil omni 425
 Fama sono varios rerum succincta tumultus
 Ante volat currum , flaruque impulsa gementum
 Alipedum , trepidas denso cum murmure plumas
 Excutit. urget enim stimulis auriga cruentis
 Faeta , infecta loqui , curruque infestus ab alto 430
 Terga , comasque Deæ Scythica pater increpat hasta.
 Qualis ubi Æolio dimissos carcere ventos
 Dux præ se Neprunus agit , magnoque volantes
 Injicit Ægæo , tristis comitatus eunti
 Circum lora fremunt , nimbique hiemesque profundæ , 435
 Nubilaque & vulso terrarum sordida fundo
 Tempestas, dubiæ motis radicibus obstant
 Cyclades. ipsa tua Mycono , Gyaroque revelli,

- Dele, times, magnique fidem testaris alumni.
Septima jam nitidum terris Aurora Deisque 440
Purpureo vehit ore diem: Perseius heros
Cum primum arcana senior fese extulit aula,
Multus super bello, generisque tumentibus amens
Incertusque animi, daret armis jura, ferosque
Gentibus incuteret stimulos, an frena teneret 445
Irarum, & motos capulis adst ingeret enses.
Hinc pacis tranquilla movent, atque inde pudori
Fœda quies, flectique nova dulcedine pugnæ
Difficiles populi, dubio sententia tandem
Sera placet, varum mentes, ac provida veri 450
Sacra movere Deum. solers tibi cura futuri,
Amphiarae, datur, juxtaque Amythaone cretus
Jam senior, sed mente virens Phœboque Melampus
Associat passus: dubium cui dexter Apollo,
Oraque Cyrrhaea satiarit largius unda. 455
Principio fibris pecudumque in sanguine Diuos
Explorant, jam tum pavidis maculosa bidentum
Corda negant, diraque nefas minitantia vena.
Ire tamen, vacuoque sedet petere omina cœlo.
Mons erat audaci seductus in æthera dorso, 460
(Nomine Lernæi memorant Aphesanta coloni)
Gentibus Argolicis olim sacer: inde ferebant
Nubila, suspenso celerem temerasse volatu
Persea, cum raptos pueri perterrita mater
Prospexit de rupe gradus, ac pæne secuta est. 465
Huc gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter: madidos ubi lucidus agros

- Ortus, & algentes laxavit sole pruinæ.
 Ac prior Eclides folita prece numen amicat : 478
 Juppiter omnipotens : nam te perniciibus alis
 Addere confilium, volucresque implere futuri,
 Ominaque, & causas cœlo deferre latentes.
 Accipimus : non Cyrrha Deum promiserit antro.
 Certius, aut frondes lucis quas fama Molossis 479
 Chaonias sonuisse tibi : licet aridus Hammon.
 Invideat, Lyciæque parent contendere sortes,
 Niliacumque pecus, patrioque æqualis honori
 Branchus, & undosæ qui rusticus accola Pisæ
 Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra. 480
 Dittior ille animi. cui tu, Dictæ, secundas
 Impuleris manifestus aves. mirum unde, sed olim
 Hic honor alitibus. superæ seu conditor aulæ
 Sic dedit, effusum Chaos in nova femina texens ;
 Seu quia mutatae, nostraque ab origine versis 485
 Corporibus subiere Notos : seu purior axis,
 Amotumque nefas, & rarum infistere terris.
 Vera docent: tibi summa, sator terræque Deumque,
 Scire licet. nos Argolicæ primordia pugnæ,
 Venturumque finas cœlo prænosse laborem. 490
 Si datur, & duris sedet hæc sententia Parcis
 Solvere Echionias Lernæa cuspide portas,
 Signa feras, læviusque tones. tunc omnis in astris
 Consonet arcana volucris bona murmura lingua.
 Si prohibes, hic neceste moras: dextrisque profundum 495
 Alitibus prætexe diem. sic fatus, & alto
 Membra locat scopulo. tunc plura ignotaque jungit
 Numina, & immensi fruitur caligine mundi.

- Postquam rite diu partiti sidera , cunctas
Perlegere animis , oculisque sequacibus auras : 500
Tunc Amythaonius longo post tempore vates ,
Nonne sub excelso spirantis limite cœli ,
Amphiarae , vides , cursus ut nulla serenos
Ales agat ? liquidoque polum complexa meatu
Pendeat ? aut fugiens placabile planxerit omen ? 505
Non comes obscurus tripodum , non fulminis ardens
Vëctor adest , flavæque sonans avis unca Minervæ ,
Non venit auguriis melior : quin vultur , & altis
Desuper accipitres exsultavere rapinis .
Monstra volant , diræ strident in nube volucres , 510
Nocturnæque gemunt striges , & feralia bubo
Damna canens . quæ prima Deûm portenta sequemur ?
Hisne dari , Thymbræ , polum ? simul ora recurvo
Ungue secant rabidæ , planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros , & plumea peñtora cædunt . 515
Ille sub hæc : Evidem varii , pater , omina Phœbi
Sæpe tuli . jam tunc prima cum pube virentem
Semideos inter pinus me Theffala reges
Duceret . hic casus terræque marisque canentem
Obstupuere duces : nec me ventura locuto 520
Sæpius , in dubiis auditus Iasone Mopsus .
Sed similes non ante metus , aut astra notavi
Prodigiosa magis : quanquam majora parantur .
Huc adverte animum . clara regione profundi
Ætheros , innumerí statuerunt agmina cygni : 525
Sive hos Strymonia Boreas ejecit ab Arcto ,
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili .
Fixerunt cursus , hæc rere in imagine Thebas .

Nam se se immoti gyro , atque in pace silentes ,
 Ceu muris , valloque tenent. sed fortior ecce 530
 Adventat per inane cohors. septem ordine fulvo
 Armigeros summi Jovis exsultante caterva
 Intuor. Inachii sunt hi tibi (concipe) reges.
 Invasere globum nivei gregis , uncaque pandunt
 Cædibus ora novis , & strictis unguibus instant. 535
 Cernis inexperto rorantes sanguine ventos ,
 Et plumbis stillare diem ? quam sæva repente
 Victores agitat leto Jovis ira sinistri ?
 Hic excelsa petens subita face Solis inarsit ,
 Summisitque animos. illum vestigia adortum 540
 Majorum voluerum teneræ deponitis alæ.
 Hic hosti implicitus pariter ruit , hunc fuga retro
 Volvit agens sociæ linquentem fata catervæ.
 Hic nimbo glomeratus obit. hic præpete viva
 Pascitur immoriens. spargit cava nubila sanguis. 545
 Quid furtim lacrimas ? illum , venerande Melampus ,
 Qui cadit , agnosco. trepidos sic mole futuri ,
 Cunctaque jam rerum certa sub imagine passos
 Terror habet vates. piget irrupisse volantum
 Concilia , & cœlo mentem insertasse vetanti. 550
 Auditique odere Deos. unde iste per orbem
 Primus venturi miseris animantibus æger
 Crevit amor ? Divûmne feras hoc munus , an ipsi
 Gens avida , & parto non unquam stare quieti ?
 Eruimus quæ prima dies , ubi terminus ævi , 555
 Quid bonus ille Deûm genitor , quid ferrea Clotho
 Cogitet: hinc fibræ , & volucrum per nubila sermo ;
 Astrorumque vices , numerataque semita Lunæ ,

- Thessalicumque nefas. At non prior aureus ille
 Sanguis avum, scopulisque satæ vel robore gentes 560
 Mentibus hoc aufæ. silvas amor unus, humumque
 Edomuisse manu. quid craftina volveret ætas
 Scire nefas homini. nos pravum ac debile vulgus
 Scrutati penitus Superos. hinc pallor & iræ,
 Hinc scelus, insidiæque, & nulla modestia voti. 565
 Ergo manu vittas, damnataque vertice ferta
 Deripit, abjectaque inhonoros fronde sacerdos
 Inviso de monte redit. jam bella tubæque
 Cominus, absentesque fremunt sub pectori Thebæ.
 Ille nec aspectum vulgi, nec fida tyrapni 570
 Colloquia, aut cœtus procerum perferre, sed atra
 Sede tegi, & Superum clausus negat æta fateri.
 Te pudor & curæ retinent per rura, Melampu.
 Bisseno premit ora die, populumque ducesque
 Extrahit incertis. & jam suprema Tonantis 575
 Jussa fremunt, agrosque viris, annosaque vastant
 Oppida. bellipotens præ se Deus agmina passim
 Mille rapit. liquere domos, dilectaque læti
 Connubia, & primo plorantes limine natos.
 Tantus in attonitos cecidit Deus. arma paternis 580
 Postibus, & fixos Superum ad penetralia currus
 Vellere amor. tunc fessa putri rubigine tela,
 Horrentesque fitu gladios in sæva recurvant
 Vulnera, & atrito cogunt juvenescere saxo.
 Hi teretes galeas, magnorumque ærea suta 585
 Thoracum, & tunicas chalybum squallore crepantes
 Pectoribus tentare, alii Gortynia lentant
 Cornua. jam falces avidis & aratra caminis,

- Rastraque , & incurvi sœvum rubuere ligones.
 Cædere nec validas sanctis e stirpibus hastas , 590
 Nec pudor emerito clypeum vestisse juvenco.
 Irrupere Argos , moestique ad limina regis
 Bella animis , bella ore fremunt. it clamor ad auras ,
 Quantus Tyrrheni gemitus salis , aut ubi tentat
 Enceladus mutare latus. procul igneus antris 595
 Mons tonat : exundant apices , fluctusque Pelorus
 Contrahit , & sperat tellus abrupta reverti.
 Atque hic ingenti Capaneus Mavortis amore
 Excitus , & longam pridem indignantia pacem
 Corda tumens (huic ampla quidem de sanguine prisco 600
 Nobilitas. sed enim ipse manu prægressus avorum
 Faæta , diu tuto Superum contemtor , & æqui
 Impatiens , largusque animæ , modo suaserit ira)
 Unus ut e silvis Pholoes habitator opacæ
 Inter & Ætnæos æquus consurgere fratres , 605
 Ante fores , ubi turba ducum , vulgique frementis ,
 Amphiarae , tuas , Quæ tanta ignavia , clamat ,
 Inachidæ? vosque o socio de sanguine Achivi
 Unius (heu pudeat) plebeia ad limina civis ,
 Tot ferro accinctæ gentes , animisque paratae 610
 Pendemus? non si ipse cavo sub vertice Cyrrhæ ,
 Quisquis is est timidis , famæque ita visus , Apollo
 Mugiat , insano penitus seclusus in antro ,
 Exspectare queam , dum pallida virgo tremendas
 Nuntiet ambages. Virtus mihi numen , & ensis , 615
 Quem teneo. jamque huc timida cum fraude sacerdos
 Exeat , aut hodie volucrum quæ tanta potestas
 Experiar. lætum fremit , affensusque furentem

Implet Achæa manus, tandem prorumpere adactus

Æclides, alio curarum agitante tumultu:

620

Non equidem effreno juvenis clamore profani,

Dictorumque metu, licet hic infana minetur,

Elicior tenebris. alio mihi debita fato

Summa dies, vetitumque dari mortalibus armis.

Sed me vester amor, nimiusque arcana profari

625

Phœbus agit. vobis ventura, atque omne, quod ultra est,

Pandere mœstus eo. nam te, vesane, moneri

Ante nefas, unique filet tibi noster Apollo.

Quo miseri, Fatis Superisque obstantibus, arma,

Quo rapitis? quæ vos Furiarum verbera cæcos

630

Exagitant? adeone animarum tædet? & Argos

Exosi? nil dulce domi? nulla omina curæ?

Quid me Persei secreta ad culmina montis

Ire gradu trepido superosque irrumpere cœtus

Egistis? potui pariter nescire, quis armis

635

Casus, & atra dies, quæ fati exordia cunctis,

Quæ mihi. consulti testor penetralia mundi,

Et volucrum affatus, & te, Thymbræe, vocanti

Non alias tam sœye mihi, quæ signa futuri

Pertulerim. vidi ingentis portenta ruinæ.

640

Vidi hominum, Divumque nefas, hilaremque Megæram,

Et Lachefim putri vacuantem secula penso.

Projicite arma manu. Deus ecce furentibus obstat:

Ecce Deus. miseri quid pulchrum sanguine victo

Aoniam & diri saturare novalia Cadmi?

645

Sed quid vana cano? quid fixos arceo casus?

Ibimus. hic preffo gemuit simul ore sacerdos.

Illum iterum Capaneus: Tuus o furor, augur, & uni

Ista tibi, ut serves vacuos inglorius Argos:

Et tua non unquam Tyrrhenus tempora circum

Clangor eat. quid vota virum meliora moraris?

Scilicet ut vanis avibus, natoque, domoque,

Et thalamis potiare jacens, fileamus inulti

Tydeos egregii perfoissum peccus? & arma

Fœderis abrupti? quod si bella effera Graios

Ferre vetas, i Sidonias legatus ad urbes.

Hæc pacem tibi ferta dabunt. tua prorsus inani

Verba polo causas, abstrusaque semina rerum

Eliciunt? miseret Superum, si carmina curæ,

Humanæque preces. quid inertia pectora terres?

Primus in orbe Deos fecit timor. & tibi tuto

Nunc eat iste furor. sed prima ad classica cum jam

Hostilem Ismenon galeis Dircenque bibemus:

Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti,

Obvius ire pares, ventisque aut alite visa

Bellorum proferre diem. procul hæc tibi mollis

Insula, terrificique aberit dementia Phœbi.

Illuc augur ego & mecum quicunque parati

Insanire manu. rursus fragor intonat ingens

Hortantum, & vasto subter volat astra tumultu.

Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant

Flumina, & exuti concreto frigore colles,

Cum vagus in campos frustra prohibentibus exit

Objicibus, resonant permixto turbine testa,

Arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto

Colle minor, magnoque invenit in aggere ripas.

Hæc alterna ducum nox interfusa diremit.

At gemitus Argia viri non amplius æquo

650

655

660

665

670

675

- Corde ferens , sociumque animo miserata dolorem ,
Sicut erat pridem laceris turbata capillis , 680
Et fletu signata genas , ad celsa verendi
Ibat tecta patris , parvumque sub ubere caro
Thessandrum portabat avo , jam nocte suprema
Ante novos ortus , ubi sola superflite plaustro
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet astris . 685
Utque fores iniit , magnoque affusa parenti est :
Cur tua cum lacrimis mœsto sine conjugé supplex
Limina nocte petam , cessem licet ipsa profari ,
Scis genitor . sed jura Deum genitalia testor ,
Teque pater , non ille jubet ; sed pervigil angor ; 690
Ex quo primus Hymen , movitque infanta finistram
Juno faciem , semper lacrimis gemituque propinquo
Exurbata quies . non si mihi tigridis horror ,
Æquoreæque super rigeant præcordia cautes ,
Ferre queam . tu solus opem , tu summa medendi 695
Jura tenes . da bella , pater , generique jacentis
Aspice res humiles , atque hanc , pater , aspice prolem
Exsulis . huic olim generis pudor , obvia prima
Hospitia , & junctæ testato numine dextræ .
Hic certe est , quem Fata dabant , quem dixit Apollo . 700
Non egomet tacitos Veneris furata calores ,
Culpatumve facem , tua iussa verenda , tuosque
Dilexi monitus . nunc qua feritate dolentis
Despiciam questus ? nescis , pater optime , nescis ;
Quantus amor causæ misero nupissæ marito . 705
Et nunc mœsta quidem grave & illætabile munus
Ut timeam , doleamque , rogo . sed cum oscula rumpet
Mœsta dies , cum rauca dabunt abeuntibus armis

Statius.

P

Signa tubæ, sævoque genas fulgebitis auro,
Hei mihi care parens, iterum fortasse rogabo. 710
Illius humenti carpens pater oscula vultu,
Non equidem has unquam culparim, nata, querelas:
Pone metus: laudanda rogas, nec digna negari.
Sed mihi multa Dei (nec tu sperare, quod urges,
Define) multa metus, regnique volubile pondus 715
Subjiciunt animo. veniet, qui debitus istis,
Nata, modus: nec te incassum flevisse quereris.
Tu solare virum: neu sint dispendia justæ
Dura moræ: magnos cunctamur, nata, paratus.
Proficitur bello. Dicentem talia naſcens 720
Lux movet, ingentesque jubent affurgere cutæ.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER IV.

TERTIUS horrentem Zephyris laxaverat annum
Phœbus, & angustum cogebat limite verno.
Longius ire diem, cum fracta impulsaque fatis
Consilia, & tandem miseris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Ostendit Bellona facem, dextraque trabalem
Haftam intorfit agens: liquido quæ stridula cœlo
Fugit, & adversæ celso stetit aggere Dirces.
Mox & castra subit, ferroque, auroque coruscis
Mixta viris, turmale fremit: dat euntibus enses:
Plaudit equos: vocat ad portas, hortamina fortis
Præveniunt, timidisque etiam brevis addita virtus.
Diæta dies aderat, cadit ingens rite Tonanti
Gradivoque pecus: nullisque secundus in extis
Pallet, & armatis simulat sperare sacerdos.
Jamque suos circum pueri, innuptæque, patresque,
Funduntur mixti, summisque a postibus obstant.
Nec modus est lacrimis, rorant clypeique, jubæque

Triste salutantum , & cunctis dependet ab armis
 Suspiranda domus. galeis juvat oscula clausis 20
 Inserere , amplexuque truces deducere conos.
 Illi , quis ferrum modo , quis mors ipsa placebat ,
 Dant gemitus , fractæque labant singultibus iræ.
 Sic ubi forte viris longum super æquor ituris ,
 Cum jam ad vela Noti , & scissō redit ancora fundo , 25
 Hæret amica manus : certant innectere collo
 Brachia , manantesque oculos. hinc oscula turbant ,
 Hinc magni caligo maris : tandemque relicti
 Stant in rupe tamen : fugientia carbasa visu
 Dulce sequi , patriosque dolent crebrescere ventos : 30
 Stant tamen , & notam puppem de rupe salutant.
 Nunc mihi , fama prior , mundique arcana vetustas ,
 Cui meminisse ducum , vitasque extendere curæ ,
 Pande viros : tuqne o nemoris regina sonori ,
 Calliope , quas ille manus , quæ moverit arma 35
 Gradivus , quantas populis solaverit urbes ,
 Sublata molite lyra. nec enim altior ulli
 Mens hausto de fonte venit. Rex tristis , & æger
 Pondere curarum , propiorque abeuntibus annis ,
 Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastrus , 40
 Contentus ferro cingi latus : arma manipli
 Pone ferunt : volueres portis auriga sub ipsis
 Comit equos , & jam inde jugo luctatur Arion.
 Huic armat Larissa viros , huic celsa Prosymne ,
 Aptior armentis Midea , pecorosaque Phyllos , 45
 Quæque pavet longa spumantem valle Charadron
 Neris , & ingenti turritæ mole Cleonæ ,
 Et Lacedæmonium Thyre lectura cruento .

- Junguntur memores transmissi ab origine regis,
Qui Drepani scopulos, & oliviferæ Sicyonis 50
Culta serunt, quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, & anfraætu riparum incurvus Elissos.
Sævis honos fluvio : Stygias lustrare severis.
Eumenidas perhibetur aquis. huc mergere suetæ
Ora, & anhelantes tuto Phlegethonte cerafas: 55
Seu Thracum vertere domos, seu teæta Mycenis
Impia, Cadmeumve larem. fugit ipse natantes
Amnis, & innumeris liveſcunt stagna venenis.
It comes Inoas Ephyre solata querelas,
Cenchræaque manus, vatum qua conscius amnis 60
Gorgoneo percussus equo, quaque objacet alto
Isthmos, & a terris maria inclinata repellit.
Hæc manus Adraſtum numero ter mille fecuti
Exſultant. pars gefa manu, pars robora flammis
Indurata diu (non unus nainque maniplis 65
Mos, neque fanguis inest) teretes pars vertere fundas.
Affueti, vacuoque diem præcingere gyro.
Ipse annis ſceptrisque ſubit venerabilis æque:
Ut poſſeffa diu taurus meat arduus inter
Pascua, jam laxa cervice, & inanibus armis, 70
Dux tamen: haud illum bello attentare juvencis
Sunt animi, nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, & ingentes plagarum in pectore nodos.
Proxima longævo profert Dirceus Adraſto
Signa gener, cui bella favent: cui commodat iras 75
Cuncta cohors. huic & patria de ſede volentes
Advenere viri; ſeu quos movent exſul, & hæſit
Trifibis auēta fides, ſeu quis mutare potentes

- Præcipuum: multi, melior quos causa querenti
Conciliat, dederat nec non sacer ipse regendas 80
Ægion, Arenenque, & quas Theseia Throæzen
Addit opes, ne rara movens inglorius iret
Agmina, neu raptos patriæ sentiret honores.
- Idem habitus, eadem arma viro, quæ debitus hospes
Hiberna sub nocte tulit. Theumesius implet 85
Terga leo: gemino lucent hastilia ferro:
Aspera vulnifico subter latus ense riget Sphynx.
Jam regnum, matrisque sinus, fidisque sorores
Spe votisque tenet: tamen & de turre suprema
Attonitam, totoque exstantem corpore longe 90
Respicit Argian. hæc mentem oculosque reducit
Conjugis, & dulces avertit peccatore Thebas.
Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus: jam lætus, & integer artus,
Ut primum strepere tubæ. ceu lubricus alta 95
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, & squalentibus annis
Exutus, lætisque minax interviret herbis:
Ah miser, agrestum si quis per gramen hianti
Obvius, & primo fuccaverit ora veneno. 100
Huic quoque præstantes Ætolis urbibus affert
Belli fama viros. sensit scopulosa Pylene
Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron,
Et præceps Calydon, & quæ Jove provocat Iden 105
Olenos, Ioniis & fluëtibus hospita portu
Chalcis, & Herculea turpatus gymnade vultus
Amnis. adhuc imis vix truncam attollere frontem
Aufus aquis, glaucoque caput submersus in antro

Moeret: anhelantes ægredunt pulvere ripæ!
 Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
 Pilaque sæva manu, patrius stat casside Mavors.
 Undique magnanimum pubes delecta coronant
 Ceniden, hilarem bello, notisque decorum
 Vulneribus. non ille minis Polynicis, & ira
 Inferior, dubiumque adeo, cui bella gerantur.
 Major at inde novis it Doricus ordo sub armis,
 Qui ripas, Lyrice, tuas, tua litora multo
 Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivum,
 Inache: (Persea neque enim violentior exit
 Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hausit aquosas
 Spumeus, & genero tumuit Jove) quos celer ambit
 Asterion, Dryopumque trahens Erasinus aristas:
 Et qui rura domant Epidauria: dexter Iaccho
 Collis, at Enyææ Cereri negat. avia Dyme
 Mittit opes, densaque Pylos Neleia turmas,
 Nondum nota Pylos, juvenisque ætate secunda
 Nestor, & ire tamen peritura in castra negavit.
 Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
 Arduus Hippomedon. capiti tremit ærea cassis,
 Ter nivea scandente juba. latus omne sub armis
 Ferrea suta terunt: humeros ac pectora late
 Flammeus orbis habet, perfectaque vivit in auro
 Nox Danai. fontes furiarum lampade nigra
 Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
 In foribus laudatque nefas, atque inficit enses.
 Illum Palladia sonipes Nemeæus ab arce
 Devehit arma pavens, umbraque immane volanti
 Implet agros, longoque attollit pulvere campum.

Non aliter silvas humeris & utroque refringens

Pectore , montano duplex Hyleus ab antro

140

Præcipitat: pavet Offa vias , pecudesque , feraeque

Procubuere metu : non ipsis fratribus horror

Absfuit , ingenti donec Peneia saltu

Stagna subit , magnumque objectus detinet amnem.

Quis numerum ferri , gentesque , & robora dicto

145

Æquarit mortale sonans ? suus excit in arma

Antiquam Tiryntha Deus . non fortibus illa

Infœcunda viris , famaque immanis alumni

Degenerat : sed lapsa situ fortuna , neque addunt

Robur opes . rarus vacuis habitator in arvis

150

Monstrat Cyclopum ducas sudoribus arcis.

Dat tamen hæc juvenum tercentum pectora , vulgus

Innumerum bello , quibus hand amenta , nec enses

Triste micant. flavent capiti tergoque leonum

Exuviae , gentilis honos , & pineus armat

155

Stipes , inexhaustis arctantur tela pharetris.

Herculeum Pæana canunt , vastataque monstros

Omnia : frondosa longum Deus audit ab Oeta.

Dat Nemea comites , & quas in prælia vires

Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi.

160

Gloria nota casæ , foribus simulata salignis

Hospitis arma Dei , parvoque ostenditur arvo ,

Robur ubi & laxos qua reclinaverit arcus

Ilice , qua cubiti sedeant vestigia terra.

At pedes , & toto despectans vertice bellum ;

165

Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis

Terga , superque rigens injectu molis ahena

Versat onus : squallet triplici ramosa corona

- Hydra recens obitu. pars anguibus aspera vivis
 Argento cælata micat : pars arte reperta 170
 Conditur , & fulvo moriens ignescit in auro.
 Circum amnis torpens , & ferro coerulea Lerne.
 At laterum tractus , spatiofaque pectora servat
 Nexilis in numero chalybum subtemine thorax ,
 Horrendum , non matris opus , galeæque corusca 175
 Prominet arce gygas , atque uni missilis illi
 Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus.
 Huic parere dati , quos fertilis Amphigenia ,
 Planaque Messene , montanaque nutrit Ithome ;
 Quos Thrion , & summis ingestum montibus Æpy ; 180
 Quos Helos , & Pteleon , Getico quos flebile vati
 Dorion . hic frectus doctas anteire canendo
 Aonidas , mutos Thamyris damnatus in annos
 Ore simul , citharaque (quis obvia numina temnat ?)
 Conticuit præceps , qui non certamina Phœbi 185
 Nossæt , & illustres Satyro pendente Celænas.
 Jamque & fatidici mens expugnata fatiscit
 Auguris . ille quidem casus , & dira videbat
 Signa , sed ipsa manu cunctanti injecerat arma
 Atropos , obrueratque Deum : nec conjugis absunt 190
 Infidiæ , vetitoque domus jam fulgurat auro.
 Hoc aurum vati fata exitiale monebant
 Argolico . scit & ipse nefas , sed perfida conjux
 Dona viro mutare velit , spoliisque potentis
 Imminet Argiæ , raptaque excellere cultu. 195
 Illa libens (nam regum animos , & pondera belli
 Hac nutare videt , pariter ni providus heros
 Militet) ipsa sacros gremio Polynicis amati

- Deposuit nexus haud moesta , atque insuper addit :
 Non hæc apta mihi nitidis ornatibus , inquit , 200
 Tempora , nec miseræ placeant insignia formæ
 Te sine. fat dubium cœtu solante timorem
 Fallere , & incultos aris adverrere crines.
 Scilicet (heu superi) cum tu cludare minaci
 Casside , ferratusque fones , ego divitis aurum 205
 Harmoniæ dotale geram ? dabit aptior ista
 Fors Dei , Argolicasque habitu præstabo maritas.
 Cum regis conjux , cum te mihi sospite , templa
 Votivis implenda choris : nunc induat illa ,
 Quæ petir , & bellante potest gaudere marito. 210
 Sic Eriphylæos aurum fatale penates
 Irrupit , scelerumque ingentia semina movit ,
 Et grave Tisiphone risit gavisa futuris.
 Tænareis hic celsus equis , quam dispare cœtu
 Cyllarus , ignaro generarat Castore prolem , 215
 Quassat humum. vatem cultu Parnassia monstrant
 Vellera , frondenti crinitur cassis oliva ,
 Albaque puniceas interplicat insula cristas.
 Arma simul , prensasque jugo moderatur habenas.
 Hinc atque inde moræ jaculis , & ferrea curru 220
 Silva tremit. procul ipse gravi metuendus in hasta
 Eminet , & clypeo viëtum Pythona coruscat.
 Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ ,
 Quos Pylos , & dubiis Malea vitata carinis ,
 Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ , 225
 Quos Pharis , volucrumque parens Cythereia Messe ,
 Taygetique phalanx , & oliviferi Eurotæ
 Dura manus. Deus ipse viros in pulvere crudo

- Arcas alit, nudæque modos virtutis, & iras
Ingenerat: vigor inde animis, & mortis honoræ, 230
Dulce sacrum, gaudent natorum fata parentes,
Hortanturque mori: deflet jamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta est funere mater.
Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,
Exserti ingentes humeros: chlamys horrida pendet, 235
Et cono Ledæus apex. non hi tibi solum,
Amphiarae, merent. auget resupina maniplos
Elis. depresso populus subit incola Pisæ,
Qui te, slave, natant terris, Alphee, Sicanis
Advena, tam longo non unquam infeste profundo: 240
Curribus innumeris late putria arva laceffunt,
Et bellis armenta domant, ea gloria genti
Infando de more, & fractis durat ab usque
Axibus Θnomai. strident spumantia morsu
Vincula, & effossas niveus rigat imbet arenas. 245
Tu quoque Parrhasias ignara matre catervas
Ah rudis annorum (tantum nova gloria suadet)
Parthenopæe, rapis. tum saltus forte remotos
Torva parens (neque enim hæc juveni foret ire potestas)
Pacabat cornu, gelidique averfa Lycei. 250
Pulchrior haud ulli triste ad discriminem ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ:
Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.
Quos non ille duces nemorum, fluiisque dicata
Numina, quas magno non impulit igne Napæas? 255
Ipsam, Mænalia puerum cum vidi in umbra,
Dianam, tenero signantem gramina passu,
Ignovisse ferunt comiti, Diæaque tela

- Ipsam , & Amyclæas humeris aptasse pharetras.
 Profilit audaci Martis percussus amore, 260
 Arma , tubas audire calens , & pulvere belli
 Flaventem fordere comam , captoque referri
 Hostis equo. tædet nemorum , titulumque nocentem
 Sanguinis humani pudor est nescire sagittas.
 Igneus ante omnes auro micat , igneus ostro , 265
 Undantemque sinum nodis irrigat Iberis ,
 Imbelli parma pœtus Calydonia matris
 Proelia. trux lœva sonat arcus , & aspera plumis
 Terga , Cydonæa corytos arundine pulsat ,
 Electro pallens , & iaspide clarus Eoa. 270
 Cornipedem trepidos fuetum prævertere cervos.
 Velatum geminæ dejectu lyncis , & arma
 Mirantem gravioris heri sublimis agebat ,
 Dulce rubens , viridique genas spectabilis ævo.
 Arcades huic veteres astris Lunaque priores , 275
 Agmina fida datis. nemorum vos stirpe rigenti
 Fama satos , cum prima pedum vestigia tellus
 Admirata tulit. nondum arva , domusque , nec urbes ,
 Connubisque modus. quercus , laurique ferebant
 Cruda puerperia , ac populos umbrosa creavit 280
 Fraxinus , & fœta viridis puer excidit orno.
 Hi lucis stupuisse vices , noctisque feruntur
 Nubila , & occiduum longe Titana secuti
 Desperasse diem. rarescunt alta colonis
 Mænala : Parthenium fugitur nemus : agmina bello 285
 Rhipaque , & Stratie , ventosaque donat Enispe.
 Non Tegea , non ipsa Deo vacat alite felix
 Cyllene , templumque Aleæ nemorale Minervæ ,

- Et rapidus Cliton , & qui tibi , Pythie , Ladon
 Pæne ficer , candensque jugis Lampia nivofis , 290
 Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.
 Venit & Idæis ululatibus æmulus Azan ,
 Parrhasiique duces , & quæ risistis , Amores ;
 Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti ,
 Dives & Orchomenos pecorum , & Cynosura ferarum. 295
 Æphitios idem ardor agros , & Psophida celsam
 Vastat , & Herculeo vulgatos robore montes ,
 Monstriferumque Erymanthon , & ærissonum Stymphalon.
 Arcades hi , gens una viris , sed dissona cultu
 Scinditur. hi Paphias myrtos a stirpe recurvant 300
 Et pastorali meditantur prælia truncō :
 His arcus , his tela sudes : hic casside crines
 Integit : Arcadii morem tenet ille galeri :
 Ille Lycaoniæ rictu caputasperat ursæ.
 Hos belli cœtus , jurataque pectora Marti , 305
 Milite vicinæ nullo juvere Mycenæ.
 Funereæ tum namque dapes , mediisque recursus
 Solis , & hic alii miscebant prælia fratres.
 Jamque Atalantæas implerat nuntius aures
 Ire ducem bello , totamque impellere natum
 Arcadiam. tremuere gradus , elapsaque juxta 310
 Tela. fugit silvas perniciose alite vento
 Saxa per & plenis obstantia flumina ripis ,
 Qualis erat , correpta sinu , & vertice flavum
 Crinem sparsa noto. raptis velut aspera natis
 Prædatoris equi sequitur vestigia tigris. 315
 Ut stetit , adversisque impegit pectora frenis :
 (Ille ad humum pallens) Unde hæc furibunda cupido ,

Nate , tibi ? teneroque unde improba pectora virtus ?

Tu bellis aptare viros ? tu pondera ferre

320

Martis , & ensiferas inter potes ire catervas ?

Quanquam utinam vires ! nuper te pallida vidi ,

Dum premis obnixo venabula cominus apro ,

Poplite succiduo resupinum ac pæne ruentem :

Et ni curvato torquissem spicula cornu ,

325

Nunc ubi bella tibi ? nil te mea tela juvabunt ,

Nec teretes arcus , maculis nec discolor atris

Hic , cui fidis , equus magnis conatibus instas ,

Vix Dryadum thalamis , Erymanthiadumque furori

Nympharum mature puer. sunt omina vera.

330

Mirabar cur templa mihi tremuisse Diana

Nuper , & inferior vultu Dea visa , sacrificisque

Exuviae cecidere tholis . hinc segnior arcus ,

Difficilesque manus , & nullo in vulnere certæ.

Exspecta , dum major honos , dum firmius ævum ,

335

Dum roseis venit umbra genis , vultusque recedunt

Ore mei : tunc bella tibi , ferrumque , quod ardes ,

Ipsa dabo , & nullo matri revocabere fletu.

Nunc refer arma domum . vos autem hunc ire sineis ,

Arcades ? o saxis nimirum , & robore nati !

340

Plura cupit . fusi circum natusque , ducesque

Solantur , minuuntque metus , & jam horrida clangunt

Signia tubæ . nequit illa pio dimittere natum

Complexu , multumque duci commendat Adrasto.

At parte ex alia Cadmi Mavortia plebes ,

345

Moesta ducis furiis , nec belli territa fama ,

(Quando his vulgatum descendere viribus Argos)

Tardius illa quidem , regis , causæque pudore ,

Verum bella movet. nulli distingere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clausisse paterno 350
Dulce, nec alipedum juga comere, qualia belli
Gaudia: dejedi trepidas sine mente, sine ira,
Promisere manus. hic ægra in sorte parentem
Unanimum, hic dulces primævæ conjugis annos
Ingemit, & gremio miseros accrescere natos. 355
Bellator nulli caluit Deus: ipsa vetusto
Moenia lassa situ, magnæque Amphionis arces,
Jam fessum senio nudant latus, & fide sacra
Æquatos coelo, surdum, atque ignobile, muros
Firmat opus. tamen & Bœotis urbibus ultrix 360
Aspirat ferri rabies, nec regis iniqui
Subsidio, quantum socia pro gente moventur.
Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie gravis, hirtaque fetis
Ora cruentata deformis hiantia lana, 365
Decedit stabulis, hic, illuc turbida versans
Lumina, si duri comperta clade sequantur
Pastores, magnique fugit non inscius austi.
Accumulat crebros turbatrix fama pavores.
Hic jam dispersos errare Asopide ripa 370
Lernæos equites: hic te, bacchate Cithæron,
Ille rapi Theumeson, ait, noctisque per umbras
Nuntiat excubiis vigiles arfisse Plateas.
Nam Tyrios sudasse lares, & sanguine Dircen
Irriguam, foetusque novos, iterumque locutam 375
Sphynga petris, cui non & scire licentia passim,
Et vidisse fuit? novus his super anxia turbat
Corda metus. sparvis subito correpta canistris

Silvestris regina chori , decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio , tristisque huc tristis , & illuc , 380
Lumine sanguineo pinum dejectat , & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus urbem :
Omnipotens Nisæe pater , cui gentis avitæ
Pridem lapsus amor , tu nunc horrente sub arcto
Bellica ferrato rapidus quatris Istmara thyro , 385
Pampineumque jubes nemus irreptare Lycurgo ,
Aut tumidum Gangen , aut claustra novissima rubræ
Tethyos , Eoasque domos flagrante triumpho
Perfuris , aut Hermi de fontibus aureus exis .
At tua progenies , positis gentilibus armis 390
Quæ tibi festa litat , bellum , lacrimasque , metumque ,
Cognatumque nefas , injusti munera regni ,
Pendimus . æternis potius me , Bacche , pruinis
Trans & Amazonis ululatum Caucason armis ,
Siste ferens , quam monstra ducum stirpemque profanam 395
Eloquar . en urges : alium tibi , Bacche , furorem
Juravi . similes video concurrere tauros :
Idem ambobus honos , unusque ab origine sanguis :
Ardua collatis obnixi cornua miscent
Frontibus , alternaque truces moriuntur in ira . 400
Tu peior , tu cede nocens , qui solus avita
Gramina , communemque petis defendere montem .
Ah miseri morum ! bellatis sanguine tanto ,
Et saltus dux alter habet . sic fata gelatis
Vultibus , & Bacco jam demigrante quievit . 405
At trepidus monstro , & variis terroribus impar ,
Longævi rex vatis opem , tenebrasque sagaces
Tiresias (qui mos incerta paventibus) æger

Consulit ille Deos non larga cæde juvencūm,
 Non alaci penna, aut verum spirantibus extis, 410
 Nec tripose implicito, numerisque sequentibus astra,
 Turea nec supra volitante altaria fumo,
 Tam penitus, duræ quam mortis limite manes
 Elicitos patuisse, refert, Lethæaque sacra.
 Et mersum Ismeni subter confinia ponto 415
 Miscentis, parat ante ducem circumque bidentum
 Visceribus laceris, & odori sulfuris aura,
 Graminibusque novis, & longo murmure purgat.
 Silva capax ævi, validaque incurva senecta,
 Æternum intonsæ frondis stat pervia nullis 420
 Solibus, haud illam brumæ minuere, Notusve
 Jus habet, aut Getica Boreas impactus ab Ursa.
 Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
 Horror, & exclusæ pallet mala lucis imago.
 Nec caret umbra Deo, nemori Latonia cultrix 425
 Additur, hanc piceæ, cedrique, & robore in omni
 Effictam, sanctis occultat silva tenebris.
 Hujus inaspectæ luco stridere sagittæ,
 Nocturnique canum gemitus, ubi limina patruⁱ
 Effugit, inque novæ melior reddit ora Dianaæ. 430
 Ast ubi fessa jugis, dulcesque altissima somnos
 Lux moveret, hic late jaculis circum undique fixis,
 Effusam pharetra cervicem excepta quiescit.
 Extra immane patent, tellus Mavortia, campi,
 Fœtus ager Cadmo, durus qui vomere primo 435
 Post consanguineas acies, fulcosque nocentes,
 Aufus humum versare, & putria sanguine prata
 Eruit: ingentes infelix terra tumultus

Statius.

Q

- Lucis adhuc medio , solaque in nocte par umbras
 Exspirat , nigri cum vana in proelia surgunt 440
 Terrigenæ fugit incepto tremebundus ab arvo
 Agricola , insanique domum rediere juvenci.
 Hic senior vates (Stygiis accommoda quippe
 Terra sacris , multoque placent sola pinguia tabo)
 Velleris obscuri pecudes armentaque fisti 445
 Atra monet , quæcunque gregum pulcherrima cervix
 Dicitur. ingemuit Dirce , moestusque Cithæron ,
 Et nova clamoræ stupuere silentia valles.
 Tum fera coeruleis intexit cornua fertis
 Ipse manu tractans , notæque in limine silvæ 450
 Principio largos novies tellure cavata
 Inclinat Bacchi latices , & munera verni
 Laetis , & Aetæos imbræ , suadumque cruorem
 Manibus : aggeritur , quantum bibit arida tellus.
 Trunca dehinc nemora advolvit , moestusque sacerdos 455
 Tres Hecatæ , totidemque satis Acheronte nefasto
 Virginibus jubet esse locos . tibi , rector Averni ,
 Quanquam infossus humo , superat tamen agger in auras
 Pineus . hunc juxta cumulo minor ara profundæ
 Erigitur Cereri . frondes , atque omne cupressus 460
 Intexit plorata latus . jamque ardua ferro
 Signati capita , & frugum libamine puro
 In vulnus cecidere greges . tunc innuba Manto
 Exceptum pateris prælibat sanguinem , & omnes
 Ter circum acta pyras sancti de more parentis
 Semineces fibras , & adhuc spirantia reddit 465
 Viscera : nec rapidas cunctatur frondibus atris
 Subiectare faces , atque ipse sonantia flammis

- Virgulta, & tristes crepuisse ut sensit acervos
 Tiresias (illi nam plurimus ardor anhelat 470
 Ante genas , impletque cayos vapor igneus orbes)
 Exclamat : (tremuere rogi , & vox impulit ignem)
 Tartareæ sedes , & formidabile regnum
 Mortis inexpleræ , tuque , o saevissime fratum ;
 Cui servire dati Manes , æternaque fontum 475
 Supplicia , atque imi famulatur regia mundi ;
 Solvite pulsanti loca muta , & inane severæ
 Persephones , vulgusque cava sub nocte repostum
 Elicite , & plena redeat Styga portitor alno.
 Ferte simul gressus : nec simplex Manibus esto 480
 In lucem remeare modus. tu separe cœtu
 Elysios Persei pios , virgaque potenti
 Nubilus Arcas agat. contra per crimina functis ;
 Qui plures Erebo , pluresque e sanguine Cadmi ;
 Angue ter excusso , & flagranti prævia taxo , 485
 Tisiphone , dux pande diem , nec lucis egentes
 Cerberus occursu capitum retorqueat umbras.
 Dixerat . & pariter senior , Phœbeaque virgo
 Erexere animos. illi formidine nulla ,
 (Quippe in corde Deus) solum tremor obruit ingens 490
 Edipodioniden , vatisque horrenda canentis
 Nunc humeros , nunc ille manus , & vellera pressat
 Anxius , inceptisque velit desistere sacris.
 Qualis Gaetulæ stabulantem ad confraga silvæ
 Venator longo motum clamore leonem 495
 Exspectat , firmans animum , & sudantia nisu
 Tela premens. gelat ora pavor , gressusque tremiscunt
 Quis veniat , quantusque : sed horrida signa frementis

- Accipit, & cæca metitur murmura cura.
 Atque hic Tiresias nondum adventantiibus umbris : 500
 Testor, ait, Divæ, quibus hunc saturavimus ignem,
 Lævaque convulsæ dedimus carchesia terræ,
 Jam nequeo tolerare moram. cassusne sacerdos
 Audior? an rabido jubeat si Thessala cantu
 Ibitis? & Scythicis quoties armata venenis 505
 Colchis aget, trepido pallebunt tartara motu?
 Nostri cura minor, si non attollere bustis
 Corpora, nec plenas antiquis ossibus urnas
 Egerere, & mixtos cœlique, Erebiique sub unum
 Funestare Deos libet? aut exsanguia ferro 510
 Ora sequi, aut ægras functorum carpere fibras?
 Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacæ,
 Spernite ne, moneo, & nobis sœvire facultas.
 Scimus enim & quidquid dici, noscique timetis,
 Et turbare Hecaten, ni te, Thymbræ, vererer: 515
 Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est.
 Illum sed taceo. prohibet tranquilla senectus.
 Jamque ego vos. avide subicit Phœbeia Manto:
 Audiris, genitor, vulgusque exsangue propinquat.
 Panditur Elysium Chaos, & telluris operæ 520
 Diffilit umbra capax, silvæque, & nigra patescunt
 Flumina, liventes Acheron ejectat arenas.
 Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit,
 Et Styx discretis interflua Manibus obstat.
 Ipsum pallentem folio, circumque ministras 525
 Funestorum operum Eumenides, Stygiæque severos
 Junonis thalamos, & moesta cubilia cerno.
 In speculis Mors atra sedet, dominisque silentes

Annumerat populos: major supereminet ordo.

Arbiter hos dura versat Gortynius urna,

530

Vera minis poscens, adigitque expromere vitas

Usque retro, & tandem poenarum lucra fateri.

Quid tibi monstra Erebi, Scyllas, & inane furentes

Centauros, solidoque intorta adamante gigantum

Vincula, & angustam centeni Ægæonis umbram?

535

Immo, ait, o nostræ regimen, viresque senectæ,

Ne vulgato mihi quis enim remeabile saxum,

Fallentesque lacus, Tytionque alimenta volucrum,

Et caligantem longis Ixiona gyris

Nesciat? ipse etiam, melior cum fanguis, operatas

540

Inspexi sedes, Hecate ducente, priusquam

Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem

Detulit. Argolicas magis huc appelle precando,

Thebanasque animas. alias avertere gressus

Lacte quater sparsas, mœstoque exceedere luco,

545

Nata, jube, tunc quis vultus, habitusque, quis ardor

Sanguinis affusi, gens utra superior adsit,

Dic agendum, nostramque move per singula noctem.

Jussa facit, carmenque serit, quo dissipet umbras,

Quo regat & sparsas. qualis si crimina demas

550

Colchis, & Ææo simulatrix litore Circe.

Tunc his sacrificum dictis affata parentem:

Primus sanguineo summittit inertia Cadmus

Ora lacu, juxtaque virum Cythereia proles.

Effluit amborum geminus de vertice serpens.

555

Terrigenæ comites illos, gens Martia, cingunt.

His ævi mensura dies: manus omnis in armis,

Omnis & in capulo. prohibent, obstantque, ruuntque

Q 3

- Spirantum rabie, nec tristi incumbere fulco
Cura, sed alternum cuperent haurire cruentem. 560
- Proxima natarum manus est, fletique nepotes.
Hic orbam Autonoen, & anhelam cernimus Ino
Respectantem arcus, & ad ubera dulce prementem
Pignus, & oppositis Semelen a ventre lacertis.
- Penthea jam fractis genitrix Cadmeia thyrsis, 565
Jam dimissa Deo, peccatusque adaperta cruentum
Insequitur planctu. fugit ille per avia Lethes,
Et Stygios, superosque lacus, ubi mitior illum
Flet pater, & lacerum componit corpus Echion.
- Tristem nosco Lycum, dextramque in terga reflexum 570
Æoliden, humero janctantem funus onusto.
- Nec dum ille aut habitus, aut versæ crimina formæ
Mutat Aristeo genitus: frons aspera cornu,
Tela manu, rejicitque canes in vulnus hiantes.
- Ecce antem magna subit invidiosa caterva 575
Tantalis, & tumido percenset funera lucri,
Nil dejecta malis, juvat effugisse Deorum
Numina, & insanæ plus jam permittere linguæ.
- Talia dum patri canit intemerata sacerdos,
Illius elatis tremefacta assurgere vittis
Canicies, tenuique impelli sanguine vultus. 580
- Nec jam firmanti baculo, nec virgine fida
Nititur: erectusque solo, Desiste canendo,
Nata, ait, externæ satis est mihi lucis, inertes
Discedunt nebulæ, & vultum niger exuit aer.
- Umbrisne, an supero me missus Apolline complet 585
Spiritus? en video quæcumque audita. sed ecce
Mœrent Argolici dejecto lumine manes.

- Torvus Abas, Proetusque nocens, mitisque Phoroneus,
 Truncatusque Pelops, & saevo pulvere sordens 590
 Enomaus, largis humectant imbris ora.
 Auguror hinc Thebis belli meliora. quid autem
 Hi grege condenso (quantum arma & vulnera monstrant ;
 Pugnaces animæ) nobis in sanguine multo
 Oraque, pectoraque, & falso clamore levatas 593
 Intendunt sine pace manus? rex, fallor, an hi sunt
 Quinquaginta illi? cernis Chthoniumque Chrominque,
 Phœgeaque, & nostra præsignem Mæona lauro.
 Ne sœvite, duces. nihil hic mortalibus ausum
 Credite consiliis. hos ferrea neverat annos 600
 Atropos. existis casus : bella horrida nobis ,
 Atque iterum Tydeus. dixit, vittaque ligatis
 Frondibus instantes abigit, monstratque cruentem.
 Stabat inops comitum Cocytii in litore moesto
 Laïus, immitti quem jam Deus ales Averno 605
 Reddiderat, dirumque tuens obliqua nepotem ,
 (Noscit enim vultu) non ille aut sanguinis haustus
 Cetera ceu plebes, aliumve accedit ad imbre
 Immortale odium spirans. sed prolicit ultro
 Aonius vates : Tyriæ dux inlyte Thebes , 610
 Cujus ab interitu non ulla Amphionis arces
 Vedit amica dies. o jam satis ulte cruentum
 Exitium, & multum placata minoribus umbra ,
 Quos miserande fugis? jacet ille in funere longo
 Quem premis, & junctæ sentit confinia mortis , 615
 Obsitus exhaustos pedore & sanguine vultus ,
 Ejectusque die. sors leto durior omni ,
 Crede mihi. quænam immeritum vitare nepotem

Causa tibi? confer vultum , & satiare litanti
 Sanguine , venturasque vices , & funera bellī 610
 Pande vel infensus , vel res miseratae tuorum.
 Tunc ego te optata vetitam transmittere Lethen
 Puppe dabo , placidumque pia tellure reponam ,
 Et Stygiis mandabo Deis. Mulcetur honoris
 Muneribus , tingitque genas , dehinc talia reddit : 625
 Cur tibi versanti manes , æquæve sacerdos ,
 Lectus ego angurio ? tantisque potissimum umbris
 Qui ventura loquar ? satis est meminisse priorum.
 Nostrane præclari (pudeat) consulta nepotes
 Posciris ? illum illum sacris adhibere nefasti , 630
 Qui læto fudit ense patrem , qui semet in ortus
 Vertit , & indignæ regerit sua pignora matri.
 Et nunc ille Deos , furiarumque atra fatigat
 Concilia , & nostros rogit hæc in prælia manes.
 Quod si adeo placui deflenda in tempora vates , 635
 Dicam equidem , quo me Lachesis , quo torva Megæra
 Usque sinunt. bellum in numero venit undique bellum
 Agmine , Lernæoque trahit fatalis alumnos
 Gradivus stimulis. hos terræ monstra , Deumque
 Tela manent , pulchrique obitus , & ab igne supremo 640
 Sontes lege moræ. certa est victoria Thebis ,
 Ne trepida , nec regna ferox germanus habebit.
 Sed furiae , geminumque nefas , miserosque per enses
 (Hei mihi) crudelis vincet pater. Hæc ubi fatus ,
 Labitur , & flexa dubios ambage reliquit. 645
 Interea gelidam Nemeen , & conscia laudis
 Herculeæ dumeta , vaga legione tenebant
 Inachidæ. jam Sidonias avertere prædas ,

Sternere, ferre domos ardent, instantque. Quis iras
 Flexerit, unde moræ, medius quis euntibus error, 650
 Phœbe, doce: nos rara manent exordia famæ.
 Marcidus edomito bellum referebat ab Hæmo
 Liber, ibi armiferos geminæ jam sidere brumæ.
 Orgia ferre Getas, canumque virescere dorso
 Othrym, & Icaria Rhodopen assueverat umbra, 655
 Et jam pampineos materna ad moenia currus
 Promovet: effrenæ dextra lœvaque sequuntur
 Lynxes, & uda mero lambunt retinacula tigres.
 Post exultantes spolia armentalia portant
 Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas. 660
 Nec comitatus iners, sunt illic Ira, Furorque,
 Et Metus, & Virtus, & nunquam sobrius Ardor;
 Succiduique gradus, & castra simillima regi.
 Isque ubi pulvrea Nemeen effervere nube
 Conspicit, & solem radiis ignescere ferri, 665
 Nec dum compositas belli in certamina Thebas:
 Concussus visis, quanquam ore & pectore marcat;
 Æraque tympanaque, & biforem reticere tumultum
 Imperat, attonitas qui circum plurimus aures.
 Atque ita: Me manus ista, meamque excindere gentem 670
 Apparat: & longe recalet furor: hoc mihi sœvum
 Argos, & indomitæ bellum ciet ira novercæ.
 Usque adeone parum cineri data mater iniquo?
 Natalesque rogi? quæque ipse micantia sensi
 Fulgura? reliquias etiam, fusæque sepulcrum 675
 Pellicis, & residem ferro petit improba Theben.
 Neqtam fraude moras: illum, illum tendite campum,
 Tendite, io, comites. Hyrcana ad signa jugales

- Intumuere jubes , dicto prius adstitit arvis.
 Tempus erat , medii cum solem in culmina mundi 680
 Tollit anhela dies , ubi tardus hiantibus arvis
 Stat vapor , atque omnes admittunt æthera luci.
 Undarum vocat ille Deas , mediisque silentum
 Incipit : Agrestes fluviorum numina Nymphæ ,
 Et nostri pars magna gregis , perferte laborem ; 685
 Quem damus. Argolicos paulum mihi fontibus amnes ,
 Stagnaque , & errantes obducite pulvere rivos.
 Præcipius Nemees , qua nostra in mœnia bellis
 Nunc iter , ex alto fugiat liquor , adjuvat ipse
 Phœbus ad hoc summo (cesset ni vœstra voluntas) 690
 Limite : vim coëptis indulgent astra , meaque
 Æstifer Erigones spumat canis. ite volentes ,
 Ite in operata soli , post vos ego gurgite pleno
 Eliciam , & quæ dona meis amplissima sacris
 Vester habebit honos : nocturnaque furtæ licentum 695
 Cornipedum , & cupidas Faunorum arcebo rapinas.
 Dixerat. ast illis tenuior percurrere visus
 Ora situs , viridisque comis exhorruit humor.
 Protinus Inachios haurit sitis ignea campos.
 Diffugere undæ : squallent fontesque , lacusque , 700
 Et cava ferventi durescunt flumina limo.
 Ægra solo macies , tenerique in origine culmi
 Inclinata seges. deceptum margine ripæ
 Stat pecus , atque amnes quærunt armenta natatos.
 Sic ubi se magnis refluxus suppressit in antris 705
 Nilus , & Eoæ liquefientia pabula brumæ
 Ore premit , fumant desertæ gurgite valles ,
 Et patris undosi sonitus exspectat hiulca

- Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
 Donet agris, magnumque inducat messibus annum. 710
 Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, & ingens
 Inachus, adverrensque natantia saxa Charadrus;
 Et nunquam in ripis audax Erasinus, & æquus
 Fluctibus Asterion: ille alta per avia notus
 Audiri, & longe pastorum rumpere somnos. 715
 Una tamen tacitas (sed jussu numinis) undas,
 Hæc quoque secreta, nutrit Langia, sub umbra
 Nondum illi raptus dederat lacrimabile nomen
 Archemorus, nec fama Deæ; tamen avia servat
 Et nemus, & fluvium: manet ingens gloria nympham, 720
 Cum tristem Hypsylen ducibus sudatus Achæis
 Ludus, & atra sacrum recolit trieteris Ophelten.
 Ergo, nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
 Thoracum nexus (tantum fitis horrida torquet)
 Sufficiunt. non ora modo, angustisque perusti
 Faucibus, interior sed vis quatit: aspera pulsu 725
 Corda: gelant venæ, & siccis crux æger adhæret
 Visceribus. tunc sole putris, tunc pulvere tellus
 Exhalat calidam nubem. non spumeus imber
 Manat equum: siccis illidunt ora lupatis,
 Ora catenatas procul exsertantia linguas;
 Nec legem dominosve pati, sed perfurit arvis
 Flammatum pecus. huc illuc impellit Adrastrus
 Exploratores, si stagna Lycimnia restent,
 Si quis Amymones superet liquor. omnia cæcis 730
 Ignibus hausta sedent; nec spes humentis Olympi:
 Ceu flavam Libyen desertaque pulveris Afri
 Colluscent, nullaque umbratam nube Syenen.

Tandem inter silvas (sic Evius ipse parabat)
 Errantes , subitam pulchro in mœrore tuentur
 Hypsylen. illi quamvis & ab ubere Opheltes
 Non fuus , Inachii proles infasta Lycurgi
 Dependet , neglecta comam , nec dives amictu ;
 Regales tamen ore notæ , nec mersus acerbis
 Exstat honos. tunc hæc adeo stupefactus Adrastrus : 740
 Diva potens nemorum , (nam te vultusque pudor que
 Mortali de stirpe negant) quæ læta sub isto
 Igne poli quæris aquas , succurre propinquis
 Gentibus : arcitenens seu te Latonia casto
 De grege transmisit thalamis , seu lapsus ab astris 745
 Non humilis fœcundat amor (neque enim ipse Deorum
 Arbiter , Argolidum thalamis novus) aspice mœsta
 Agmina . nos ferro meritas exscindere Thebas
 Mens tulit : imbelli sed nunc sitis anxia fato ,
 Summittitque animos , & inertia robora carpit. 750
 Da fessis in rebus opem , seu turbidus amnis ,
 Seu tibi foeda palus . nihil hac in forte pudendum ,
 Nil humile est . tu nunc ventis , pluvioque rogaris
 Pro Jove : tu refugas vires , & pectora bello
 Exanimata reple . sic hoc tibi fidere dextro
 Crescat onus . tantum reduces det flectere gressus
 Juppiter , o quanta belli donabere præda !
 Dircæos tibi Diva greges , numerumque rependam
 Plebis , & hic magna lucus signabitur ara.
 Dixit , & orantis media inter anhelitus ardens 760
 Verba rapit , cursuque animæ labat arida lingua.
 Idem omnes pallorque viros , flatusque soluti
 Oris habet . reddit demissò Lemnia vultu :

- Diva quidem vobis, & si coelestis origo est,
Unde ego? mortales utinam haud transgressa fuisssem 770
Luſtibus! altricem mandati cernitis orbam
Pignoris: at nostris an quis sinus, uberaque ulla,
Scit Deus. & nobis regnum tamen, & pater ingens.
Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror undis?
Mecum age nunc: si forte vado Langia perennes 775
Servat aquas. solet & rapidi sub limite cancri
Semper, & Icarii quamvis juba fulgeret astri,
Ire tamen. simul hærentem, ne tarda Pelasgis
Dux foret, ah miserum vicino cespite alumnum
(Sic Parcae voluere) locat, ponitque negantem 780
Floribus aggestis, & amico murmure dulces
Solatur lacrimas. qualis Berecynthia mater,
Dum circa parvum jubet exsultare Tonantem
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide. 785
At puer in gremio vernæ telluris, & alto
Gramine, nunc faciles sternit procurabis herbas
In vultum nitens: caram modo lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illustantia labris, 790
Miratur nemorum strepitus, aut obvia carpit,
Aut patulo trahit ore diem: nemorisque malorum
Inſcius, & vitæ multum securus inerrat.
Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
Vertice Mænilio, talis per litora reptans
Improbus Ortygiæ latus inclinabat Apollo. 795
Illi per dumos, & opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arcta plebe sequuntur,

Præcelerantque ducem. medium subit illa per agmen
 Non humili festina modo. jamque amne propinquo 800
 Rauca sonat vallis , saxosumque impulit aures
 Murmur. ibi exultans conclamat ab agmine primo ;
 Sicut erat , levibus tollens vexilla maniplis
 Argus , Aquæ. longusque virum super ora cucurrit
 Clamor , Aquæ. sic Ambracii per litora ponti 805
 Nauticus in remis juvenum monstrante magistro
 Fit sonus , inque vicem contra percussa reclamat
 Terra , salutatus cum Leucada pandit Apollo.
 Incubuere vadis passim discriminé nullo
 Turba simul , primique : nequit secernere mixtos 810
 Æqua fitis. frenata suis in curribus intrant
 Armenta , & pleni dominis , armisque feruntur
 Quadrupedes. hos turbo rapax , hos lubrica fallunt
 Saxa : nec implicitos fluvio reverentia reges
 Proterere , aut mersisse vado clamantis amici 815
 Ora. fremunt undæ , longusque a fontibus amnis
 Diripitur , modo lene virens , & gurgite puro
 Perspicuus , nunc sordet aquis egestus ab imo
 Alveus. inde toros riparum , & proruta turbant
 Gramina. jam crassius coenoque & pulvere torreas ; 820
 Quanquam expleta fitis , bibitur tamen. agmina bello
 Decertare putas , justumque in gurgite Martem
 Perfurere , & captam tolli viatoribus urbem.
 Atque aliquis regum medio circumfluus amni :
 Silvarum , Nemee , longe regina virentum ,
 Lecta Jovi sedes , quam nunc , non Herculis actis 825
 Dura magis , rabidi cum colla minantia monstri
 Angerer , & tumidos animam angustaret in artus :

Hac sœuisse tenuis popularum incepta tuorum
Sufficiat: tuque o cunctis insuete domari 830
Solibus, æternæ largitor corniger undæ,
Lætus eas; quacunque domo gelida ora resolvis
Immortale tumens. neque enim tibi cana repostas
Bruma nives, raptasque alio de fonte refundit
Arcus aquas; gravidive indulgent nubila Cori:
Sed tuus, & nulli ruis expugnabilis astro. 835
Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus uterque,
Sperchiusque minax, centaureusque Lycormas
Præstiterint. tu pace mihi, tu nube sub ipsa
Armorum, festasque super celebrabere mensas.
Ab Jove primus honos. bellis modo lætys ovantes
Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas
Flumina, defensasque velis agnoscere turmas.

P. PAPINII STATII
 THEBAIDOS
 LIBER V.

PULSA sitis fluvio, populataque gurgitis alveum
 Agmina linquebant ripas, amnemque minorem :
 Acrior & campum sonipes rapit, & pedes arva
 Implet ovans. rediere viris animique, minæque,
 Votaque, sanguineis mixtum ceu fontibus ignem
 Haussissent belli, magnisque in pœlia mentes.
 Dispositi in turmas rursus, legemque severi
 Ordinis, ut cuique ante locus, ductorque, monentur
 Instaurare vias. tellus jam pulvere primo
 Crescit, & armorum transmittunt fulgura silvæ.
 Qualia trans Pontum Phariis defensa serenis
 Ranca Parætonio decedunt agmina Nilo ,
 Cum fera ponit hiems. illæ clangore fugaci
 Umbra fretis, arvisque volant: sonat avius æther.
 Jam Borean imbresque pati, jam nare solutis
 Amnibus, & nudo juvat æstivare sub Hæmo.
 Hic rursus simili procerum vallante corona
 Dux Talaionides, antiqua ut forte sub orno

5


10

15

Stabat, & admoti nixus Polynicis in hastam :
 At tamen , o quæcumque es , ait , cui gloria tanta 20
 Venimus innumeræ fatum debere cohortes ,
 Quem non ipse Deum sator aspernetur honorem ,
 Dic age (quando tuis alacres adsistimus undis)
 Quæ domus , aut tellus , animam quibus hauseris astris ?
 Dic quis & ille pater ? neque enim tibi numina longe , 25
 Transferit fortuna licet : majorque per ora
 Sanguis , & afflito spirat reverentia vultu .
 Ingemit , & paulum fletu cunctata modesto
 Lemnias orsa refert : Immania vulnera , rector ;
 Integrare jubes , Furias , & Lemnon , & arctis 30
 Arma inserta toris , debellatosque pudendo
 Euse mares . redit ecce nefas , & frigida cordi
 Eumenis . o miseræ , quibus hic furor additus ! o nox !
 O pater ! illa ego sum (pudeat ne forte benignæ
 Hospitis) illa , duces , raptum quæ sola parentem 35
 Occului . quid longa malis exordia neco ?
 Et vos arma vocant , magnique in corde paratus .
 Hoc memorasse sat est ; claro generata Thoante ,
 Servitium Hypsipyle vestri fero capta Lycurgi .
 Advertere animos , majorque , & honora videri 40
 Parque operi tanto . cunctis tunc noscere casus .
 Ortus amor : pater ante alios hortatur Adraustus .
 Immo age , dum primi longe damus agmina vulgi ,
 Nec facilis Nemee latas evolvere vires ,
 Quippe obtenta comis , & ineluctabilis umbra ; 45
 Pande nefas , landesque tuas , gemitusque tuorum ,
 Unde hos advenias regno dejecta labores .
 Dulce loqui miseris , veteresque reducere questus .

Statius.

R



Incipit: *Ægæo premitur circumflua Nero*
*Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab *Ætna** 50
Mulciber. ingenti tellurem proximus umbra
Vestit Athos, nemorumque obscurat imagine pontum.
Thraces arant contra. Thracum fatalia nobis
Litora, & inde nefas. florebat dives alumnis
Terra, nec illa Samo fama, Delove sonanti 55
*Pejor, & innumeris quas spumifer affilit *Ægon*.*
Dis visum turbare domos. nec pectora culpa
Nostra vacant. nullos Veneri sacravimus ignes:
Nulla Deæ sedes. movet & cœlestia quandam
Corda dolor, lentoque irrepunt agmine poenæ. 60
Illa Paphon veterem, centumque altaria linquens
Nec vultu, nec crine prior, solvisse jugalem
Ceston, & Idalias procul ablegasse volucres
Fertur. erant certe, media quæ noctis in umbra
Divam altos ignes, majoraque tela gerentem, 65
Tartareas inter, thalamis, volitasse sorores
Vulgarent. utque implicitis arcana domorum
Anguibus, & sæva formidine cuncta replevit
Limina, nec fidi populum miserata mariti;
Protinus a Lemno teneri fugiſtis Amores: 70
Motus Hymen, versæque faces, & frigida justi
Cura tori. nullæ redeunt in gaudia noctes,
Nullus in amplexu sopor est. odia aspera ubique,
Et Furor, & medio recubat Discordia lecto.
Cura viris tumidos adversa Thracas in ora 75
Eruere, & sævam bellando frangere gentem.
Cumque domus contra, stantesque in litore nati,
Dulcius Edonas hiemes, Arctonque frementem

- Excipere , aut tandem tacita post prælia nocte
 Fractorum subitas torrentum audire ruinas. 80
- Illæ autem tristes (nam me tunc libera curis
 Virginitas , annique tegunt) sub mole , dieque
 Affiduis ægræ lacrimis , solantia miscent
 Colloquia , aut sœvam spectant trans æquora Thracen.
- Sol operum medius summo librabat Olympo 85
 Lucentes , ceu staret , equos : quater axe sereno
 Intonuit , quater antra Dei fumantis anhelos
 Exseruere apices : ventisque absentibus Ægon
 Motus , & ingenti percussit litora ponto :
 Cum subito horrendas ævi matura Polyno
 Tollitur in furias , thalamisque insueta relictis 90
 Evolat. infano veluti Theumeſia Thyas
 Rapta Deo , cum sacra vocant , Idæaque suadet
 Buxus , & a summis auditus montibus Evan :
 Sic erecta genas , aciemque effusa , trementi
 Sanguine , desertam rabidis clamoribus urbem 95
 Exagitat , clausisque domos , & limina pulsans ,
 Confilium vocat. infelix comitatus eunti
 Hærebant nati. atque illæ non segnius omnes
 Erumpunt teatris , summisque ad Pallados arces
 Impetus. hic propere stipamur , & ordine nullo
 Congestæ. stricto mox ense silentia jussit
 Hortatrix scelerum , & medio sic aula profari est:
 Rem summam instinctu Superum , meritiique doloris ,
 O viduæ (firmate animos & pellite sexum) 105
 Lemniades , sancire paro. si tædet inanes
 Æternum servare domos , turpemque juventæ
 Flore situm , & longis steriles in luctibus annos :

Inveni, promitto viam (nec numina defunt)
 Qua renovanda Venus. modo par insumite robur 110
 Luctibus; atque adeo primum hoc mihi noscere detur.
 Tertia canet hiems, cui connubialia vincla,
 Aut thalami secessus honos? quod conjugē pectus
 Intepuit? cuius vidit Lucina labores?
 Dicite, vel justos cuius pulsantia menses 115
 Vota tument? qua pace feras volucresque jugari
 Mos datus. heu fegnes! potuitne ultricia Graiis
 Virginibus dare tela pater, latusque dolorum,
 Sanguine securos juvenum perfundere somnos?
 At nos vulgus iners, quod si proprioribus actis 120
 Est opus, ecce animos doceat Rhodopeia conjux,
 Ulta manu thalamos, pariterque epulata marito.
 Nec vos immunis scelerum, securave cogo.
 Plena mihi domus, atque ingens, en cernite, sudor.
 Quattuor hos una, decus & solatia patris, 125
 In gremio (licet amplexu, lacrimisque morentur)
 Transadigam ferro, saniemque & vulnera fratum
 Miscebo, patremque super spirantibus addam.
 Ecqua tot in cædes animum promittit? Agebat
 Pluribus, adverso nituerunt vela profundo. 130
 Lemnia classis erat. rapuit gavisa Polyxo
 Fortunam, atque iterat: Superisne vocantibus ultro
 Desumus? ecce rates, Deus hos, Deus ulti in iras
 Apportat, coepitisque favet. nec imago quietis
 Vana meæ: nudo stabat Venus ense, videri
 Clara mihi, somnosque super. Quid perditis ævum?
 Inquit. age aversis thalamos purgate maritis. 135
 Ipsa faces alias, melioraque foedera jungam.

Dixit. & hoc ferrum stratis , hoc (credite) ferrum
 Imposuit. quin o miseræ , dum tempus agit rem , 140
 Consulite. en validis spumant eversa lacertis
 Æquora. Biftonides veniunt fortasse maritæ.
 Hinc stimuli ingentes , magnusque advolvitur astris.
 Clamor. Amazonio Scythiam fervere tumultu ,
 Lunatumque putes agmen descendere , ubi arma 145
 Indulget pater , & sævi movet ostia belli.
 Nec varius tremor , aut studia in contraria rapti
 Dissensus , ut plebe solet. furor omnibus idem ,
 Idem animus solare domos : juvenumque , senumque
 Præcipitare colos , plenisque affrangere parvos 150
 Uberibus , ferroque omnes exire per annos.
 Tunc viridis late lucus , juga celsa Minervæ
 Propter , opacat humum niger ipse , sed insuper ingens
 Mons premit , & gemina pereunt caligine soles :
 Hic sanxere fidem , tu Martia testis Enyo , 155
 Atque inferna Ceres , Stygiæque Acheronte recluso
 Ante preces venere Deæ. sed fallit ubique
 Mixta Venus : Venus arma tenet : Venus admonet iras.
 Nec de more cruor. natum Caropeia conjux
 Obtulit. accingunt sese , & mirantia ferro 160
 Pectora , congestisque avidæ simul undique dextris ,
 Perfringunt , ac dulce nefas in sanguine vivo
 Conjurant , matremque recens circumvolat umbra.
 Talia cernenti mihi quantus in offibus horror ?
 Quisve per ora color ? qualis cum cerva cruentis 165
 Circumventa lupis , nullum cui pectore molli
 Robur , & in volucri tenuis fiducia cursu ,
 Præcipitat suspensa fugam: jam jamque teneri

Credit, & elufos audit concurrere mortuis.
 Illi aderant, primis jamque offendere carinæ 170
 Litoribus, certant saltu contingere terram
 Præcipites, miseri, quos non aut horrida virtus
 Marte sub Odrysio, aut medii inclemensia ponti
 Hauserit! alta etiam Superum delubra vaporant,
 Promissasque trahunt pecudes, niger omnibus aris 175
 Ignis, & in nullis spirat Deus integer extis.
 Tardius humenti noctem dejectit Olympo
 Juppiter, & versum miti reor æthera cura
 Sustinuit, dum fata vetant: nec longius unquam
 Cessavere novæ perfecto sole tenebrae. 180
 Sera tamen mundo venerunt astra, sed illis
 Et Paros, & nemorosa Thalos, crebræque relucent
 Cyclades, una gravi penitus latet obruta cœlo
 Lemnos, in hanc tristes nebulæ, & plaga cæca superne
 Texitur, una vagis Lemnos non agnita nautis. 185
 Jam domibus fusi & nemorum per opaca sacrorum
 Ditibus indulgent epulis, vacuantque profundo
 Aurum immane mero: dum quæ per Strymona pugnæ,
 Quis Rhodope, gelidove labor sudatus in Hæmo,
 Enumerare vacat, nec non manus impia, nuptæ 190
 Serta inter, festasque dapes, quo maxima cultu
 Quæque jacent, dederat mites Cytherea suprema
 Nocte viros, longoque brevem post tempore pacem
 Nequidnam, & miseris perituro afflaverat igni.
 Conticuere chori: dapibus, ludoque licenti 195
 Fit modus, & primæ decrescunt murmura noctis,
 Cum consanguinei mixtus caligine leui
 Rore madens Stygio, morituram amplectitur urbem

- Somnus, & implacido fundit gravia otia cornu :
 Secernitque viros. vigilant nuptæque , nurusque
 In scelus , atque hilares acuunt fera tela forores. 200
- Inyalere nefas , cuncto sua regnat Erinnys
 Peftore. non aliter Scythicos armenta per agros
 Hyrcanæ clausere leæ , quas exigit ortu
 Prima fames , avidique implorant ubera nati. 205
- Quos tibi (nam dubito) scelerum de mille figuris
 Expediam casus ? Helium temeraria Gorge
 Evinctum ramis , altaque in mole tapetum
 Efflantem somno crescentia vina , superstans.
- Vulnera disjecta rimatur veste , sed illum
 Infelix sopor admota sub morte refugit.
 Turbidus , incertumque oculis vigilantibus hostem.
 Occupat amplexu , nec segnius illa tenentis
 Pone adigit costas , donec sua pectora ferro
 Tangeret. is demum sceleri modus. ora supinat 215
- Blandus adhuc , oculisque tremens & murmure Gorgem
 Quærit , & indigno non solvit brachia collo.
 Non ego nunc vulgi , quanquam crudelia , pandam
 Firmera , sed propria luctus de stirpe recordor.
 Quod te , flave Cydon , quod te per colla refusis 220
- Intactum , Crenæ , comis , (quibus ubera mecum
 Obliquumque a patre genus) fortemque , timebam
 Quem desponsa , Gyan , vidi lapsare cruentæ
 Vulnere Mirmydonis : quodque inter ferta chorosque
- Barbara ludentem fodiebat Opopea , mater ? 225
- Flet super æquævum soror exarmata Lycaste
 Cydimon : heu similes perituro in corpore vultus
 Aspiciens , floremque genæ , & quas finxerat auro .

Ipsa comas. tum sœva parens jam conjugè fuso
Adstítit, impellitque minis, atque inserit ensem.

230

Ut fera, quæ placido rabiem desueta magistro
Tardius arma movet, stimulisque, & verbere crebro
In mores negat ire suos: sic illa jacenti
Incidit, undantemque sinu collapsa cruentum
Excipit, & laceros premit in nova vulnera crimes.

235

Ut vero Alcimeden etiamnum in murmure truncos
Ferre patris vultus, & egentem sanguinis ensem
Conspexi, riguere comæ, atque in viscera savus
Horror iit. meus ille Thoas, mea dira videri

240

Dextra mihi. extemplo thalamis turbata paternis
Inferor. ille quidem dudum (quis magna tuenti
Somnus?) agit versans secum (et si lata recessit
Urbe domus) quinam strepitus? quæ murmura noctis,
Cur fremebunda quies? trepido scelus ordine pando,

245

Quis dolor, unde animi. vis nulla arcere furentes:
Hac sequere, o miserande. premunt, aderuntque moranti,
Et mecum fortasse cades. his motus, & artus

Erexit stratis. ferimus per devia vastæ

Urbis, ubi ingentem nocturnæ cædis acervum

250

Passim, ut quosque sacris crudelis vespera lucis

Straverat, occulta speculamur nube latentes.

Hic impressa toris ora, extantesque reclusis

Pectoribus capulos, magnarum & fragmina truncæ

Haftarum, & ferro laceras per corpora vestes,

Crateras pronos, epulasque in cæde natantes

255

Cernere erat, jugulisque modo torrentis aperitis

Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.

Hic juvenum manus, & nullis violabilis armis

- Turba senes. positique patrum super ora gementum
Semineces pueri , trepidas in limine vitæ 260
Singultant animas. gelida non sævius Ossa
Luxuriant Lapitharum epulæ , si quando profundo
Nubigenæ caluere mero. vix primus ab ira
Pallor , & impulsis surgunt ad prælia mensis.
Tunc primum sese trepidis sub nocte Thyoneus 265
Detexit , nato portans extrema Thoanti
Subsidia , & multa subitus cum luce refulsi.
Agnovi. non ille quidem turgentia fertis
Tempora , nec flava crinem distinxerat uva ;
Nubilus , indignumque oculis liquentibus imbre 270
Alloquitur : Dum fata dabant tibi , nate , potentem
Lemnon , & externis etiam servare timendam
Gentibus , haud unquam justo mea cura labori
Desstit. abscederunt tristes crudelia Parcæ
Stamina , nec dictis , supplex quæ plurima fudi 275
Ante Jovem frustra , lacrimisque avertere luctus
Contigit. infandum natæ concessit honorem.
Accelerate fugam. tuque o mea digna propago
Hac rege , virgo, patrem , gemini qua brachia muri
Litus eunt , illa , qua rara silentia , porta 280
Stat funesta Venus , ferroque accincta furentes
Adjuvat. (unde manus ? unde hæc Mavortia Divæ
Pectora ?) tu lato patrem committe profundo.
Succedam curis. ita fatus in aera rursus
Solvitur : & nostrum , visus arcentibus umbris , 285
Mitis iter longæ claravit limite flammæ.
Qua data signa sequor. dein curvo robore clausum
Dis pelagi , ventisque , & Cycladas Ægæoni

Amplexo , commendo patrem. nec fletibus unquam
 Sit modus alternis : ni jam dimittat Eoo 290
 Lucifer astra polo. tum demum litore rauco
 Multa metu reputans , & vix confusa Lyæo
 Dividor , ipsa gradu nitens , sed & anxia retro
 Peñora , nec requies , quin & surgentia cœlo
 Flamina , & e cunctis prospectem collibus undas. 295
 Exoritur pudibunda dies , cœlumque retexens
 Aversum Lemno juhar , & declinia Titan
 Opposita juga nube refert. patuere furores
 Nocturni , lucisque novæ formidine cunctis
 (Quanquam inter similes) habitus rubor. impia terræ 300
 Infodiunt scelera , aut festinis ignibus urunt.
 Jam manus Eumenidum , capitalesque refugerat arces
 Exsaturata Venus. licuit sentire, quid ausæ,
 Et turbare comas , & lumina tingere fletu.
 Insula dives agris , opibusque , armisque , virisque , 305
 Nota situ , & Getico nuper ditata triumpho ,
 Non maris incursu , non hoste , nec æthere lœvo ,
 Perdidit una omnes orbata , excisaque mundo
 Indigenas: non arva viri , non æquiora vertunt:
 Conticuere domus : crux altus , & oblita crasso 310
 Cuncta rubent tabo : magnæque in moenibus urbis
 Nos tantum: & fævi spirant per culmina Manes.
 Ipsa quoque arcana teſti in penetralibus alto
 Molior igne pýram : sceptrum super armaque patris
 Inicio , & notas regum gestamina vester ,
 Ac prope mœsta rogum confusis ignibus adsto 315
 Ense cruentato , fraudemque & inania busta
 Plango metu , si forte premant , cassumque parenti

Omen & hac dubios leti precor ire timores.

His mihi pro meritis, (ur falsi criminis astu 320

Parta fides) regno, & solio confidere patris

Supplicium datur. anne illis obsessa negarem?

Accessi, saepe ante Deos testata, fidemque,

Immeritasque manus. subeo (pro dira potestas!)

Exsangue imperium, & moestam sine culmine Lemnon. 325

Jam magis atque magis vigiles dolor angere sensus,

Et gemitus clari, & paulatim invisa Polyxo,

Jam meminisse nefas. jam ponere Manibus aras

Concessum, & multum cineres jurare sepultos.

Sic ubi ductorem trepidæ stabulique maritum,

Quem penes & saltus & adultæ gloria gentis,

Massylo frangi stupuere sub hoste juvencæ,

It truncum sine honore pecus, regemque peremptum

Ipse ager, ipsi amnes, & muta armenta queruntur.

Ecce autem ærata dispellens æquora prora 330

Pelias intæti late subit hospita ponti

Pinus: agunt Minyæ. geminus fragor ardua canet

Per latera, abruptam credas radicibus ire

Orygiam, aut fractum pelago decurrere montem.

Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis,

Mitior & senibus cygnis & pectine Phœbi

Vox media de puppe venit, maria ipsa carinæ

Accedunt (post nosse datum est) Æagrius illuc

Acclinis malo, mediis intersonat Orpheus

Remigiis, tantosque jubet nescire labores.

Illis in Scythicum Borean iter, ora que primum

Cyaneis arctata vadis. nos Thracia visu

Bella ratæ, vario testa incurfare tumultu,

340

345

Densarum pecudum, aut fugientum more volucrum.
 Heu ubi nunc furiæ? portus, amplexaque litus 350
 Mœnia, qua longe pelago despectus aperto,
 Scandimus, & celsas turres. huc saxa, fudeisque,
 Armaque moesta virūm, atque infectos cædibus enses
 Subvectant trepidæ. quin & squallentia texta
 Thoracum, & vulnu galeas intrare soluto 355
 Non pudet. audaces rubuit mirata catervas
 Pallas, & adverso risit Gradivus in Hæmo.
 Tunc primum ex animis præceps amentia cessit:
 Nec ratis illa fallo, sed Divūm sera per æquor
 Justitia, & poenæ scelerum adventare videntur. 360
 Jamque aderant terræ, quantum Gortynia currunt
 Spicula: cæruleo gravidam cum Juppiter imbræ
 Ipsa super nubem, ratis armamenta Pelasgæ
 Sistit agens. inde horrör aquis, & raptus ab omni
 Sole dies, miscet tenebras, quis protinus unda 365
 Concolor: obnixi lacerant cava nubila venti,
 Diripiuntque fretum: nigris redit humida tellus
 Vorticibus, totumque Notis portantibus æquor
 Pendet, & æquato jam jam prope sidera dorso
 Frangitur: incertæ jam nec prior impetus alno, 370
 Sed labat, exstantem rostris modo gurgite in imo,
 Nunc cœlo Tritona ferens. nec robora prosunt
 Semideūm heroum, puppemque insana flagellat
 Arbor: & instabili procumbens pondere curvas
 Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes. 375
 Nos quoque per rupes, murorumque aggere ab omni,
 Dum labor ille viris, fretaque indignantur, & Austræ,
 Desuper invalidis fluitantia tela lacertis

- (Quid non ausa manus?) Telamona & Pelea contra
Spargimus, & nostro petitur Tirynthius arcu. 380
- Illi quippe simul bello, pelagoque laborant.
Pars clypeis munire ratem: pars æquora fundo
Egerere: ast alii pugnant, sed inertia motu
Corpora, suspensæque carent conamine vires.
Instamus jaœtu telorum, & ferrea nimbis 385
- Certat hiems: vastæque sudes, fractique molares,
Spiculaque, & multa crinitum missile flamma,
Nunc pelago, nunc puppe cadunt. dát operta fragorem
Pinus, & abjunctis regemunt tabulata cavernis.
Talis Hyperborea virides nive verberat agros 390
- Juppiter: obruitur campis genus omne ferarum,
Deprensæque cadunt volucres, & messis amaro
Strata gelu: fragor inde jugis, inde amnibus iræ.
Ut vero elisit nubes Jove tortus ab alto
Ignis, & ingentes patuere in limine nautæ, 395
- Diriguere animi, manibusque horrore remissis
Arma aliena cadunt: redeunt in peñora sexus.
Cernimus Æacidas, murisque immane minantem
Ancæum, & longa pellentem cuspidè rupes
Iphiton. attonito manifestus in agmine supra est 400
- Amphitryoniades, puppemque alternus utrinque
Ingravat, & medias ardet descendere in undas.
At levis, & miseræ nondum mihi notus Iason
Transtra per & remos, impressaque terga virorum,
Nunc magnum Æniden, nunc ille hortatibus Idam, 405
- Et Talaum, & cana rorantem aspergine ponti
Tyndariden iterans, gelidique in nube parentis
Vela laborantem Calain subnectere malo,

Voce manuque rogit. quatunt impulsibus illi
 Nunc freta , nunc muros : sed nec spumantia cedunt 410
 Aequora , & incusæ redeunt a turribus hastæ.
 Ipse graves fluctus , clavimque audire negantem
 Lassat agens Tiphys , palletque , & plurima mutat
 Imperia , ac lævas dextrasque obtorquet in undas
 Proram , navifragis avidam concurrere saxis : 415
 Donec ab extremæ cuneo ratis , Aſone natus
 Palladios oleæ , Mopſi gestamina , ramos
 Exulit , & socium turba prohibente popofcit
 Fœdera. præcipites vocem involvere procellæ.
 Tunc modus armorum , pariterque exhausta quierant 420
 Flamina , confusoque dies respexit Olympo.
 Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
 Eminus abrupto quatunt nova litora saltu :
 Magnorum decora alta patrum , jam fronte serenî ,
 Noscendique habitu , postquam timor , iraque cessit 425
 Vultibus. arcana sic fama erumpere porta
 Cœlicolas , si quando domus , litusque rubéntum
 Aethiopum , & mensas amor est inirare minores.
 Dant fluvii montesque locum : tum terra superbit
 Gressibus , & paulum respirat cœlifer Atlas. 430
 Hic & ab aſtero nuper Marathone superbum
 Thesea & Iſmarios Aquilonia pignora fratres ,
 Utraque quis rutila stridebant tempora penna ,
 Cernimus : hic Phœbo non indignante priorem
 Admetum , & duræ similem nihil Orpheo Thracæ : 435
 Tunc prolem Calydone satam , generumque profundi
 Nereoſ. ambiguo viſu errore laceſſunt
 Ebalidæ gemini. chlamys huic , chlamys ardet & illi :

- Ambo hastile gerunt : humeros exsertus uterque ,
 Nudus uterque genas , simili coma fulgurat astro. 440
- Audet iter , magnique sequens vestigia mutat
 Herculis , & tarda quamvis se mole ferentem ,
 Vix cursu tener æquat Hylas : Lernæaque tollens
 Arma , sub ingenti gaudet sudare pharetra.
 Ergo iterum Vénus , & tacitis corda aspera flammis 445
- Lemniadum pertentat amor. tunc regia Juno
 Arma , habitusque virūm , pulchræque insignia gentis
 Mentibus insinuat , certatimque ordine cunctæ
 Hospitibus patuere fores. tunc primus in aris
 Ignis , & infandis venere oblivia curris : 450
- Tunc epulæ , felixque sopor , noctesque quietæ :
 Nec Superūm sine mente reor , placuere fatentes.
 Forfitan & nostræ fatum excusabile culpæ
 Noscere cura , duces . cinerem , furiasque meorum
 Tector , ut externas non sponte aut criminè tædas 455
- Attigerim (scit cura Deūm) et si blandus Iason
 Virginibus dare vincla novis . sua jura cruentum
 Phasin habent : alios Colchi generatis amores.
 Jamque exuta gelu tepuerunt fidera longis
 Solibus , & velox in terga revolvitur annus. 460
- Jam nova progenies , partusque in vota soluti ,
 Et non speratis Lemnos clamatur alumnis.
 Nec non ipsa tamen , thalami monumenta coacti ,
 Enitor geminos , duroque sub hospite mater
 Nomen avi renovo . nec quæ fortuna relictis 465
- Noſſe datum . jam plena quater quinquennia pergunt ,
 Si modo fata finunt , aliisque rogata Lycaſte.
 Detumuere animi maris , & clementior Auster

Vela vocat, ratis ipsa moram portusque quietos
Odit, & assueti tendit retinacula faxi.

Inde fugam Minyæ, sociosque appellat Iason
Efferus, o utinam jam tum mea litora rectis
Prætervectus aquis, cui non sua pignora cordi,
Non promissa fides. certe stat fama remotis
Gentibus, æquorei redierunt vellera Phryxi.

Ut stata lux pelago, venturumque æthera sensit
Tiphys, & occidui rubuere cubilia Phœbi:
Heu iterum gemitus, iterumque novissima nox est.
Vix referata dies; & jam rate celsus Iason

Ire jubet, primoque ferit dux verbere pontum.

Illos e scopulis, & summo vertice montis,
Spumea porrecti dirimentes terga profundi
Prosequimur visu, donec lassavit euntes

Lux oculos, longumque polo contexere vila est
Æquor, & extremi pressit freta margine cœli.

Fama subit portus, vectum trans alta Thoanta
Fraterna regnare Chio: mihi crimina nulla,
Et vacuos arsisse rogos. fremit impia plebes
Sontibus accensæ stimulis, facinusque reposcunt.

Quin etiam occultæ vulgo increbrescere voces:

Solane fida suis? nos autem in funera læta?

Non Deus hæc, satumque, quod imperat urbe nefanda.

Talibus exanimis dictis (& triste propinquat

Supplicium, nec regna juvant) vaga litora furto
Incomitata sequor, funestaque moenia linquo,

Qua fuga nota patris; sed non iterum obvius Evan:

Nam me prædonum manus huc appulsa tacentem

Arripit, & vestras famulam transmitit in oras.

470

475

480

485

490

495

- Talia Lernæis iterat dum regibus exful
Lemnias, & longa solatur damna querela, 500
Immemor absentis (sic Di fasistis) alumni:
Ille graves oculos, languentiaque ora comanti
Mergit humo, fessusque diu puerilibus actis
Labitur in somnos, prensa manus hæret in herba.
Interea campis, nemoris facer horror Achæi,
Terrigena erigitur serpens, traectuque soluto
Immanem fæse vehit, ac post terga relinquit,
Livida fax oculis: tumidi stat in ore veneni
Spuma virens, ter lingua vibrat, terna agmina adunci
Denis, & auratae crudelis gloria frontis 510
Prominet. Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & silvestribus aris
Pauper honos. nunc ille Dei circumdare templæ
Orbe vago labens, miseræ nunc robora silvæ
Atterit, & vastas tenuat complexibus ornos.
Sæpe super fluvios geminæ jacet aggere ripæ 515
Continuus, squamisque incisus adæstuat amnis.
Sed nunc Ogygii jussis quando omnis anhelat
Terra Dei, trepidæque latent in pulvere Nymphæ,
Sævior anfrauctu laterum finuosa retorquens
Terga solo, siccique nocens furit igne veneni.
Stagna per, arentesque lacus, fontesque repressos
Volvit, & vacuis fluviorum in vallibus errat:
Incertusque sui liquidum nunc aera lambit
Ore supinato, nunc arva gementia radens 525
Pronus adhæret humo, si quid viridantia fudent
Gramina, percussæ calidis afflatibus herbæ,
Qua tulit ora, cadunt, moriturque ad sibila campus.

Statius.

S

Quantus ab Artois discriminat æthera planis
 Anguis ad usque Notos, alienumque exit in orbent. 530
 Quantus & ille sacri spiris intorta movebat
 Cornua Parnassi, donec tibi, Delie, fixus
 Vexit arundineam centeno vulnere silvam.
 Quis tibi, parve, Deus tam magni pondera fati
 Sorte dedit? tune hoc vix prima ad limina vite
 Hoste jaces? an ut inde facer per secula Graiis
 Gentibus, & tanto dignus morerere sepulcro?
 Occidis extremæ destrictus verbere caudæ
 Ignaro serpente puer: fugit illicet artus
 Somnus, & in solam patuerunt lumina mortem. 540
 Cum tamen attonito moriens vagitus in auras
 Excidit, & ruptis immutuit ore querelis,
 (Qualia non totas peragunt insomnia voces,)
 Audiit Hypsipyle, facilemque negantia cursum
 Exanimis genua ægra rapit. jam certa malorum
 Mensis ab augurio, sparsoque per omnia visu
 Lustrat humum quærens, & nota vocabula parvo
 Nequidquam ingeminans. nusquam ille, & prata recentes
 Amisere notas. viridi piger accubat hostis
 Collectus gyro, spatiofaque jugera complet, 550
 Sic etiam obliqua cervicem expostus in alvo.
 Horruit infelix visu, longoque profundum
 Incendit clamore nemus: nec territus ille,
 Sed jacet. Argolicas ululatus flebilis aures
 Impulit. extemplo monitu ducis advolat ardens
 Arcas eques, causamque refert. tum squammea demum
 Torvus ad armorum radios fremitumque virorum
 Colla moyet. rapit ingenti conamine saxum,

- Quo discretus ager, vacuasque impellit in auras
 Arduus Hippomedon, quo turbine bellica quondam 560
 Librati saliunt portarum in claustra molares.
 Cassa duci virtus: nam mollia colla refusus
 In tergum serpens venientem exhauserat ictum.
 Dat sonitum tellus, nemorumque per aera densi
 Dissultant nexus. At non mea vulnera, clamat, 565
 (Et trabe fraxinea Capaneus subit obvius,) unquam
 Effugies, seu tu pavidi ferus incola luci,
 Sive Deis, utinamque Deis concessa voluptas:
 Non, si consertum super hæc mihi membra Giganta
 Subveheres. volat hasta tremens, & hiantia monstri 570
 Ora subit, linguæque secat fera vincla trifulcæ:
 Perque jubas stantes, capitisque insigne corusci
 Emicat, & nigri fanie perfusa cerebri
 Figitur alta solo. longus vix tota peregit
 Membra dolor, rapido celer ille volumine telum 575
 Circuit, avulsumque ferens in opaca refugit
 Templa Dei. hic magno tellurem pondere mensus;
 Implorantem animam dominis assibilat aris.
 Illum & cognatæ stagna indignantia Lernæ,
 Floribus & vernis assuetæ spargere Nymphæ; 580
 Et Nemees reptatus ager, lucosque per omnes
 Silvicolæ, fracta, gemuistis, arundine, Fauni.
 Ipse etiam summa jam tela poposcerat æthra
 Juppiter, & dudum nimbique hiemesque coibant,
 Ni minor ira Deo, gravioraque tela mereri 585
 Servatus Capaneus. moti tamen aura cucurrit
 Fulminis, & summas libavit vertice cristas.
 Jamque pererratis infelix Lemnia campis,

Liber ut angue locus , modico super aggere longe
 Pallida sanguineis infectas voribus herbas 590
 Prospicit. huc magno cursum rapit effera lu>
 Agnoscitque nefas : terraque illisa nocenti
 Fulminis in morem , non verba in funere primo ,
 Non lacrimas habet. ingeminat misera oscula tantum
 Incumbens , animaque fugam per membra tepentem 595
 Quærerit lians. non ora loco , non pectora restant.
 Raptia cutis , tenuia ossa parent , nexusque madentes
 Sanguinis imbre novi , rotundique in vulnere corpus.
 Ac velut aligeræ sedem , foetusque parentis
 Cum piger umbrosa populatus in ilice serpens , 600
 Illa redit , querulæque domus mirata quietem
 Stat super impendens , adve>tosque horrida mœsto
 Excutit ore cibos : cum solus in arbore cara
 Sanguis , & errantes per capta cubilia plumæ.
 Ut laceros artus gremio miseranda recepit , 605
 Intexitque comis , tandem laxata dolore
 Vox invenit iter , gemitusque in verba soluti:
 O mihi desertæ natorum dulcis imago ,
 Archemore : o rerum & patriæ solamen ademtæ ,
 Servitiique decus , qui te , mea gaudia , fontes 610
 Exsistixerit Dei? modo quem digressa reliqui
 Lascivum & prono vexantem gramina cursu?
 Heu ubi fiderei vultus ? ubi verba ligatis
 Imperfecta sonis ? risusque & murmura soli
 Intellecta mihi ? quoties tibi Lemnon , & Argo 615
 Sueta loqui , & longa somnum suadere querela?
 Sic equidem lu>stus solabar , & ubera parvo
 Jam materna dabam , cui nunc venit irritus ori

- Laetis , & infelix in vulnera liquitur imber.
 Nosco Deos. o dura mei præfagia somni , 620
 Nocturnique metus , & nunquam impune per umbras.
 Attonitæ mihi visa Venus ! quos arguo Divos ?
 Ipse ego te (quid enim timeam moritura fateri ?)
 Exposui fatis. quæ mentem insania traxit ?
 Tantane me tantæ tenuere obllvia curæ ? 625
 Dum patrios casus , famæque exorsa retracto
 Ambitiosa meæ , pietas hæc magna , fidesque !
 Exsolvi tibi , Lemne , nefas. ubi letifer anguis ,
 Ferte duces ; meriti si qua est mihi gratia duri ,
 Si quis honos dictis. aut vos exstinguite ferro , 630
 Ne tristes dominos , orbamque inimica revisam
 Eurydicen : quanquam haud illi mea cura dolendo .
 Cesserit. hocne ferens onus illætabile matris
 Transfundam gremio ? quæ me prius ima sub umbras
 Mergat humus ? simul hæc terraque , & sanguine vultum . 635
 Sordida , magnorum circa vestigia regum
 Vertitur , & tacite moerentibus imputat undas.
 Et jam sacrifici subitus per testa Lycurgi
 Nuntius implerat lacrimis ipsumque domumque ,
 Ipsum adventantem Persei vertice sancto 640
 Montis , ubi adverso dederat prolecta Tonanti ,
 Et caput iratis rediens quassabat ab extis.
 Hic se se Argolicis immunem servat ab armis
 Haud animi vacuus , sed tempa , aræque tenebant.
 Nec dum etiam responsa Deum , monitusque vetusti 645
 Exciderant , voxque ex adyiis accepta profundis ,
 Prima , Lycurge , dabis Dircæo funera bello.
 Id cavet , & mœstus vicini pulvere Marius

Angitur ad lituos, periturisque invidet armis.
 Ecce fides Superum laceras comitata Thoantis
 Advenit exsequias, contra subit obvia mater,
 Femineos coetus plangentiaque agmina ducens.
 At non magnanimo pietas ignava Lycurgo:
 Fortior ille malis, lacrimasque insana roforbet
 Ira parris, longo rapit arva morantia passu
 Vociferans; Illa autem ubinam, cui parva crux
 Lætave damna mei? vivitne? impellite raptam,
 Ferte citi comites, faxo omnis fabula Lemni,
 Et pater, & tumidæ generis mendacia sacri
 Exciderint, ibat, letumque inferre parabat
 Ense furens rapto, venienti Æneius heros
 Impiger objecta protrubat pectora parma.
 Ac simul infrendens: Siste hunc, vesane, fuorem
 Quisquis es, & pariter Capaneus, acerque redacto
 Affuit Hippomedon, rectoque Erymanthius ense,
 Ac juvenem multo perstringunt lumine, at inde
 Agrestum pro rege manus, quos inter Adrastus
 Mitior, & sociæ veritus commercia vittæ
 Amphiaraus ait: Ne quæso: absistite ferro,
 Unus avum sanguis, neve indulgete furori:
 Tuque prior, sed non sedato pectora Tydens
 Subjicit: Anne ducem, servatricemque cohortis
 Inachiæ ingratias coram tot millibus audes
 Maestare in tumulos? (quanti pro funeris ultor!)
 Cui regnum, genitorque Thoas, & lucidus Evan
 Stirpis avus, tumidone parum, quod gentibus actis
 Undique in arma ruis, inter rapida agmina pacem
 Solus habes? habeasque, & te victoria Graium

- Inveniat tumulis etiamnum hæc fata gementem.
 Dixerat. & tandem cunctante modestior ira 680
 Ille refert: Evidem non vos ad moenia Thebes
 Rebar, & hostiles hoc advenisse catervas.
 Pergite in excidium socii (si tanta voluptas)
 Sanguinis, imbuite arma domi, atque hæc irrita dudum
 Templa Jovis (quid enim haud licitum?) ferat impius ignis,
 Si vilem, tanti premerent cum pectora luctus, (685)
 In famulam jus esse ratus, dominoque, ducique.
 Sed videt hoc, videt ille Deum regnator, & ausis
 Sera quidem, manet ira tamen. Sic fatus, & arcus
 Respicit, atque illuc alio certamine belli 690
 Testa fremunt, volucres equitum præverterat alas
 Fama recens, geminos alis amplexa tumultus.
 Illi ad fata rapi, atque illi jam occumbere leto,
 Sic meritam Hypsylen iterant: creduntque, nec iræ
 Fit mora, jamque faces, & tela penatibus instant. 695
 Vertere regna fremunt, raptumque auferre Lycurgum,
 Cum Jove, cum aris, resonant ululatibus ædes
 Femineis, versusque dolor dat terga timori.
 Alipedum curru sed enim sublimis Adrastrus
 Secum ante ora virum fremebunda, Thoantida portans 700
 It medius turmis, &c., Parcite, parcite, clamat.
 Nil actum sœve: meritus nec tale Lycurgus
 Excidium, gratique inventrix fluminis ecce.
 Sic ubi diversis maria evertere procellis
 Hinc Boreas, Eurysque, illinc niger imbribus Auster; 705
 Pulsa dies, regnantque hiemes, venit æquoris alti
 Rex sublimis equis, geminusque ad spuma Triton
 Frena natans, late pelago dat signa cadenti:

Et jam plana Thetis , montesque , & litora crescunt.

Quis Superum tanto solatus funera voto

710

Pensavit lacrimas ? inopinaque gaudia mœstæ

Rettulit Hypsipylæ ? tu gentis conditor , Evan ,

Qui geminos juvenes Lemni de litore vectos

Intuleras Nemeæ , mirandaque fata parabas.

Causa viæ genitrix , nec inhospita tecta Lycurgi

715

Præbuerant aditus , & protinus ille tyranno

Nuntius, extinctæ miserando vulnere prolis.

Ergo adsunt comites (pro fors , & cæca futuri

Mens hominum !) regique favent. sed Lemnos ad aures

Ut primum , dictusque Thoas ; per tela , manusque

720

Irruerunt , matremque avidis complexibus ambo

Diripiunt flentes , alternaque pectora mutant.

Illa velut rupes immoto saxea visu

Hæret , & expertis non audet credere Divis.

Ut vero & vultus , & signa Argoa relictis

725

Ensibus , atque humeris amborum intextus Iason ;

Cesserunt luctus , turbataque munere tanto

Corruit , atque alio maduerunt lumina fletu.

Addita signa polo , lætoque ululante tumultu

Tergaque , & æra Dei motas crepuere per auras.

730

Tunc pius Æclides , ut prima silentia vulgi

Mollior ira dedit , placidasque acceffit ad aures :

Audite , o ductor Nemeæ , lectique potentes

Inachidæ , quæ certus agi manifestat Apollo.

Iste quidem Argolicis haud olim indebitus armis

735

Luctus adeft. recto descendunt limite Parcæ.

Et fitis interitu fluviorum , & letifer anguis ,

Et puer , heu nostri signatus nomine fati ,

Archemorus : cuncta hæc Superum demissa suprema

Mente fluunt. differte animos , festinaque tela

740

Ponite. mansuris donandus honoribus infans.

Et meruit. det pulchra suis libamina virtus

Manibus , atque utinam plures innectere pergas ,

Phoebe , moras , semperque novis bellare vetemur

Casibus , & semper Thebe funesta recedat.

745

At vos magnorum transgressi fata parentum

Felices , longum quibus hinc per secula nomen ,

Dum Lernæa palus , & dum pater Inachus ibit ,

Dum Nemee tremulas campis jaculabitur umbras ;

Ne fletu violate sacrum , ne plangite Divos :

750

Nam Deus iste , Deus ; Pyliæ nec fata senectæ

Maluerit , Phrygiis aut degere longius annis.

Finierat , cœloque cavam nox induit umbram.



P. PAPINII STATII
 THEBAIDOS
 LIBER VI.

NUNTIA multivago Danaas perlabitur urbes
 Fama gradu, sancire novo solennia busto
 Inachidas, ludumque super, quo Martia bellis
 Præfudare paret. feseque accendere virtus.
 Grajum ex more decus. primus Pisaea per arva
 Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
 Pulvereumque fera crinem deterfit oliva.
 Proxima vipereo celebravit libera nexu
 Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
 Mox circum tristes servata Palæmonis aras
 Nigra supersticio, quoties animosa resumit
 Leucothoe gemitus, & amica ad litora festa
 Tempestate venit. planctu conclamat uterque
 Isthmos, Echioniæ responsant flebile Thebæ:
 Et nunc eximii regum, quibus Argos alumnis
 Connexum cœlo, quorumque ingentia tellus
 Aonis & Tyriæ suspirant nomina matres,
 Concurrunt, nudasque movent in pœlia vires.

Ceu primum ausuræ trans alta ignota biremes,
 Seu Tyrrenam hiemem, seu stagna Ægæa laceſſunt, 20
 Tranquillo prius arma lacu, clavumque, levesque
 Explorant remos, atque ipsa pericula diſcunt.
 At cum experta cohors: tum pontum irrumpere fretæ
 Longius, ereptasque oculis non quærere terras.
 Clara laboriferos cœlo Tithonia currus 25
 Extulerat, vigilesque Deæ pallentis habenas
 Et nox, & cornu fugiebat Somnus inani.
 Jam plangore viæ, gemitu jam regia mugit
 Flebilis: acceptos longe nemora avia frangunt;
 Multiplicantque ſonos, fedet ipſe exutus honoro
 Vittarum nexu genitor, ſqualentiaque ora 30
 Sparsus, & incultam ferali pulvere barbam.
 Asperior contra, planctusque egressa viriles
 Exemplo famulas premit, hortaturque volentes
 Orba parens, lacerasque ſuper procumbere natu
 Relliquis arder, totiesque avulſa refertur: 35
 Arcet & ipſe pater, mox ut moerentia dignis
 Vultibus Inachii penetrarunt limina reges,
 Ceu nova tunc clades, & primo fauicius infans
 Vulnere, letalisve irrumperet atria serpens:
 Sic alium ex alio, quanquam laſſata, fragorem 40
 Pectora congeſinant, integratoque reſtant
 Accensæ clamore fores, ſenſere Pelasgi
 Invidiam, & lacrimis excuſant crimen obortis.
 Ipſe, datum quoties, intercisoque tumultu
 Conticuit stupefacta domus, ſolatur Adraſtus 45
 Alloquiis genitorem ultro: nunc fata recensens
 Reſque hominum duras, & inexorable penſum;

Nunc aliam prolem , mansuraque numine dextro
 Pignora. nondum orsis modus , & lamenta redibant. 50
 Ille quoque affatus non mollius audit amicos ,
 Quam trucis Ionii rabies clamantia ponto
 Vota virûm , aut tenues curant vaga fulmina nimbos.
 Tristibus interea ramis , teneraque cupresso
 Damnatus flammæ torus , & puerile pheretrum 55
 Texitur: ima virent agresti stramina cultu.
 Proxima gramineis operosior area fertis ,
 Et picturatus morituris floribus agger.
 Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo
 Eoas complexus opes , incanaque glebis 60
 Tura , & ab antiquo durantia cinnama Belo.
 Summa crepant auro , Tyrioque attollitur ostro
 Molle supercillum : teretes hoc undique gemmæ
 Irradiant , medio Linus intertextus acantho ,
 Letiferique canes. opus admirabile semper 65
 Oderat , atque oculos flebant ab omni mater.
 Arma etiam , & veterum exuvias circumdat avorum
 Gloria mixta malis , afflictæque ambitus aulæ ,
 Ceu grande exsequiis onus , atque immensa ferantur
 Membra toro : sed cassa tamen sterilisque dolentes 70
 Fama juvat , parviisque augescunt munere manes.
 Inde ingens lacrimis honor , & miseranda voluptas ,
 Muneraque in cineres annis graviora feruntur.
 Namque illi & pharetras , brevioraque tela dicarat
 Festinus voti pater , insontesque sagittas. 75
 Jam tunc & nota stabulis de gente probatos
 In nomen pascebat equos , cinctusque sonantes ,
 Armaque maiores exspectatura lacertos.

- Spes avidæ! quas non in nomen credula veste
Urgebat studio? cultusque insignia regni 80
Purpureos, sceptrumque minus? cuncta ignibus atris
Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina ferri,
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.
Parte alia gnari monitis exercitus instat
Auguris, aeriam truncis nemorumque ruina 85
Montis onus cumulare pyram; quæ crimina cæsi
Anguis, & infausti cremet atra piacula belli.
His labor accisam Nemeen, umbrosaque Tempe
Præcipitare solo, lucosque ostendere Phœbo.
Sternitur extemplo vétéres incidua ferro 90
Silva comas, largæ qua non opulentior umbræ
Argolicos inter saltusque educta Lycæos
Extulerat super astra caput. stat sacra senectæ
Numine, nec folos hominum transgressa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes,
Faunorumque greges. aderat miserabile Iuco 95
Excidium. fugere feræ, nidosque tepentes
Absiliunt (metus urget) aves. cadit ardua fagus:
Chaoniumque nemus, brumæque illæsa cupressus,
Procumbunt piceæ, flammis alimenta supremis,
Ornique, iliceæque trabes, metuendaque succo 100
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque situ non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonsa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus ulmus. 105
Dat gemitum tellus. non sic eversa feruntur
Ismara, cum fracto Boreas caput extulit antro.

Non grassante Noto citius nocturna peregit
 Flamma nemus. linquunt flentes dilecta locorum 110
 Otia, cana Pales, Silvanusque arbiter umbræ,
 Semideumque pecus. migrantibus adgemit illis
 Silva, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.
 Ut cum possessas avidis victoribus arces
 Dux raptare dedit, vix signa audita, nec urbem 115
 Invenias: ducunt, sternuntque, abiguntque, feruntque
 Immodici: minor ille fragor, quo bella geruntur.
 Jamque pari cumulo geminas hanc tristibus Umbris,
 Ast illam Superis æquis labor auxerat aras,
 Cum signum luctus cornu grave mugit adunco 120
 Tibia, cui teneros suetum producere Manes
 Lege Phrygum moesta. Pelopem monstrasse ferebant
 Exsequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
 Utile, quo geminis Niobe consumpta phareris
 Squallida bissenas Sipylon deduxerat urnas. 125
 Portant inferias, arsuraque fercula primi
 Graiorum, titulisque pios testantur honores
 Gentis quisque suæ. longo post tempore surgit
 Colla super juvenum (numero dux legerat omni)
 Ipse fero clamore torus. cinxere Lycurgum 130
 Lernæi proceres, genitricem mollior ambit
 Turba, nec Hypsipyle raro subit agmine: vallant
 Inachidæ memores, sustentant livida nati
 Brachia, & inventæ concedunt plangere matri.
 Illic infaustos ut primum egressa penates
 Eurydice, nudo vocem de pectore rumpit, 135
 Planctuque, & longis præfata ululatibus infit:
 Non hoc Argolidum coetu circumdata matrum

Speravi te , nate , sequi , nec talia demens
 Fingebam votis annorum elementa tuorum , 140
 Nil sœvum reputans : etenim his in finibus ævi
 Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem ?
 Cui Superum nostro committere sanguine pugnas
 Dulce ? quis hoc armis vovit scelus ? at tua nondum ,
 Cadme , domus , nullus Tyro grege plangitur infans . 145
 Primitias egomet lacrimarum , & cædis acerbæ
 Ante tubas ferrumque tuli , dum deside cura
 Credo sinus fidos altricis , & ubera mando .
 Quidni ego ? narrabat servatum fraude parentem ,
 Insontesque manus . en ! quam ferale putemus . 150
 Abjurasse sacrum , & Lemni gentilibus unam
 Immunem furii . hæc illa , & creditis ausæ ?
 Hæc pietate potens ? solis abjecit in arvis
 Non regem , dominumve ; alienos impia partus .
 Hoc tantum , silvaeque infamis tramite liquit , 155
 Quem non anguis atrox (quid enim hac opus , hei mihi , leti
 Mole fuit ?) tantum coeli violentior aura ,
 Impulsæque Noto frondes , cassusque valeret
 Exanimare timor . nec vos incessere luctu
 Orba habeo . fixum matri immotumque manebat 160
 Hac altrice nefas . at quin & blandus ad illam ,
 Nata , magis , solam nosse , atque audire vocantem ,
 Ignarusque mei : nulla ex te gaudia matri .
 Illa tuos questus , lacrimososque impia risus
 Audiit , & vocis decerpit murmura primæ . 165
 Illa tibi genitrix semper , dum vita manebat ,
 Nunc ego : sed miseræ mihi nec punire potestas
 Sic meritam . quid dona , duces , quid inania fertis

- Justa rogis? illam (nil poscunt amplius umbræ)
 Illam (oro) cineri simul , excisæque parenti 170
 Reddite , quæso , duces : per ego hæc primordia belli ,
 Cui peperi : sic æqua gemant mihi funera matres
 Ogygiae sternit crines , iteratque precando ,
 Reddite : nec vero crudelem , avidamque vocate
 Sanguinis : occumbam pariter , dum vulnere justo 175
 Exsaturata oculos , unum impellamur in ignem .
 Talia vociferans alia de parte gementem
 Hypsipylem (neque enim illa comas nec pectora servat)
 Agnovit longe , & socium indignata dolorem ,
 Hoc saltem , o proceres , tuque o cui pignore nostro 180
 Partus honos , prohibete nefas . auferte supremis
 Invisam exsequiis . quid se funesta parenti
 Miseret ? & in nostris spectatur & ipsa ruinis ?
 Cui luget complexa fuos ? sic fata repente
 Concidit , abruptisque obmutuit ore querelis . 185
 Non fecus ac primo frandatum lacte juvencum ,
 Cui trepidæ vires , & solus ab ubere sanguis ,
 Seu fera , seu duras avexit pastor ad aras ;
 Nunc vallem spoliata parens , nunc flumina questu ,
 Nunc armenta movet , vacuosque interrogat agros : 190
 Tunc piget ire domum , mœstoque novissima campo
 Exit , & oppositas impasta avertitur herbas .
 At genitor , sceptrique decus , cultusque Tonantis
 Injicit ipse rogis , tergoque & pectore fusam
 Cæsariem ferro minuit , sectisque jacentis 195
 Obnubit tenuia ora comis , ac talia fletu
 Verba pio miscens : Alio tibi , perfide , pacto ,
 Juppiter , hunc crinem voisi reus ante dicaram ,

- Si pariter virides nati libare dedissem
 Ad tua templa genas. sed non ratus ore sacerdos , 200
 Damnataque preces. ferat hæc , quæ dignior umbra est.
 Jam face subiecta primis in frondibus ignis
 Exclamat. labor insanos arcere parentes.
 Stant jussi Danai , atque obtentis eminus armis
 Prospectu visus interclusere nefasto. 205
 Ditantur flammæ. non unquam opulentior illic
 Ante cinis : crepitant gemmæ , atque immane liquefecit
 Argentum , & piëtis exsudat vestibus antrum ;
 Nec non Assyriis pinguescunt robora succis ,
 Pallentique croco strident ardentia mella , 210
 Spumantesque mero pateræ verguntur , & atri
 Sanguinis & rapti gratissima cymbia lactis.
 Tunc septem numero turmas (centenus ubique
 Urget eques) versis dueunt insignibus ipsi
 Grajugenæ reges , lustrantque ex more , sinistro 215
 Orbe rogum , & stantes inclinant pulvere flamas.
 Ter curvos urgere sinus , illisaque telis
 Tela sonant. quater horrendum pepulere fragorem
 Arma , quater mollem famularum brachia planctum.
 Semianimes alter pecudes , spirantiaque ignis 220
 Accipit armenta. hic luctus abolere , novique
 Funeris auspicium , vates (quanquam omina sentit
 Vera) jubet , dextri gyro , & vibrantibus hastis ,
 Hac redenunt , raptumque suis libamen ab armis
 Quisque jacit , seu frena libet , seu cingula flammis
 Mergere , seu jaculum , summæ seu cassidis umbram. 225
 Multa gemunt contra raucis concentibus agri ,
 Et litius aures circum pulsantur acutis.

Statius.

T

Terretur clamore nemus. sic Martia vellunt
 Signa tubæ , nondum ira calet, nec sanguine ferrum 230
 Irrubuit, primo bellorum comitut illo
 Vultus , honoris opus. stat adhuc incertus in alta
 Nube , quibus sese Mavors indulgeat armis.
 Finis erat, lapsusque putres jam Mulciber ibat
 In cineres. instant flammis , multoque soporant 235
 Imbre rogum , posito donec cum sole labores
 Exhausti. seris vix cessit cura tenebris.
 Roscida jam novies cœlo dimiserat astra
 Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes
 Mutato nocturnus equo: nec conscia fallit 240
 Sidera , & alterno deprenditur unus in ortu:
 (Mirum opus accelerasse manus) stat saxea moles ,
 Templum ingens , cineri , rerumque effectus in illo
 Ordo docet casus. fessis hic flumina monstrat
 Hypsipyle Danais , hic reptat flebilis infans , 245
 Hic jacet , extremum tumuli circum asperat orbem
 Squammeus: exspectes morientis ab ore cruenta
 Sibila , marmorea sic yolvitur anguis in hasta.
 Jamque avidum pugnas visendi vulgus inermes
 Fama vocat. cunctis arvis , ac moenibus adsunt 250
 Exciti. illi etiam , quis belli incognitus horror ,
 Quos effœta domi , quos prima reliquerat ætas ,
 Conveniunt. non aut Ephyræo in litore tanta
 Unquam , aut Cœnomai tremuerunt agmina circo.
 Collibus incurvis , viridiisque obsessa corona 255
 Vallis in amplexu nemorum sedet. hispida circum
 Stant juga , & objectus geminis umbonibus agger
 Campum exire vetat, longo quem tramite planum

- Gramineæ frondes, sinuataque cespite vivo
Mollia non subitis augent fastigia clivis. 268
- Ilic conferti, jam sole rubentibus arvis,
Bellatrix sedere cohors: ibi corpore mixto
Metiri numerum, vultusque, habitusque suorum;
Dulce viris, tantique juvat fiducia belli.
Centum ibi nigrantes, armenti robora, tauros 265
Lenta mole trahunt, idem numerusque colorque
Matribus, & nondum lunatis fronte juvencis.
Exin magnanimum series antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens
Pectoris attritu sua frangit in osa leonem.
Haud illum impavidi, quamvis & in ære, suumque
Inachidæ videre decus. pater ordine juncto
Lævus, arundineæ recubansque sub aggere ripæ;
Cernitur, emissæque indulgens Inachi urnæ. 275
Io post tergum, jam prona, dolorque parentis
Spectat inocciduis stellatum visibus Argum.
Ast illam melior Phariis erexerat arvis
Juppiter, atque hospes jam tunc Aurora colebat.
Tantalus inde parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugæ sterilem rapit aera silvæ,
Sed pius, & magni vehitur conviva Tonantis.
Parte alia viator curru Neptunia tendit
Lora Pelops, pressatque rotas auriga natantes
Myrtilus, & volucri jam jamque relinquitur axe. 285
Et gravis Acrisius, speciesque horrenda Chorœbi,
Et Danae culpata sinu. & in amne reperto
Trillis Amymone, parvoque Alcmena superbit

- Hercule, tergemina crinem circumdata luna.
 290
 Iungunt discordes inimica in foedera dextras
 Belidæ fratres: sed vultu mitior adstat
 Ægyptus, Danai manifestum agnoscere fito
 Ore nefas, pacisque malæ, noctisque futuræ.
 Mille dehinc species. tandem satiata voluptas,
 Præstantesque viros vocat ad sua præmia virtus.
 295
 Primus sudor equis. Dic, inclyte Phoebe, regentum
 Nomina, dic ipsos: neque enim generosior unquam
 Alipedum collata acies: ceu præpete curfu
 Confligant densæ volucres, aut litore in uno
 Æolus insanis statuat certamina ventis.
 300
 Dicitur ante omnes rutilæ manifestus Arion
 Igne jubæ. Neptunus equo, si certa priorum
 Fama, pater. primus teneris læsisse lupatis
 Ora, & litoreo domitasse in pulvere fertur,
 Verberibus parcens: etenim insatiatus eundi
 Ardor, & hiberno par inconstantia ponto.
 305
 Sæpe per Ionium Libycumque natantibus ire
 Interjunctus equis, omnesque assuetus in oras
 Cœruleum deferre patrem. stupere relieta
 Nubila, certantes Eurique Notique sequuntur.
 310
 Nec minor in terris bella Eurylhea gerentem
 Amphitryoniadea alto per gramina sulco
 Duxerat: illi etiam ferus, indocilisque teneri.
 Mox Divum dono regis dignatus Adrasti
 Imperia, & multum mediis mansueverat annis.
 315
 Tunc rector genero Polynici indulget agendum
 Multa monens, ubi fervor equo, qua suetus ab arte
 Mulceri, ne sœva manus, ne liber habenis

Impetus : urge alios , inquit , stimulisque , minisque ;
Ille ibit , minus ipse voles . sic ignea lora

320

Cum daret , & rapido Sol natum imponerer axi ,
Gaudentem lacrimans astra infidiosa docebat ,
Nolentesque teri zonas , medianque polorum
Temperiem . pius ille quidem , & formidine cauta ;
Sed juvenem duræ prohibebant discere Parcæ .

325

Œbalios sublimis agit spes proxima palmæ
Amphiaraus equos : tua furto lapsa propago ,
Cyllare , dum Scythici diversus ad ostia ponti
Castor , Amyclæas remo permutat habenas .

Ipse habitu niveus : nivei dant colla jugales :
Concolor est albis & cassis , & insula , cristis .

330

Quin & Thessalicis felix Admetus ab oris
Vix steriles compescit equas , Centaurica dicunt

Semina : credo , adeo sexum indignantur , & omnis
In vires adducta Venus , noctemque , diemque

335

Affimulant , maculis internigrantibus albæ :
Tantus uterque color . credi nec degener illo
De grege Castalæ , stupuit qui sibila cannæ
Lætus , & auditu contempsit Apolline pasci .

Ecce & Iasonidæ juvenes nova gloria matris
Hypsipyles subiere jugo , quo vestus uterque .

340

Nomen avo gentile Thoas , atque omne dictus
Euneos Argoo . geminis eadem omnia , vultus ,
Currus , equi , vestes , par & concordia voti ,

Vincere vel solo cupiunt a fratre relinquunt .

345

It Chromis , Hippodamusque , alter satus Hercule magno ,
Alter ab Œnomaoo . dubites , uter effera preslet
Frena magis . Gejici pecus hic Diomedis ; at ille

Pisæi juga patris habet: crudelibus ambo
Exuviis, diroque imbuti sanguine currus.

350

Metarum instar erat hinc nudo robore quercus,
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo
Arbiter agricolis. finem jacet inter utrumque;
Quale quater jaculo spatiū, ter arundine vincas.

Interea cantu Musarum nobile mulcens

355

Concilium, citharæque manus insertus Apollo
Parnassi summo spectabat ab æthere terras,
Orsa Deum (nam saepe Jovem, Phlegramque, suique
Anguis opus, fratrumque pius cantarat honores)

Tunc aperit, quis fulmen agat, quis fidera ducat
Spiritus, unde animi fluii, quæ pabula ventis,
Quo fonte immensum vivat mare, quæ via soles
Præcipitet, noctem quæ porrigat, immage tellus,
An media, & rursus mundo succincta latenti.

Finis erat, differt avidas audire sorores:

365

Dumque chelyn lauro, textumque illustre coronæ
Subligat, & piæto discingit pectora limbo,
Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aspicit, atque illuc ingens certaminis instar
Quadrijugi. noscit cunctos, & forte propinquo
Constiterant Admetus & Amphiaraus in arvo.

Tunc secum, Quisnam iste duos, fidissima Phœbo
Nomina, commisit Deus in discrimina reges?

Ambo pii, carique ambo. nequeam ipse priorem
Dicere. Pelias hic cum famularer in arvis

(Sic Jovis imperia, & nigrae voluere sorores)

Tura dabat famulo, nec me sentire minorem

Ausus; at hic tripodum comes, & pius artis alumnus

370

375

- Æthereæ. potior meritis tamen ille , sed hujus
 Extrema jam fila colo : datur ordō senectæ 380
 Admeto , serumque mori. tibi nulla supersunt
 Gaudia , jam Thebæ juxta , & tenebrosa vorago.
 Scis miser , & nostræ pridem cecinere volucres.
 Dixit , & os fletu pæne inviolabile tintus
 Extemplo Nemeen radiante per æthera saltu 385
 Ocio & patrio venit igne , suisque sagittis.
 Ipse olim in terris , cœlo vestigia durant ,
 Claraque per Zephyros etiamnum semita lucet.
 Et jam sortitus Prothous versarat ahena
 Casside. jamque locus cuique est , & liminis ordo.
 Terrarum decora ampla viri , decora ampla jugales,
 Divum utrumque genus , stant uno margine clausi ;
 Spesque , audaxque una metus , & fiducia pallens.
 Nil fixum cordi. puguant exire , paventque : 390
 Concurrit summos animosum frigus in artus.
 Qui dominis , idem ardor equis. face lumina surgunt ,
 Ora sonant morfu , spumisque , & sanguine ferrum.
 Uritur , impulsi nequeunt obsistere postes ,
 Claustraque , compressæ transfumat anhelitus iræ.
 Stare adeo miserum est : pereunt vestigia mille 395
 Ante fugam , absentemque ferit gravis ungula campum.
 Circumstant fidi , nexusque , & torta jubarum
 Expediunt , firmantque animos , & plurima monstrant.
 Insonuit contra Tyrrhenum murmur , & omnes
 Exfluere loco. quæ tantum carbasa ponto ? 400
 Quæ bello sic tela volant ? quæ nubila cœlo ?
 Amnibus hibernis minor est , minor impetus igni :
 Tardius astra cadunt: glomerantur tardius imbræ.

Tardius e summo decurrent flumina monte.

Emissos videre, atque agnovere Pelasgi.

Et jam rapti oculis, jam cæco pulvere mixti

Una in nube latent, vultusque umbrante tumultu,

Vix inter se se clamore & nomine noscunt.

Evolvere globum, & spatio quo quisque valebat

Diducti. delet fulcos iterata priores

Orbita. nunc avidi prono juga pectora tangunt,

Nunc pugnante genu pressis duplicantur habenis:

Colla toris crinita tument, stantefque repetit

Aura jubas: bibit albentes humus arida nimbos.

Fit sonus, immanisque pedum, tenuisque rotarum.

Nulla manus requies, densis insibilat aer

Verberibus. gelida non crebrior exsilit Arcto

Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbre.

Senferat adductis alium præsgaus Arion

Stare ducem loris, dirumque expaverat infons

Œdipodioniden. jam illinc a limine discors,

Iratusque oneri insolito truculentior ardet.

Inachidæ credunt accensum laudibus. ille

Aurigam fugit. aurigæ furiale minatur

Efferus, & campo dominum circumspicit omni.

Ante tamen cunctos sequitur, longeque secundus

Amphiaraus agit, quem Thessalus æquat eundo

Admetus. juxta gemini, nunc Euneos ante,

Et nunc ante Thoas. cedunt, vincuntque, nec unquam

Ambitiosa pios collidit gloria fratres.

Postremum discrimin erant Chromis asper, & asper

Hippodamus: non arte rudes, sed mole tenentur

Cornipedum. prior Hippodamus fert ora sequentum,

410

411

420

421

430

435

- Fert gemitus, multaque humeros incenditur aura.
 Speravit flexæ circum compendia metæ, 440
 Interius ductis Phœbeius augur habenis,
 Anticipasse viam, nec non & Theffalus heros
 Spē propiore calet: dum non cohibente magistro
 Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.
 Jam prior Æclides, & jam non tertius ibat 445
 Admetus, laxo cum tandem ex orbe reductus
 Æquoreus sonipes premit, evaditque parumper
 Gavisos. subit astra fragor, cœlumque tremiscit,
 Omniaque excusso patuere sedilia vulgo.
 Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit 450
 Labdacides. lassa veluti ratione magister
 In fluctus, in saxa ruit; nec jam amplius astra
 Respicit, & vietam projecit casibus artem.
 Rursus præcipites in recta ac devia campi
 Obliquant, tenduntque vias, iterum axibus axes 455
 Inflicti, radiisque rotæ. pax nulla, fidesque.
 Bella geri ferro levius. bella horrida credas:
 Is furor in laude est. trepidant, mortemque minantur,
 Multaque transversis præstringitur ungula campis.
 Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera. voce 460
 Nominibusque crient Pholoen Admetus, & Irin
 Funalemque Thoen, rapidum Danaeius augur
 Ascheron increpitans, meritumque vocabula Cygnum.
 Audit & Herculeum Strymon Chromin, Euneon audit
 Igneus Æchion. tardum Calydona lacefuit 465
 Hippodamus, variumque Thoas rogit ire Podarcem.
 Solus Echionides errante silentia curru
 Mœsta tenet, trepidaque timet se voce fateri.

Vixdum coeptus equis labor , & jam pulvere quarto
Campum ineunt, jamque & tepidis sudoribus artus

473

Effeti , & crassum rapit ejestatque vaporem

Cornipedum flammata fitis : nec jam integer illis

Impetus , & longi suspendunt ilia fatus.

Hic anceps fortuna diu decernere' primum

Ausa venit. ruit, Hæmonium dum fervidus instat

475

Admetum superare Thoas : nec prætulit ullam

Frater opem. velit ille quidem ; sed Martius ante

Obstigit Hippodamus , mèdiasque immisit habenas.

Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem

Viribus Herculeis , & toto robore patris

480

Axe tener prenso : luctantur abire jugales

Nequidquam , frenosque & colla rigentia tendunt:

Ut Siculas si quando rates tenet æstus , & ingens

Auster agit , medio stant vela tumentia ponto.

Tunc ipsum fracto curru deturbat , & issit

485

Ante Chromis ; sed Thraces equi ut videre jacentem

Hippodamum , redit illa fames , jam jamque trementem

Partiti furiis ; ni frena , ipsosque frementes,

Oblitus palmæ , retro Tirynthius heros

Torsisset , victusque & collaudatus abisset.

490

At tibi promissos jamdudum Phœbus honores,

Amphiarae, cupit. tandem ratus apta favori

Tempora , pulverei venit in spatia horrida Circi.

Cum jam in fine viæ , & summum victoria nutat :

Anguicomam monstri effigiem sævissima visu

495

Ora movet : five ille Erebo , seu finxit in astu

Temporis ; innumera certe formidine cultum

Tollit in astra nefas. non illud janitor atæ.

- Impavidus Lethes, non ipsæ horrore sine alto
 Eumenides vidisse queant: turbasset eentes 500
 Solis equos, Martisque jugum. nam flavus Arion
 Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos
 Stat, sociumque jugi, comitesque utrinque laboris
 Secum alte suspendit equos. ruit ilicet exful
 Aonius, nexusque diu per terga volutus
 Exuit: abripitur longe moderamine liber 505
 Currus: at hunc putri præter tellure jacentem
 Tænarei currus, & Thessalus axis, & heros
 Lemnius, obliqua quantum vitare dabatur
 Transabiere fuga. tandem caligine mersum
 Erigit accusu comitum caput, ægraque tollit 510
 Membra solo, & socero redit hand speratus Adrasto.
 Quis mortis, Thebane, locus? nisi dura negasset
 Tisiphone, quantum poteras dimittere bellum?
 Te Thebæ, fraterque palam, te plangeret Argos; 515
 Te Nemea: tibi Lerna comas, Larissaque supplex
 Poneret; Archemori major colerere sepulcro.
 Tunc vero Æclides, quanquam jam certa sequenti
 Præmia, cum vacuus domino præiret Arion,
 Ardet adhuc cupiens vel inahem vincere currum. 520
 Dat vires, refovetque Deus. volat ocior Euro.
 Ceu modo carceribus dimissus in arva solutis
 Verberibusque jubas, & terga lacefit habenis,
 Ascheton increpitansque levem, Cygnumque nivalem.
 Nunc saltet dum nemo prior, rapit igneus orbes 525
 Axis, & effossæ longe sparguntur arenæ.
 Dat gemitum tellus, & jam tunc sæva minatur.
 Forfitan & victo prior issit Arione Cygnus,

Sed vetat æquorens vinci pater : hinc vice justa
Gloria mansit equo , cessit victoria vati.

530

Huic pretium palmæ , gemini cratera ferebant
Herculeum juvenes. illum Tirynthius olim
Ferre manu sola , spumantemque ore supino
Vertere , seu monstri vistor , seu Marte , solebat.
Centauros habet arte truces , aurumque figuris

535

Terribile : hic mixta Lapitharum cæde rotantur
Saxa , faces , aliique iterum crateres , ubique
Ingentes morientum iræ. tenet ipse furentem
Hylæum , & torta molitur robora barba.

At tibi Mæonio fertur circumflua limbo

540

Pro meritis , Admete , chlamys , repetitaque multo
Murice. Phryxei natac hic contemtor ephebus
Æquoris , & piæta translucet coerulus unda:

In latus ire manus , mutaturusque videtur
Brachia , nec siccum speres in stamine crinem :
Contra autem frustra sedet anxia turre suprema
Sestias in speculis : moritur prope conscius ignis.

545

Has Adrastris opes dono vistoribus ire
Imperat : at generum famula solatn Achæa.

Sollicitat tunè ampla viros ad præmia cursu
Præceleres. agile studium , & tenuissima virtus ;
Pacis opus , cum sacra vocant ; nec innitile bellis
Subsidium , si dextra neget. prior omnibus Idas ,

550

Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis ,
Profilit. excipiunt plausu Pisæa juventus
Eleæque manus. sequitur Sicyonius Alcon ,
Et bis in Isthmiaca vistor clamatus arena

555

Phædimus , alipedumque fugam prægressus equorum

- Ante Dymas , sed tunc ævo tardante secutus.
 Multi & , quos varii tacet ignorantia vulgi , 560
 Hinc atque hinc subiere. sed Arcada Parthenopæum
 Appellant , densique cincta vaga murmura Circi.
 Nota parens cursu. quis Mænaliæ Atalantes
 Nesciat egregium decus , & vestigia cunctis
 Indeprena procis? onerat celeberrima natum
 Mater : & ipse procul fama jam notus inermes
 Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi
 Tollere , & emissum cursu deprendere telum.
 Tandem exspectatus volucri super agmina saltu
 Emicat , & torto chlamyden diffibulat auro. 565
 Effulgere artus , membrorumque omnis aperta est
 Lætitia , insignesque humeri , nec pectora nudis
 Deteriora genis , latuitque in corpore vultus.
 Ipse tamen formæ laudem aspernatur , & arcet
 Mirantes. tunc Palladios non inscius haustus
 Incubuit , pinguique cutem fuscatur olivo. 575
 Hoc Idas , hoc more Dymas , aliisque nitescunt.
 Sic ubi tranquillo pellucent fidera ponto ,
 Vibraturque fretis cœli stellantis imago ,
 Omnia clara nitent : sed clarior omnia supra
 Hesperos exercet radios , quantusque per altum
 Æthera , cœruleis tantus monstratur in undis.
 Proximus & forma , nec multum segnior Idas
 Cursibus , atque ævo juxta prior: attamen illi
 Jam tenuem pingues florem induxere palæstræ , 580
 Deserpitque genis , nec se lanugo fatetur
 Intonsæ sub nube comæ. tunc rite citatos
 Explorant , acuuntque gradus , variasque per artes

- Instimulant docto languentia membra tumultu.
 Poplite nunc flexo fidunt, nunc lubrica forti 590
 Pectora collidunt plaſu: nunc ignea tollunt
 Crura, brevemque fugam necopino fine reponunt.
 Jam ruit atque æquum summisit regula limen,
 Corripuere leves ſpatium, campoque refuſit
 Nuda cohors, volucres iſdem modo tardius arvis 595
 Ifſe videntur equi, credas e plebe Cydonum
 Parthorumque fuga totidem exſiluſſe sagittas.
 Non aliter celeres Hyrcana per avia cervi,
 Cum procul impasti fremitum accepere leonis,
 Sive putant: rapit attonitos fuga cæca, metuſque 600
 Congregat, & longum dant cornua mixta fragorem.
 Effugit hic oculos rapida puer ocior aura
 Mænalius, quem deinde gradu premit horridus Idas,
 Inspiratque humero; flatuque, & pectoris umbra
 Terga premit. poſt ambiguo discrimin'e tendunt 605
 Phædimus atque Dymas. illis celer imminet Alcon.
 Flavus ab intonſo pendebat vertice crinis
 Arcados: hoc primis Triviæ paſcebat ab annis
 Munus, & Ogygio viētor cum Marte rediſſet,
 Nequidquam patriis audax promiferat aris. 610
 Tunc liber nexu, lateque in terga ſolutus
 Occuruſ Zephyri retro fugi, & ſimul iſum
 Impedit, infeſtoque volans obtenditur Idæ.
 Inde dolum juvenis, fraudique accommoda ſenſit
 Tempora: jam finem juxta, dum limina viētor 615
 Parthenopæus init, correpto crine rediſtum
 Occupat, & longæ primus ferit oſtia portæ.
 Arcades arma tremunt, armis defendere regem,

- Ni raptum decus, & meriti reddantur honores,
Contendunt, totoque parant decadere Circo. 620
Sunt & quis Idæ placeat dolus. ipse regesta
Parthenopæus humo vultumque oculosque madentes
Obruit. accessit lacrimarum gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Ungue secat, meritamque comam furit undique clamor 625
Diffonus, ambiguumque senis cunctatur Adraſti
Consilium. tandem ipse refert: Compescite litem,
O pueri! virtus iterum tentanda: sed ite
Limite non uno: latus hoc conceditur Idæ;
Tu diversa tene: frans cursibus omnis abesto. 630
Audierant, dictoque manent mox numina supplex
Affatu tacito juvenis Tegœus adorat:
Diva potens nemorum (tibi enim hic tibi crinis honori
Debitus, eque tuo venit hæc injuria voto)
Si bene quid genitrix, si quid venatibus ipse 635
Promerui, ne (guæſo) finas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruisse pudorem.
Auditum manifesta fides: vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis intervenit aer,
Raraque non fracto vestigia pulvere pendent, 640
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, prensaque levat suspiria palma.
Finiti cursus, operumque insignia præsto.
Arcas equum dono, clypeum gerit improbus Idas,
Cetera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris. 645
Tunc vocat, emisso si quis decernere disco
Impiger, & vires velit ostentare superbas,
It jussus Pterelas, & aenæ lubrica massæ

- Pondera, vix toto curvatus corpore juxta
 Dejicit, inspestant taciti, expenduntque laborem 650
 Inachidae, mox turba ruunt, duo gentis Achaeæ,
 Tres Ephyreïadæ, Pisa satus unus, Acarnan
 Septimus: & plures agitabat gloria, ni se
 Arduus Hippomedon cavea stimulante tulisset
 In medios, lateque ferens sub pectora dextro 655
 Orbem alium: Hunc potius, juvenes, qui moenia saxis
 Frangere, qui Tyrias dejectum vaditis arces,
 Hunc rapite, ast illud cui non jaculabile dextræ
 Pondus? & abreptum nullo conamine jecit
 In latus, absunt procul, attonitique fatentur 660
 Cedere, vix unus Phlegyas, acerque Menestheus
 (Hos etiam pudor, & magni tenuere parentes)
 Promisere manum, concessit cetera pubes
 Sponte, & adorato rediit ingloria disco.
 Qualis Bistoniis clypeus Mavortis in arvis 665
 Luce mala Pangæa ferit, soleisque refulgens
 Territat, incusque Dei grave mugit ab hasta.
 Pisæus Phlegyas opus inchoat, & simul omnes
 Abstulit in se oculos exhausto corpore virtus
 Promissa, ac primum terra, discumque, manumque 670
 Asperat: excusso mox circum pulvere versat,
 Quod latus in digitos, mediæ quod tertius ulnæ
 Conveniat: non artis egens, hic semper amori
 Ludus erat, patriæ non tantum ubi laudis obiret
 Sacra, sed alternis Alpheon utrinque solebat 675
 Metiri ripis, & qua latissima distant,
 Non unquam mero transmittere flumina disco.
 Ergo operum fidens, non protinus horrida campi

- Jugera , sed cœlo dextram metitur , humique
 Pressus utroque genu , collecto sanguine discum 680
 Ipse super se rotat , atque in nubila condit.
 Ille citus sublime petuit , similiisque cadenti
 Crescit in adversum , tandemque exhaustus ab alto
 Tardior in terram redit , atque immegitur arvis.
 Sic cadit , attonitis quoties avellitur astris , 685
 Solis opaca soror : procul auxiliantia gentes
 Era crepant , frustaque timent : at Thessala vietrix
 Ridet anhelantes audito carmine bigas.
 Collaudant Danai . sed non tibi molle tuenti
 Hippomedon , majorque manus speratur in æquo . 690
 Atque illi exemplo , cui spes infringere dulce
 Immodicas , Fortuna venit . quid numina contra
 Tendere fas homini ? spatium jam immane parabat ,
 Jam cervix conversa , & jam latus omne redibat :
 Excidit ante pedes elapsum pondus , & ictus 695
 Desstitut , frustaque manum dimisit inanem .
 Ingemuere omnes , rarisque ea visa voluptas .
 Inde ad conatus timida subit arte Menestheus
 Cautior , & multum te , Maja nate , rogato
 Molis prægravidæ castigat pulvere lapsus . 700
 Illa manu magna , & multum felicior exit ,
 Nec partem exiguum Circi transvecta quievit .
 Fit sonus , & fixa signatur terra sagitta .
 Tertius Hippomedon valida ad certamina tardos
 Molitur gressus . namque illum corde sub alto 705
 Et casus Phlegyæ monet , & fortuna Menesthei .
 Erigit assuetum dextræ gestamen , & alte
 Suffentans , rigidumque latus , fortisque lacertos

Statius.

Consulit , ac vasto contorquet turbine , & ipse

Prosequitur : fugit horrendo per inania saltu ,

710

Jamque procul meminit dextræ , servatque tenorem

Discus . nec dubia junctave Menelthea vietum

Transabiit meta . longe super æmula signa

Confedit , viridesque humeros , & opaca Theatri

Culmina , ceu latæ tremefecit mole ruinæ.

715

Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Ætna

Lucis egente manu , tamen in vestigia puppis

Auditæ , juxtaque inimicum exegit Ulixen.

Sic & Aloidæ , cum jam celaret Olympum

Desuper Ossa rigens , ipsum glaciale ferebant

720

Pelion , & trepido sperabant jungere cœlo.

Tunc genitus Talao victori tigrin inanem

Ire jubet , fulvo quæ circumfusa nitebat

Margine , & extremos auro mansueverat unguis.

Gnostiacos arcus habet , & vaga tela Meneltheus.

725

At tibi , ait , Phlegya , casu frustrate sinistro ,

Hunc quondam nostri decus , auxiliumque Pelasgi ,

Ferre damus (neque enim Hippomedon inviderit) ensem.

Nunc opus est animis infestos tollere cæstus

Cominus. hæc bellis & ferro proxima virtus.

730

Constituit immanis cerni , immanisque teneri

Argolicus Capaneus . ac dum nigrantia plumbo

Tegmina cruda boum , non mollior ipse , lacertis

Induitur , Date tot juvenum de millibus unum

Huc ait ; atque utinam portius de stirpe veniret

735

Æmulus Aonia , quem fas demittere leto :

Nec mea crudelis civili sanguine virtus.

Obstupuere animi , fecitque silentia terror.

- Tandem insperatus nuda de plebe Laconum
Profilit Alcidamas. mirantur Dorica regum 740
Agmina: sed socii fretum Polluce magistro
Norant, & sacras inter crevisse palæstras.
Ipse Deus posuitque manus, & brachia finxit
Materiam: (suadebat amor) tunc sæpe locavit
Cominus, & simili stantem miratus in ira 745
Sustulit exultans, nudumque ad pectora pressit.
Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem
Ut miserans, poscitque alium: tandemque coactus
Resistit, & stimulis jam languida colla tumescunt.
Fulmineas alte suspensi corpora plantis 750
Erexere manus: tuto procul ora recessu
Armorum in speculis, aditusque ad vulnera clusi.
Hic quantus Stygiis Tityos consurgat ab arvis,
Si torvae patiantur aves, tanta undique pandit
Membrorum spatia, & tantis ferus ossibus exstat. 755
Hic paulo ante puer, sed enim maturius ævo
Robur, & ingentes spondet tener impetus annos,
Quem vinci haud quisquam, sævo nec sanguine tingi
Malit, & erecto timeat spectacula voto.
Ut fese permensi oculis, & uterque priorem 760
Speravere locum, non protinus ira, nec iætus:
Alternus paulum timor, & permixta furori
Confilia, inclinant tantum contraria jactu
Brachia, & explorant cæstus, hebetantque terendo.
Doctior hic differt animum, metuensque futuri 765
Cunctatus vires dispensat. at ille nocendi
Prodigus, incantusque sui, ruit omnis, & ambas
Consumit sine lege manus, atque irrita frendit

Insurgens, seque ipse premit. sed providus astu,
 Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ietus, 770
 Hos cavit. interdum nutu, capitisque citati
 Integer obsequio, manibus nunc obvia tela
 Discutiens, instat gressu, vultuque recedit:
 Sæpe etiam injustis collatum viribus hostem
 (Is vigor ingenio, tanta experientia dextræ est) 775
 Ultro audax animis intratque & obumbrat, & alte
 Afflit; ut præceps cumulo salit unda minantes
 In scopulos, & fracta redit, sic ille furentem
 Circuit expugnans. levat ecce, diuque minatur
 In latus, inque oculos: illum rigida arma carentem 780
 Avocat, & manibus necopinum interserit istum
 Callidus, ac medium designat vulnere frontem.
 Jam crux, & tepido signantur tempora rivo.
 Nescit adhuc Capaneus, subitumque per agmina murmur
 Miratur: verum ut fessam super ora reduxit 785
 Forte manum, & summo maculas in vellere vidit,
 Non leo, non jaculo tantum indignata recepto
 Tigris, agit toto cedentem fervidus arvo.
 Præcipitatque retro juvenem, atque in terga supinat;
 Dentibus horrendum stridens, geminatque rotatas 790
 Multiplicatque manus. rapiunt conamina venti,
 Pars cadit in cæstus. motu Spartanus acuto
 Mille cavit lapsas circum cava tempora mortes,
 Auxilioque pedum: sed, non tamen immemor artis,
 Adversus fugit, & fugiens tamen ieiibus obstat. 795
 Et jam utrumque labor, suspiriaque ægra fatigant.
 Tardius ille premit: nec jam hic absistere velox:
 Defectique ambo genibus, pariterque quierunt.

- Sic ubi longa vagos lassarunt æqua nautas,
Et signo de puppe dato posuere parumper 800
Brachia; vix requies, jam vox cier altera remos.
Ecce iterum immodice venientem eludit, & exit
Sponte ruens, mersusque humeris. effunditur ille
In caput. assurgentem alio puer improbus iætu
Perculit, eventuque impalluit ipse secundo. 805
Clamorem Inachidæ, quantum non litora, tollunt,
Non nemora. illum ab humo conantem ut vidi Adrastrus,
Tollentemque manus, & non toleranda parantem,
Ite, oro, socii, furi: ite, opponite dextras,
Festinate, furi, palmamque, & præmia fert: 810
Non prius effraesto quam miscat ora cerebro,
Absistet, video: moriturum auferete Lacona.
Nec mora, prorumpit Tydeus, nec jussa recusat
Hippomedon. tunc vix ambo conatibus ambas
Restringunt cohibentque manus, ac plurima suadent. 815
Vincis, abi. pulchrum est vitam donare minori.
Noster & hic, bellique comes. nil frangitur heros,
Ramumque oblatumque manu thoraca repellit
Vociferans: Liceat! non has ego pulvere crasso,
Atque cruore genas, meruit quibus iste favorem, 820
Semivir infidiam? mittamque informe sepulcro
Corpus? & Æbalio donem lugere magistro?
Dixit. at hunc socii tumidum & vicisse negantem
Avertunt. contra laudant insignis alumnus
Taygeti, longeque minas rifere Lacones. 825
Iamdudum variæ laudes & conscia virtus
Tydea magnanimum stimulis ingentibus angunt.
Ille quidem & disco bonus, & contendere cursu,

Nec cæstu bellare minor. sed corde labores
 Ante alios erat uncta Pale. sic otia Martis
 Degere, & armiferas laxare assueverat iras, 830
 Ingentes contra ille viros, Acheloia circum
 Litora, felicesque Deo monstrante palæstras.
 Ergo ubi luctandi juvenes animosa citavit
 Gloria, terrificos humeris Ætolus amictus
 Exiit, patriumque suem. levat ardua contra
 Membra, Cleonææ stirpis jaætator Agylleus,
 Herculea nec mole minor: sic grandibus alte
 Insurgens humeris, hominem super improbus exit. 835
 Sed non ille rigor, patriumque in corpore robur.
 Luxuriant artus, effusaque sanguine laxo
 Membra natant. inde hæc audax fiducia tantum
 Enidæ superare parem: quanquam ipse videri
 Exiguus, gravia ossa tamen, nodisque lacerti
 Difficiles. nunquam hunc animum Natura minori 840
 Corpore, nec tantas ausa est includere vires.
 Postquam oleo gavisæ cutis, petit æquor uterque
 Procursu medium, atque hausta vestitur arena.
 Tum madidos artus alterno pulvere fiscant,
 Collaque demersere humeris, & brachia late
 Vara tenent. jam tunc astu dederit in æquum
 Callidus, & celsum procurvat Agyllea Tydeus
 Summissus tergo, & genibus vicinus arenæ.
 Ille autem Alpini veluti regina cupressus
 Verticis, urgentes cervicem inclinat in Austros, 850
 Vix se se radice tenens, terræque propinquat,
 Jamdudum ætherias eadem redditura sub auras:
 Non secus ingentes artus præcelsus Agylleus
 855

- Sponte premit, parvumque gemens duplicatur in hostem:
 Et jam alterna manus, frontemque, humerosque, latusque, 860
 Collaque, pectoraque, & vitantia crura lacefit.
 Interdumque dia pendent per mutua fulti
 Brachia, nunc saevi digitorum vincula frangunt.
 Non sic ductores gemini gregis horrida tauri
 Bella movent: medio conjux stat candida prato 865
 Victorem exspectans: rumpunt obnixa furentes
 Pectora, subdit amor stimulos, & vulnera sanat.
 Fulminei sic dente fues, sic hispida turpes
 Proelia villofis ineunt complexibus ursi.
 Vis eadem Enidæ. nec sole, aut pulvere fessa 870
 Membra labant, riget arcta cutis, durisque laborum
 Castigata toris, contra non integer ille
 Flatibus alternis, ægroque effœtus hiatu
 Exuit ingestas fluvio sudoris arenas,
 Ac furtim rapta sustentat pectora terra. 875
 Instat agens Tydeus, fictumque in colla minatus
 Crura subit, coepitis non evaluere potiri
 Frustratae brevitatem manus, venit arduus ille.
 Desuper, oppressumque ingentis mole ruinæ
 Condidit, haud aliter collis scrutator Iberi 880
 Cum subiit, longeque diem, vitamque reliquit,
 Si tremuit suspensus ager, subitumque fragorem
 Rupta dedit tellus, latet intus monte soluto
 Obrutus, ac penitus fractum obductumque cadaver
 Indignantem animum propriis non reddidit astris. 885
 Acrior hoc Tydeus, animisque & pectora supra est.
 Nec mora, cum vinclis onerique elapsus iniquo
 Circumit errantem, & tergo nec opinus inhæret.

- Mox latus , & firmo celeſ implicat ilia nexu ;
 Poplitibus genua inde premens evadere nodos 890
 Nequidquam , & lateri dextram insertare parantem
 Improbis , horrendum viſu ac mirabile pondus
 Sustulit . Herculeis preſſum ſic fama lacertis
 Terrigenam fudaffe Libyn , cum fraude reperta
 Raptus in excelfum , nec jam ſpes illa cadendi , 895
 Nec licet extrema matrem contingere planta .
 Fit ſonus , & laetos attollunt agmina plauſus .
 Tunc alte librans inopinum ſponte remiſit ,
 Obliquumque dedit , procumbentemque fecutus
 Colla ſimul dextra , pedibus ſimul inguina vinxit . 900
 Deficit obſeffus , ſoloque pudore repugnat .
 Tandem peſtus humi , pronamque extenſus in alvum
 Sternitur , ac longo moeſtus poſt tempore ſurgit ,
 Turpia signata linquens veltigia terra .
 Palmam autem dextra , laevaque nitentia dono 905
 Arma ferens Tydeus , quid fi non ſanguinis hujus
 Partem haud exiguam (ſcitis) Dircæus haberet
 Campus ? ubi haec nuper Thebarum foedera plagæ ?
 Haec ſimul oſtentans , quaefitaque præmia laudum
 Dat ſociis . ſequitur negleſetus Agyllea thorax . 910
 Sunt & qui nudo ſubeant concurrere ferro .
 Jamque aderant inſtruſti armis Epidaurius Agreus ,
 Et nondum fatis Dircæus agentibus exſul .
 Dux vetat laſides : Manet ingens copia leti ,
 O juvenes : fervate animos , avidumque furorem 915
 Sanguinis adverſi . Inque o , quem propter avita
 Jugera , dilectas cui desolavimus urbes ,
 Ne precor ante aciem , juſ tantum caſibus eſſe ,

Fraternisque finas (abigant hoc numina!) votis.

Sic ait: atque ambos aurata casside ditat.

920

Tunc genero, ne laudis egens, jubet ardua nec*ti*

Tempora, Thebarumque ingenti voce citari

Victorem, dirae retinebant omnia Parcae.

Ipsum etiam proprio certamina festa labore

Dignari, & tumulo supremum hunc addere honorem, 925

Hortantur proceres: ac ne victoria desit

Una ducum numero, fundat vel Lycia cornu

Tela rogant, tenui vel nubila transeat hasta.

Obsequitur gaudens, viridique ex aggere in æquum

Stipatus summis juvenum descendit. at illi

930

Pone leves portat pharetras & cornua jussus

Armiger, ingentem ja^{ct}u transmittere circum

Eminus, & dictæ dare vulnera destinat orno.

Quis fluere occultis rerum neget omnia causis?

Fata patent homini: piget inservare, peritque

935

Venturi promissa fides. sic omnia casum

Fecimus, & vires auxit Fortuna nocendi.

Campum emensa brevi fatalis ab arbore tacta,

Horrendum visu, per quas modo fugerat auras,

Venit arundo retro, versumque a fine tenorem

940

Pertulit, & notæ juxta ruit ora pharetræ.

Multa duces errore ferunt. hi nubila, & altos


Occurrisse Notos: adverso roboris i^ctū

Tela repulsa alii. penitus latet exitus ingens,

Monstratumque nefas. uni remeabile bellum,

945

Et tristes domino spondebat arundo recursus.



P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER VII.

ATQUE ea cunctantes Tyrii primordia belli
 Juppiter haud æquo respexit corde Pelasgos,
 Concussumque caput, motu quo celsa laborant
 Sidera, proclamatque adiici cervicibus Atlas.
 Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum:
 I, medium rapido Borean illabere saltu
 Bistonias super usque domus, axemque nivosi
 Sideris: Oceano vetitum qua Parrhasi ignem
 Nubibus hibernis & nostro pascitur imbris.
 Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors,
 (Quanquam invisa quies) seu quod reor, arma tubasque
 Insatiatus habet, caræque in sanguine gentis
 Luxuriat: propere monitus iramque parentis
 Ede, nihil parcens, nempe olim accendere jussus.
 Inachias acies, atque omne quod Isthmius umbo.
 Distinet, & raucae circumtonat ira Maleæ.
 Illi vix muros limenque egressa juventus
 Sacra colunt, credas bello rediisse, tot instant

Plauibus, offensique sedent ad justa sepulcri.
Hicne tuus, Gradive, furor? sonat orbe recusso
Discus, & Cœbali coeunt in proelia cæstus. 20
At si ipfi rabies, ferrique infana voluptas
Qua tumet; immeritas cineri dabit impius urbes,
Ferrum ignemque ferens, implorantesque Tonantem
Sternet humi populos, miserumque exhaustiet orbem. 25
Nunc lenis belli, nostraque remittitur ira.
Quod nisi præcipitat pugnas, dictoque jubentis
Ocius impingit Tyriis Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor) fit mite bonumque
Numen, & effreni laxentur in otia mores. 30
Reddat equos, ensemque mihi, nec sanguinis ultra
Jus erit, aspiciam terras, pacemque jubebo
Omnibus, Ogygio sat erit Tritonia bello.
Dixerat, & Thracum Cyllenius arva subibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempestas æterna plagæ, prætentaque cœlo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus 35
In diversa ferunt. crepat aures grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.
Hic steriles delubra notat Mayortia silvas,
Horrescitque tuens: ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hæmo. 40
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt testa columnis.
Lædiunt adversum Phœbi jubar, ipsaque sedem
Lux timet, & dirus contitstat fidera fulgor. 45
Digna loco statio, primis salit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes;

Exsanguesque Metus, occultisque ensibus adstant
Insidiæ, geminumque tenens Discordia ferrum. 50
Innumeris strepit aula minis. tristissima Virtus
Stat medio, lætusque Furor, vultuque cruento
Mors armata sedet: bellorum solus in aris
Sanguis, & incensis qui raptus ab urbibus ignis:
Terrarum exuviae circum, & fastigia templi 55
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora:
Pæne etiam gemitus: adeo vis omnis, & omne
Vulnus. ubique ipsum, sed non usquam ore remisso 60
Cernere erat. talem divina Mulciber arte
Ediderat, nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce solum, & mugire refractis 65
Corniger Hebrus aquis. tunc quod pecus utile bellis
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis, clausæque adamante perenni
Diffiluere fores. Hyrcano in sanguine pulcher
Ipse subit curru, diraque aspergine latos 70
Mutat agros, spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant silvæ, nixque alta locum. regit atra jugales.
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide. diriguit visu Cyllenia proles,
Summisitque genas. ipsi reverentia patri, 75
Si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.
Quod Jovis imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armpotens. neque enim hunc, germane, sub axem

- Sponte venis , hiemesque meas , cui roscida juxta
Mænala , & æstivi clementior aura Lycæi. 80
- Ille refert consulta patris. nec longa moratus ,
Sicut anhelabant juncto sudore volantes
Mars impellit equos , resedesque in proelia Graios
Ipse etiam indignans. vidit pater altus , & ira
Jam levior , tardo flectebat pondere vultum. 85
- Ut si quando ruit , debellatasque reliquit
Eurus aquas , pax ipsa tumet , pontumque jacentem
Exanimis jam volvit hiems : nondum arma carinis
Omnia , nec toro respirant pestore nautæ.
Finierat pugnas honor exsequialis inermes , 90
- Nec dum aberant coetus , cunctisque silentibus heros
Vina solo fundens , cinerem placabat Adrastrus
Archemori : Da , parve , tuum trieteride multa
Instaurare diem , nec fauciis Arcadas aras
Malit adire Pelops , Elæaque pulset eburna
Templa manu , nec Castaliis altaribus anguis , 95
- Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo.
Nos te lugenti , puer , infitiamur Averno ,
Mœstaque perpetuis sollemnia jungimus astris ,
Nunc festina cohors . at si Bœotia ferro
Vertere tecta dabis , magnis tunc dignior aris ,
Tunc Deus ; Inachias nec tantum culta per urbes
Numina , captivis etiam jurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis : eadem sibi quisque vovebat.
Jam proris Gradivus equis Ephyræa premebat 100
- Litora , qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit , & alterna geminum mare protegit umbra.
Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
- 105

Quadrupedes anteire jubet, non alter anhelos

Insinuare metus, animumque avertere veris

Aptior, innumeræ monstro vocesque, manusque,

Et facies quæcumque libet, bonus omnia credi

Auctor, & horrificis lymphare incurribus urbes.

Si geminos soles, ruituraque suadeat astra,

Aut nutare solum, aut veteres descendere silvas,

Ah miseri vidisse putent, tunc acre novabat

Ingenium, falso Nemeæum pulvere campum

Erigit, attoniti tenebrosam a vertice nubem

Respexere duces, falso clamore tumultum

Auget, & arma virum, pulsusque imitatur equorum,

Terribilemque vagas ululatum spargit in auras.

Exsiliere animi, dubiumque in murmure vulgus

Pendet, ubi iste fragor? ni fallimur aure, sed unde

Pulvereo stant astra globo? num Ismenius ultro

Miles? ita est, veniunt, tanta autem audacia Thebis?

An dubitent? agedum inferias & busta colamus.

Hæc Pavor attonitis: variisque per agmina vultus

Induitur, nunc Pisæis e millibus unus,

Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hostesque propinquos

Adjurat, turmasque metu consternat inani.

Nil falsum trepidis, ut vero amentibus ipse

Incidit, & sacræ circum fastigia vallis

Turbine præveftis rapido, ter sustulit hastam,

Ter concussit equos, clypeum ter pectore plausit,

Arma, arma insani, sua quisque, ignotaque nullo

More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt

Ad juga cornipedes: ferus omni in pectore fævit

Mortis amor, cædisque, nihil flagrantibus obstat.

110

115

120

125

130

135

Præcipitant, redimuntque moras. sic litora vento
 Incipiente fremunt, fugitur cum portus ubique,
 Vela fluunt, laxi jaſtantur ubique rudentes. 140
 Jamque natant remi, natat omnis in æquore summo
 Ancora, jam dulcis medii de gurgite ponti
 Respicitur tellus, comitesque a puppe relieti.
 Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
 Bacchus iter. gemuit Tyriam conversus ad urbem,
 Altricemque domum, & patrios reminiscitur ignes,
 Purpureum tristi turbatus pectora vultum:
 Non crines, non ferta loco, dextramque reliquit
 Thysfus, & intactæ ceciderunt cornibus uvæ. 150
 Ergo ut erat lacrimis, lapsoque inhonoros amictu
 Ante Jovem (& tunc forte polum secretus habebat)
 Conſtitit, haud unquam facie conspectus in illa,
 (Nec causæ latuere patrem) supplexque profatur:
 Exſcindifne tuas, Divūm fator optime, Thebas?
 Sæva adeo conjux? nec te telluris amatæ,
 Deceptique laris miseret, cinerumque meorum?
 Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem,
 Credimus, en iterum atra refers incendia terris,
 Nec Styge jurata, nec pellicis arte rogatus. 160
 Quis modus? an nobis pater iratusque bonusque
 Fulmen habes? sed non Danaëia limina talis,
 Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.
 Scilicet e cunctis ego neglectissima natis
 Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
 Pondus eram: cui tu dignatus limina vitæ
 Præreptumque iter, & maternos reddere menses.
 Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris

Turba meas acies, mea tantum prælia norunt,
 Nestere fronde comas, & ad inspirata rotari 170
 Buxa, timent thyrsos nuptarum, & prælia matrum.
 Unde tubas, Martemque pati? quin fervidus ecce
 Quanta parat? quid si ille tuos Curetas in arma
 Ducat? & innocuis jubeat decernere peltis?
 Quin etiam invisos (sic hostis defuit?) Argos 175
 Elicis, o ipsiſ, genitor, graviora periclis
 Jussa, novercales ruimus ditare Mycenæ.
 Cedo equidem, quo sacra tamen, ritusque peremptæ
 Gentis? & in tumulos, si quid male foeta reliquit
 Mater, abire jubes? Thracen, silvasque Lycurgi? 180
 Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
 Da sedem profugo, potuit Latonia frater
 Saxa (nec invideo) defigere Delon, & imis
 Commendare fretis, cara submovit ab arce
 Hostiles Tritonis aquas, vidi ipse potentem 185
 Gentibus Eois Epaphum dare jura, nec ullaſ
 Cyllene secreta tubas, Minoave curat
 Ida, quid heu tantum nostris offenderis aris?
 Hic tibi (quando minor jam nostra potentia) noctes
 Herculeæ, placitusque vagæ Nycteidos ardor, 190
 Hic Tyrium genus, & nostro felicior igne
 Taurus: Agenoreos saltrem turare nepotes.
 Invidiam risit pater, & jam poplite flexum,
 Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit,
 Inque vicem placida orsa refert: Non conjugis ista 195
 Consiliis (ut rere) puer, nec sæva roganti
 Sic expostus ego, immoto deducimur orbe
 Fatorum: veteres, seræque in prælia causæ.

Nam cui tanta quies irarum ? aut sanguinis usus
 Parcior humani ? videt axis , & ista per ævum
 Mecum æterna domus , quoties jam totta reponam
 Fulmina , quam rarus terris hic imperet ignis.

200

Quin etiam invitum magna ulciscendaque passis
 Aut Lapithas Marti , aut veterem Calidona Dianæ
 Expugnare dedi : meaque est jactura , pigetque
 Tot mutare animas , tot reddere corpora vitæ.

205

Labdacos vero , Pelopisque a stirpe nepotes
 Tardum abolere mihi . scis ipse , ut crimina mittam
 Dorica , quam promtæ Superos incessere Thebæ.

Te quoque , (sed quoniam vetus excidit ira) filebo .
 Non tamen aut patro respersus sanguine Pentheus ,
 Aut matrem scelerasse toris , aut crimine fratres
 Progenuisse reus , lacero tua lustra replevit
 Funere . ubi fletus ? ubi tunc ars tanta precandi ?

210

Ast ego non proprio diros impendo dolori
 Edipodionidas . rogit hoc tellusque , polusque ;
 Et pietas , & læsa fides , naturaque , & ipsi
 Eumenidum mores . sed tu super urbe moveri
 Parce tua . non hoc statui sub tempore rebus
 Occatum Aoniis . veniet suspectior ætas ,
 Ultoresque alii : nunc regia Juno queretur.

215

His ille auditis , mentemque habitumque recepit .
 Ut cum sole malo , tristisque rosaria pallent
 Usta Noto , si clara dies , Zephyrique refecit
 Aura polum , reddit omnis honos , emissaque lucent
 Germina , & informes ornat sua gloria virgas .
 Nuntius attonitas jamdudum Etheoclis ad aures
 Explorata ferens , longo docet agmine Graios

220

Statius.

X

Ire duces; nec jam Aoniis procul ab fore campis :
 Quacunque ingressi tremere, ac miserescere cunctos 230
 Thebarum, qui stirpe refert, qui nomine, & armis.
 Ille metum condens, audire exposcit, & odit
 Narrantem. hinc dictis socios stimulare, suisque
 Metiri decernit opes. exciverat omnem
Aoniam, Eubœamque, & Phocidos arva propinquæ 235
 Mars: ita dulce Jovi, longo fugit ordine velox
 Tessera, propellunt acies, feseque sub armis
 Ostentant, subeunt campo, qui proximus urbi
 Damnatus bellis patet, exspectatque furores.
 Nondum hostis circa, trepidi tamen agmine matres 240
 Confundunt muros, inde arma nitentia natis
 Et formidandos monstrant sub casside patres.
 Turre procul sola nondum concessa videri
 Antigone populis, teneras defendit atra
 Veste genas, juxtaque comes, quo Laïus ibat 245
 Armigerò, tunc virgo senem regina veretur.
 Quæ sic orsa prior: Spesne obstatura Pelasgîs
 Hæc vexilla, pater? Pelopis descendere totas
 Audimus gentes. dic, o precor, extera regum
 Agmina. nam video, quæ noster signa Menœceus, 250
 Quæ noster gerat arma Creon, quam celsus aena
 Sphynge per ingentes Homoloïdas exeat Hæmon.
 Sic rudis Antigone. senior cui talia Phorbas:
 Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
 Promovet ecce Dryas. hic, cui nivea arma tridentem, 255
 Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti,
 Non falsus virtute nepos. procul, oro, paternum
 Omen, & innuptæ vetus excidat ira Dianæ.

- Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeonque, & confertissima lucis 260
Nyfa, Dionæisque avibus circumsona Thisbe.
Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas
Terribilis filvis. reor & Mavorte cruento
Talis erit. dites pecorum comitantur Erythræ,
Qui Scolon, densamque jugis Etheonon inquis, 265
Qui breve litus Hyles, Atalantæumque superbi
Schoenon habent, notique colunt vestigia campi.
Fraxineas vibrant Macetum de more farissas:
Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.
Ecce autem clamore riunt Neptunia plebes 270
Onchesti, quos pinigeris Mycaleffos in agris,
Palladiusque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphye: quorumque novis Haliartos aristis
Invidet, & nimia fata læta supervenit herba.
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant scuta finis. hos regis egenos 275
Amphion en noster agit (cognoscere pronum,
Virgo) lyra galeam, tauroque insignis avito.
Maëste animo juvenis, medios parat ire per enses,
Nudaque pro caris opponere pectora muris.
Vos etiam nostris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem. tuque, o Permessæ, canoris
Et, felix Olmæ, vadis, armatis alumnos
Bellorum resides. patriis concentibus audis
Exsultare gregem: quales, cum pallida cedit 280
Bruma, residentem deducunt Strymona cygni.
Ite alacres, nunquam vestri morientur honores;

Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ.
 Dixerat, & paulum virgo interfata docenti : 290
 Illi autem, quanam junguntur origine fratres?
 Sic certe paria arma viris, sic exit in auras
 Cassidis æquus apex. utinam hæc concordia nostris!
 Cui senior ridens: Non prima errore videndi
 Falleris, Antigone. multi hos (nam decipit ætas) 295
 Dixerunt fratres. pater est, natusque; sed ævi
 Confudere modos: puerum Lapithonia nympha
 Dirceps, expertem thalami, crudumque maritis
 Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
 Improba connubii: nec longum & pulcher Alathreus 300
 Editus, ac primæ genitorem in flore juvenæ
 Consequitur, traxitque notas, & miscuit annos.
 Et nunc sic fratres mentito nomine gaudent:
 Plus pater, hunc olim juvat, & ventura senectus.
 Tercentum genitor, totidemque in prælia natus 305
 Exercent equites. hi deseruisse feruntur
 Exilem Glisanta, Coroniamque, feracem
 Messe Coroniam, Baccho Glisanta colentes.
 Sed potius celsos umbrantem hunc aspice late
 Hypsea quadrijugos, clypei septemplice tauro 310
 Læva, ter insuto servantem ingentia ferro
 Pectora: nam tergo nunquam metus, hasta vetustum
 Silvarum decus, emissæ cui pervia semper
 Armaque, pectoraque, & nunquam manus irrita voti.
 Asopus genuisse datur, dignusque videri 315
 Tunc pater, abruptis cum torrentissimus exit
 Pontibus, aut natæ tumidus cum virginis ulti
 Flumina concussit, generum indignata Tonantem.

- Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis
Amplexu latuisse Jovis. surit amnis, & astris 320
Infensus bellare parat (nondum ista licebant
Nec Superis) stetit audaces effusus in iras,
Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat,
Donec vi tonitus summotus, & igne trisulco
Cessit. adhuc ripis animosus gurges anhelis, 325
Fulmineum cinerem, magnæque insignia pœnæ
Gaudet, & Ætnæos in cœlum efflare vapores.
Tamen Cadmeo mirabimur Hypsea campo,
Si modo placavit felix Ægina Tonantem.
Dicit Ithonæos & Alalcomenæ Minervæ 330
Agmina, quos Mide, quos humida suggerit Arne,
Aulida qui Græamque ferunt, viridesque Platæas,
Et sulco Peteona domant, refluuntque meatu
Eriptum, qua noster abiit, teque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de litore Glaucus 335
Poscentes irruptit aquas, jam crine genisque
Cœrulus, & mixtos expavit ab inguine pisces.
Glandibus & torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt gesa sagittas.
Tu quoque præclarum forma, Cephisse, dedilles 340
Narcissum, sed Thespiaclis jam pallet in agris
Trux puer. orbata florem pater alluit unda.
Quis tibi Phœbæas acies, veteremque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparissón,
Et valles, Lebadea, tuas, & Hyampolin acri 345
Subnimam scopulo, vel qui Parnassón utrumque
Aut Cyrrham tauris, Anemoriāmque supinant
Coryciūmque nemus? propellentemque Lilæam

Cephissi glaciale caput, quo fuetus anhelam
 Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto: 350
 Omnibus immixtas cono super aspice lauros,
 Armaque, vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
 Hic Deus innumera laxavit cæde pharetras.
 Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademtus
 Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai, 355
 Hospes, adhuc currus, securaque lora tenebat;
 Cum tua subter equos jacuit convulsa cruentis
 Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix!
 Dicentis maduere genæ, vultumque per omnem
 Pallor iit, vocisque repens singulus apertum 360
 Intercepit iter. refovet frigentis amicum
 Pectus alumna senis. redit, atque exile profatur:
 O mihi sollicitum decus ac suprema voluptas,
 Antigone! feras tibi demoror improbus umbras;
 Fors eadem scelera & cædes visurus avitas. 365
 Donec te thalamis habilem, integrumque resignum;
 Hoc satis, & fessum vita dimittite, Parcae.
 Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reviso
 Transabiere duces. Clonium atque in terga comantes
 Non ego Abantiadas, non te, saxosa Caryste, 370
 Non humiles Ægas, altumque Capharea dixi.
 Et jam acies obtusa negat, cunctique resistunt:
 Et tuus armatis jubet ecce silentia frater.
 Vix ea turre senex, cum ductor ab aggere cœpit:
 Magnanimi reges, quibus haud parere recusem 375
 Ductor, & ipse meas miles defendere Thebas,
 Non ego vos stimulare parem, (nam liber in arma
 Impetus, & meritas ultro juraſis in iras)

- Nec laudare satis , dignasque rependere grates
Sufficiam. referent Superi , vestræque subacto 380
- Hoste manus. urbem socia de gente subistis
Tutari, quam non alis populator ab oris.
Belliger , externave fatus tellure , sed hostis
Indigena assultat , cui castra adversa regenti
Hic pater , hic genitrix , hic junctæ stirpe sorores ; 385
Hic erat & frater. cerne en ubique nefandus
Excidium moliris avis. venere volentes.
Aoniæ populi , nec sum tibi , fæve , relietus.
Quid velit ista cohors , & te sentire decebat.
Reddere regna vetant. Sic fatus , & omnia rite 390
- Disponit , qui bella gerant , qui moenia servent ;
Quas in fronte manus , medio quas robore fistat.
Perspicuas sic luce fores , & virgea pastor
Claustra levat , dum terra recens : juber ordine primos
Ire duces , media stipantur plebe maritæ : 395
Ipse levat gravidas , & humum tactura parentum
Übera , succiduasque apportat matribus agnas.
Interea Danai noctemque diemque sub armis ,
Noctem iterum rursusque diem (sic ira ferebat)
Ingeminant. contemta quies , vix aut sopor illis , 400
Aut epulæ fecere moram. properatur in hostem
More fugæ : nec monstra tenent, quæ plurima nechtit
Prodigiale canens , certi fors prævia fati.
Quippe ferunt diros monitus , volucresque , feræque ;
Sideraque , averisque suis decursibus amnes : 405
Infestumque tonat pater , & mala fulgura lucent :
Terrificæque aditis voces , clausæque Deorum
Sponte fores : nunc sanguineus , nunc saxeus imber ;

Et subiti Manes , flentumque occurfus avorum.

Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ ,

Et non assuetis pernox ululavit Eleufin

Mensibus , & templis Sparte præsaga reclusis ,

Vidit Amyclæos (facinus !) concurrere fratres.

Arcades insanas latrare Lycaonis umbras

Nocte ferunt tacita. sævo decurrere campo

Œnomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque

Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.

Perseos effigiem moestam exorantque Mycenæ

Confusum Junonis ebur : mugire potentem

Inachon agricolæ , gemini maris ïcola narrat

Thebanum totò planuisse Palæmona ponto.

Hæc audit Pelopea phalanx : sed bellicus ardor

Confliliis obstat Divūm , prohibetque timeri.

Jam ripas , Alope , tuas , Bœotaque ventum

Flumina. non aufæ transmittere protinus alæ

Hostilem fluvium. forte & trepidantibus ingens

Descendebat agris , animos five imbrifer arcus ,

Seu montana dedit nubes , seu fluminis illa

Mens fuit , obiectusque vado pater arma vetabat.

Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ

Cunctantem dejecit equum , ducibusque relictis

Gurgite de medio frenis suspensus , & armis ,

Ite viri , clamat : sic vos in moenia primus

Ducere , sic clausas voveo perfringere Thebas.

Præcipitant cuncti fluvio , puduitque secutos.

Ac velut ignotum si quando armenta per amnem

Pastor agit , stat triste pecus , procul altera tellus

Omnibus , & late medius timor : ast ubi ductor

415

415

420

425

430

435

Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visaque accedere ripæ.

440

Haud procul inde jugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turreisque videre
Sidonias. placuit sedes, fidique receptus,
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto
Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant
Despectus. nec longa labor munimina durus
Addidit: ipsa loco mirum Natura favebat.

445

In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua, & fortuito ductæ quater aggere pinnæ:
Cetera dant ipſi, donec sol montibus omnis

450

Erepfit, rebusque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?

Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diemque minatur.

Discurrunt muris. nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis, invalidæque Amphionis arces.

455

Rumor ubique altus, pluresque annuntiat hostes,
Majoresque timor. spectant tentoria contra

Inachia, externosque suis in montibus ignes.

Hi precibus, questuque Deos: hi Martia tela
Belligerosque hortantur equos: hi pectora fletu

460

Cara premunt, miserique rogos, & crastina mandant
Funera. si tenuis demisit lumina somnus,

Bella gerunt: modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucemque timent, lucemque precantur.

465

It geminum excutiens anguem, & bacchatur utrisque

Tisiphone castris: fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut utrique patrem. procul ille penatibus imis,

Excitus implorat furias , oculosque reposcit.

Jam gelidam Phoeben & caligantia primus

Hauserat astra dies , cum jam tumet igne futuro

Oceanus , lateque novo Titane reclusum

Æquor , anhelantum radiis subsedit equorum?

Ecce truces oculos sordentibus obsita canis

Exsanguesque Iocasta genas , & brachia planctu

Nigra ferens , ramnumque oleæ cum velleris atri

Nexibus , Eumenidum velut antiquissima , portis

Egreditur , magna cum maiestate malorum.

Hinc atque hinc natæ , melior jam sexus , aniles

Præcipitatem artus , & plusquam posset euntem

Sustentant. venit ante hostes , & pectora nudo

Clastra adversa ferit , tremulisque ululatibus orat

Admitti. referare viam rogat impia belli

Mater : in his aliquod jus exsecrabile castris

Huic utero est. trepidi visam expavere manipli ,

Auditamque magis. remeat jam missus Adrasto

Nuntius. excipiunt jussi , mediosque per enses

Dant iter. illa duces ut primum aspergit Achivos ,

Clamorem horrendum luætu furiata resolvit :

Argolici proceres , hei quis monstraverit hostem ;

Quem peperi? quanam inveniam , mihi dicite , natum

Sub galea? venit attonitæ Cadmeïus heros

Obvius , & raptam lacrimis gaudentibus implet ,

Solaturque tenens , atque inter singula , matrem ;

Matrem iterat , nunc ipsam urgens , nunc cara sororum

Pectora , cum mixta fletus anus asperat ira :

Quid molles lacrimas , venerandaque nomina fingis ,

Rex Argive , mihi? quid colla amplexibus ambis,

470

475

480

485

490

495

- Invisamque teris ferrato pectori matrem?
Tunc ille exfilio vagus? & miserabilis hospes?
Quem non permovereas? longe tua iussa cohortes
Exspectant, multoque latus præfulgurat ense.
Ah miserae matres! hunc te noctesque, diesque;
Deflebam. si verba tamen, monitusque tuorum
Dignaris, dum castra silent, suspensaque bellum
Horrescit pietas, genitrix jubeoque, rogoque,
I mecum, patriosque Deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremque (quid aufer lumina?) fratrem
Alloquere, & regnum jam me sub judice posce.
Aut dabit aut ferrum causa meliore resumes.
Anne times, ne forte doli, & te conscientia mater
Decipiam? non sic miseros fas omne penates
Effugiet: vix OEdipode ducente timeres.
Nupsi equidem, peperique nefas: sed diligo tales;
Ah dolor, & vestros etiamnum excuso furores.
Quod si adeo peritas, ultro tibi, saepe, triumphum
Detulimus: religa captas in terga sorores,
Injice vincla mihi. gravis huc, utcunque feretur
Et pater. ad vestrum gemitus nunc verto pudorem;
Inachidae: liquifitis enim parvosque senesque,
Et lacrimas has quisque domi, sua credite matri
Viscera. si vobis hic parvo in tempore carus
(Sitque precor) quid me, oro, decet? quidve ista, Pelasgi,
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysiske tulisse
Regibus, & si qui nostros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa superstite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes,
Nutantesque virum galeas, & sparsa videres

Fletibus arma pīs. quales ubi tela virosque
 Pectoris impulsu rapidi stravere leones : 530

Protinus ira minor , gaudentque in corpore capto
 Securam differre famem. sic flexa Pelasgūm
 Corda labant , ferrique avidus mansueverat ardor.
 Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula versus ,
 Nunc rūdis Iſmenes , nunc flebiliora precantis 535

Antigones , variaque animum turbante procella
 Excederat regnum. cupit ire , & mitis Adraſtus
 Non vetat. hic iuſta Tydeus memor occupat iræ :
 Me potius ſocii , qui fidum Etheoclea nuper
 Expertus , (nec frater eram) me opponite regi , 540

Cujus adhuc pacem egregiam , & bona foedera gelto
 Peſtore in hoc. ubi tunc fidei , pacisque ſequenſtra
 Mater eras , pulchris cum me nox veftra morata eſt
 Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
 Duc illum in campum , veftro qui ſanguine pinguis 545

Spirat adhuc , pinguisque meo. tu porro ſequeris?
 Heu nimium mitis , nimiumque oblite tuorum!
 Scilicet infestæ cum te circum undique dextræ
 Nudabunt enſes , hæc flebit , & arma quiescent?
 Tene ille , heu demens , ſemel intra moenia clauſum , 550

Poffeffumque odiis Argiva in caſta remittet?
 Ante hæc excuſo frondescet lancea ferro ,
 Inachus ante retro , noſterque Achelous abibunt.
 Sed mite alloquim , & ſævis pax quaeritur armis ,
 Hæc quoque caſtra patent : neclum meruere timeri. 555

An ſuſpectus ego? abſcedo , & mea vulnера dono.
 Intret , & hic genitrix eadem , mediæque ſorores.
 Finge autem paſti evictum excedere regnis ,

- Nempe iterum reddes? Rursus mutata trahuntur
Agmina consiliis. subito ceu turbine cœli 560
Obvius adversum Boreæ Notus abstulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent. fera tempus Erinnys
Arripit, & primæ molitur semina pugnæ.
Errabant geminæ Dircaeæ ad flumina tigres
Mite jugum, belli quondam vastator Eoi
Curus, Erythræis quas nuper victor ab oris 565
Liber in Aonios meritas dimiserat agros.
Illas turba Dei, seniorque ex more sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmitæ maturo varijsque ornare corymbis
Curat, & alterno maculas interligat ostro. 570
Jamque ipsi colles, ipsa has (quis credat?) amabant
Armenta, atque aufæ circum mugire juvencæ.
Quippe nihil grassata fames, manus obvia pascit,
Exspectantque cibos, fusoque horrenda supinant 575
Ora mero, vaga rure quies. si quando benigno
Urbem iniere gradu, domus omnis, & omnia sacriss
Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias, animumque redire priorem 580
Impulit, erumpunt non agnoscentibus Argis:
Cen duo diverso pariter si fulmina cœlo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.
Non aliter cursu rapidæ, atque immane frementes
Tranfiliunt campos, aurigamque impete vasto, 585
Amphiarae, tuum (nec defuit omen, heriles
Forte is primus equos stagna ad vicina trahebat)
Corripiunt. mox Tænarium qui proximus Idam

Ætolumque Acamanta premunt. fuga torva per agros

Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus,

Strage virûm, cui sueta feras prosternere virtus

(Arcas erat) densis jam fida ad moenia versas

Insequitur telis, multumque hostile resumens

Ter, quater, adducto per terga, per ilia telo

Transigit. illæ autem longo cum limite fusi

Sanguinis, ad portas utrinque extantia ducunt

Spicula semianimes, gemituque imitante querelas,

Saucia dilectis acclinant pectora muris.

Templa putes, urbemque rapi, facibusque nefandis

Sidonios ardere lares: sic clamor apertis

Exoritur muris. malling cunabula magni

Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruisse

Harmonies. cultor Bacchæus Acontea Phegeus

Jam vacuum telis, geminoque in sanguine ovantem

Cominus ense petit. subeunt Tegeæa juventus

Auxilio tardi. jam supra sacra ferarum

Corpora, mœrenti juvenis jacet ultio Baccho.

Rumpitur & Graium subito per castra tumultu

Consilium. fugit externos locasta per hostes

Jam non ausa preces. natas, ipsamque repellunt

Qui modo tam mites, & præceps tempore Tydeus

Utitur. Ite age, nunc pacem sperate, fidemque

Nunc saltem differre nefas? potuitne morari

Dum genitrix dimissa redit? Sic fatus aperto

Ense vocat socios. sævus jam clamor, & iræ

Hinc atque inde calent. nullo venit ordine bellum:

Confusique duces vulgo, & neglecta regentum

Imperia: una equites mixti, peditumque catervæ,

590

595

600

605

610

615

- Et rapidi currus, premit indigesta ruentes
 Copia, nec sese vacat ostentare, nec hostem
 Noscere. sic subitis Thebana, Argivaque pubes
 Conflixerunt globis, retro vexilla, tubæque
 Post tergum, & litui bellum invenere fecuti.
 Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors:
 Ventus uti primas struit inter nubila vires
 Lenis adhuc, frondesque, & aperta cacumina gestat:
 Mox rapuit nemus, & montes patefecit opacos.
 Nunc age, Pieriae, (non vos longinqua sorores
 Consulimus) vestras acies, vestramque referte
 Aoniam (vidistis enim) dum Marte propinquo
 Horrent Tyrrhenos Heliconia pleætra tumultus.
 Sidonium Pterelan sonipes malefidus in armis
 Rumpentem frenos, diversa per agmina raptat
 Jam liber; sic fessa manus: venit hasta per armos
 Tydeos, & lævum juvenis transverberat inguen,
 Labentemque affigit equo. fugit ille perempto
 Consertus domino: nec jam arma, aut frena tenentem
 Portat adhuc, ceu nondum anima defectus utraque
 Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.
 Certat opus ferri. sternuntque alterna furentes
 Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,
 Parthonopæus Ityn: Sybaris jacer ense cruento,
 Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.
 Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon
 Colla rapit, cui dividuum trans corpus hiantes
 Truncum oculi querunt, animus caput. arma jacentis
 Jam rapiebat Abas: cornu deprensus Achiva
 Dimisit moriens clypeum hostilemque, suumque:

620

625

630

635

640

645

- Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus?
 Quis lucos? veritus quibus emanisse sacerdos
 Suasit, & assuetum Bromio mutare furorem?
 Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
 Pallentes hederæ, Nysæaque seria coronant.
 Candida pampineo subneccitur instita pilo:
 Crine latent humeri: crescunt lanugine malæ,
 Et rubet imbellis Tyrio subtemine thorax:
 Brachiaque in manicis, & piæ vincula plantæ;
 Carbæisque sinus, & fibula rafilis auro
 Tænarium fulva mordebat jaspide pallam;
 Quam super a tergo velox corytus, & arcus
 Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.
 It lymphante Deo media inter millia longum
 Vociferans: Prohibete manus, hæc omne dextro
 Mœnia, Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca.
 Parcite, in hæc ultro scopuli venere volentes.
 Gens sacrata sumus: gener huic est Juppiter urbi,
 Gradivusque sacer: Bacchum haud mentimur alumnum,
 Et magnum Alciden. Jaſtanti talia fruſtra
 Turbidus aeria Capaneus occurrit in haſta.
 Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris
 Erexit rabiem, & ſævo ſpeculatur ab antro
 Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum;
 It fremitu gaudens, licet arma, gregesque laceſſant
 Venantum: prædam videt, & ſua vulnera nescit.
 Sic tunc congreſſu Capaneus gavisus iniquo,
 Librabat magna venturam mole cupreſſum.
 Ante tamen, Quid femineis ululibus, inquit,
 Terrificas, moriture, viros? utinam ipſe veniret;

- Cui furis! hæc Tyriis cane matribus : & simul hastam
Expulit. illa volans, deu vis non ulla moretur 680
Obvia vix sonuit clypeo, & jam terga reliquit.
Arma fluunt, longisque crepat singulibus aurum,
Eruptusque sinus vicit crux. occidis audax,
Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
- Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis,
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseaque Naxos,
Et Thebana metu juratus in Orgia Ganges.
Nec segnem Argolicæ sensere Etheoclea turmæ;
Parcior ad cives Polynicis inhorruit ensis.
- Eminet ante alios jam formidantibus arva 690
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit
Campum indignantem. famulo decus addit inane
Mœstus, & extremos obitus illustrat Apollo.
Ille etiam clypeum, galeamque incendit hono~~ro~~
Sidere: nec tarde fratri, Gradive, dedissi, 695
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant: sanctum, & venerabile Diti
Funus erat. talis medios infertur in hostes
Certus & ipse necis. vires fiducia leti
Suggerit. inde viro majoraque membra, diesque 700
Lætior, & nunquam tanta experientia coeli,
Si vacet: avertit morti contermina Virtus.
Ardet inexploto sœvi Mavortis amore,
Et fruitur dextra, atque anima flagrante superbit:
Hic hominum castus lenire, & demere fatis 705
Iura frequens, quantum subito diversus ab illo,
Qui tripodas, laurusque sequi, qui doctus in omni
Nube, salutato volucrem cognoscere Phœbo.

Statius.

X

Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
 Aut jubar adversi grave sideris, immolat umbris
 Ipse suis. jaculo Phlegyam, jaculoque superbum
 Phylea, falcato Chromin, & Cremetaona curru,
 Cominus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum;
 Cuspide demissa Chromin, Iphinoumque, Sagenque,
 Intonsumque Gyan, sacrumque Lycorea Phœbo

710
 Invitus: jam fraxineum dimiserat hastæ
 Robur, & excussis apparuit infula cristi:
 Alcathoum saxe, cui circum stagna Carystii
 Et domus & conjux, & amantes litora nati.

Vixerat ille diu pauper scrutator aquarum:
 Decepit tellus: moriens hiemesque Notosque
 Laudat, & experti meliora pericula ponti.
 Aspicit has longe jamdudum Asopius Hypseus
 Palantum strages, ardetque avertere pugnam:
 Quanquam haud ipse minus currū Tirynthia fundit
 Robora, sed viso præsens minor augure sanguis.
 Illum armis, animisque cupit: prohibebat iniquo
 Agmine confertum cunei latus. inde superbus
 Exseruit patriis electum missile ripis.

720
 Ac prius, Aonidum dives largitor aquarum,
 Clare Giganteis etiamnum, Asope, favillis,
 Da numen dextræ: rogat hoc natusque, tuique
 Quercus alumna vadi. fas & me spernere Phœbum,
 Si tibi collatus Divum fator. omnia mergam
 Fontibus arma tuis, tristesque sine angure vittas.
 730
 Audierat genitor. vetat indulgere volentem
 Phœbus, & aurigam jaculum detorquet in Hersen.
 Ille ruit. Deus ipse vagis succedit habenis,

- Lernæum falso simulans Aliagmona vultu.
 Tunc vero ardenti non ulla obfistere tentant 740
 Signa, ruunt solo terrore, & vulnera citra
 Mors trepidis ignava venit: dubiumque tuent
 Prefferit infestos onus, impuleritne jugales.
 Sic ubi nubiferum montis latus, aut nova ventis
 Solvit hiems, aut victa situ non pertulit ætas; 745
 Desilit horrendus campo timor, arma, virosque
 Limite non uno, longæaque robora secum
 Præcipitans, tandemque exhaustus turbine fesso,
 Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
 Non secus ingentique viro magnoque gravatus 750
 Temo Deo, nunc hoc, nunc illo in sanguine servet:
 Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis
 Delius: ipse docet jaetus, adversaque fletit
 Spicula, fortunamque hastis venientibus aufert.
 Sternuntur terræ, Menalas pedes, Antiphus alto 755
 Nil defensus equo, genitusque Heliconide Nympha
 Æthion, cæfoque infamis fratre Polites,
 Conatusque toris vittatam attingere Manto
 Lampus: in hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas.
 Et jam cornipedes trepida ac moribunda reflantes 760
 Corpora, rimantur terras, omnisque per artus
 Sulcus, & incisis altum rubet orbita membris.
 Hos jam ignorantes terit impius axis, at illi
 Vulnera semineces (nec devitare facultas)
 Venturum super ora vident. jam lubrica tabo 765
 Frena, nec infisti madidus dat temo, rotæque
 Sanguine difficiles, & tardior ungula fossis
 Vifceribus, tunc ipse furens in morte relicta

- Spicula, & e mediis extantes ossibus hastas
Avellit: stridunt animæ, currumque sequuntur. 770
- Tandem se famulo summum confessus Apollo,
Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors irrevocata veretur.
- Vincimur, immites scis nulla revolvere Parcas
Stamina. vade diu populis promissa voluptas 775
- Elysis, certe non perpeccire Creontis
Imperia, aut vetito nudus jaciture sepulcro.
- Ille refert contra, & paulum respirat ab armis:
Olim te, Cyrrhae pater, peritura sedentem
- Ad juga (quis tantus miseris honor?) axe trementi 780
- Sensimus: instantes quoniam usque morabere manes?
Audio jam rapidæ cursum Stygis, attraque Ditis
Flumina, tergeminostque mali custodis hiatus.
- Accipe commissum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas. nunc voce suprema,
- Si qua recessuro debetur gratia vati, 785
- Deceptum tibi, Phœbe, larem, poenasque nefandæ
Conjugis, & pulchrum nati commendo furem.
Desiluit moerens, lacrimasque avertit Apollo.
- Tunc vero ingemuit currusque, orbique jugales. 790
- Non aliter cæco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, cum jam damnata fororis
Igne, Therapnaei fugerunt carbala fratres.
- Jamque recessuræ paulatim horrescere terræ,
Summaque terga quarti; graviorque effervere pulvis 795
- Cooperat, inferno mugit jam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellique hunc esse fragorem,
Hortanturque gradus, alias tremor arma, virosque

- Mirantesque inclinat equos, jam frondea nutant
Culmina, jam muri, ripisque Ismenos apertis 800
Effugit, exciderunt iræ, nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus, inque vicem viso pallore recedunt.
Sic ubi navales miscet super æquora pugnas
Contemto Bellona mari: si forte benigna
Tempestas; sibi quisque cavent, ensesque recondit
Mors alia, & socii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Sive laborantes concepto flamme terræ
Ventorum rabiem, & clausum ejecere furorem: 810
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo
Unda latens: sive volventis machina cœli
Incubuit: sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, & extremas gravis mare torsit in oras:
Seu vati datus ille frâgor, seu terra minata est 815
Fratribus; ecce alte præcps humus, ore profundo
Diffilit, inque vicem tremuerunt sidera, & umbræ.
Illum ingens haurit specus, & transire parantes
Mergit equos, non arma manu, non frena remisit:
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus, 820
Respxitque cadens cœlum, campumque coire
Ingemuit: donec levior distantia rursus
Miscuit arva tremor, lucemque exclusit Averno.
-

P. PAPINII STATII
T H E B A I D O S
 LIBER VIII.

Ut subitus vates pallentibus incidit Umbris;
 Letiferasque domos, orbisque arcana sepulti
 Rupit, & armato turbavit funere Manes;
 Horror habet cunctos, Stygiis mirantur in oris
 Tela & equos, corpusque novum: neque enim ignibus artus
 Conditus, aut mœsta niger adventabat ab urna;
 Sed belli sudore calens, clypeumque cruentis
 Roribus, & scissi respersus pulvere campi.
 Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
 Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat
 Coetibus assutum functis. quin cominus ipsa
 Fatorum deprensa colus: visoque paventes
 Augure, tunc demum rumpabant stamina Parcae.
 Illum & securi circumspexere fragorem
 Elysi, & si quos procul inferiore barathro
 Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.
 Tunc regemunt pigrique lacus, usque paludes,
 Umbriferaque fremit fulcator pallidus undæ,

Dissoluisse novo penitus telluris hiatu
Tartara, & admissos non per sua flumina Manes. 20
Forte sedens media regni infelcis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Poena catenas. 25
Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.
Vincit opus. juxta Minos cum fratre verendo
Iura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat. assistunt lacrimis atque igne tumentes
Cocytos Phlegetonque: & Styx perjuria Divum 30
Arguit. ille autem supera compage soluta,
Nec solitus sentire metus, expavit oborta
Sidera, jucundaque offensus luce profatur:
Quæ Superum labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras? vitæque silentes 35
Admovet? unde minæ? uter hæc mihi pœlia fratrum?
Congredior, pereant agedum discrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia viatum
Dejecit fortuna polo, mundumque nocentem
Servo. nec iste meus, dirisque en pervius astris 40
Inspicitur. tumidusne meas regnator Olympi
Explorat vires? habeo jam quassa Gigantum
Vincula, & æthereum cupidos exire sub axem
Titana, miserumque patrem, quid me otia moesta
Sævus, & implacidam prohibet perferre quietem? 45
Amissumque odiisse diem? pandam omnia regna
Si placet, & Stygio prætexam Hyperiona cœlo.
Arcada nec Superis (quid enim mihi nuntius ambas

Itque reditque domos?) emittam , & utrumque tenebo

Tyndariden. cur autem avidis Ixiona frango

Vorticibus? cur non exspectant Tantalos undæ?

Anne profanatum toties Chaos hospite vivo

Perpetiat? me Pirithoi temerarius ardor

Tentat , & audaci Theseus juratus amico:

Me ferus Alcides , tunc cum custode remoto

Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ.

Odrysii etiam pudet heu patuisse querelis

Tartara. vidi egomet blanda inter carmina turpes

Eumenidum lacrimas , iterataque pensa sororum.

Me quoque. sed duræ melior violentia legis.

Ast ego vix unum , nec celsa ad fidera furto

Ausus iter , Siculo rapui connubia campo :

Nec licuisse ferunt; injustaque ab Iove leges

Protinus , & seclum genitrix mihi computat annum.

Sed quid ego hæc? i , Tartareas ulciscere fedes ,

Tisiphone , & si quando novis asperrima monstris

Triste , insuetum , ingens , quod nondum viderit æther,

Ede nefas , quod mirer ego , invideantque forores.

Atque adeo fratres (nostrisque hæc omina sunt)

Prima odiis) fratres alterna in vulnera læto

Marte ruant. sit , qui rabidarum more ferarum

Mandat atrox hostile caput , qui que igne supremo

Arceat exanimis , & manibus æthera nudis

Commaculet. juvet ista ferum spectare Tonantem.

Præterea ne sola furor mea regna lacestat,

Quære Deis qui bella ferat , qui fulminis ignes ,

Infestumque Jovem clypeo fumante repellat.

Faxo hand sit cunctis levior metus , atra movere

50

55

60

65

70

75

- Tartara, frondenti quam jungere Pelion Ossa.
 Dixerat, atque illi jamdudum regia tristis 80
 Atremit oranti, suaque, & quæ desuper urget,
 Nutabat tellus, non fortius æthera vultu
 Torquet, & astriferos inclinat Iuppiter axes.
 At tibi quos (inquit) Manes, qui limite præceps
 Non licito per inane ruis? Subit ille minantem 85
 Jam tenuis visu, jam vanescenibus armis,
 Jam pedes, exstincto tamen interceptus in ore
 Augurii perdurat honos, obscuraque fronti
 Vitta manet, ramumque tenet morientis olivæ.
 Si licet, & sanctis hic ora resolvere fas est 90
 Manibus, o cunctis finitor maxime rerum,
 At mihi, qui quondam causas, elementaque noram,
 Et sator! oro, minas, stimulataque corda remulce,
 Neve ira dignare hominem, & tua jura timenter.
 Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi peccora?) raptus, 95
 Nec Venerem illicitam (crede his insignibus) ausi
 Intramus Lethen: fugiat nec tristis in antrum
 Cerberus, aut nostros timeat Proserpina currus.
 Augur Apollineis modo dilectissimus aris,
 Testor inane Chaos, (quid enim hic jurandus Apollo?) 100
 Crimine non ullo subeo nova fata: nec alma
 Sic merui de luce rapi. scit judicis urna
 Diæ, verumque potest deprendere Minos.
 Conjugis infidiis, & iniquo venditus auro
 Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum 105
 Umbrarum, & nostræ veniunt quoque funera dextræ,
 Non ignarus ini. subito me turbine mundi
 (Horret adhuc animus) mediis e millibus haufit

Nox tua. quæ mihi mens , dum per cava viscera terræ

Vado diu pendens , & in aere volvorum opero ?

Hei mihi ! nil ex me sociis , patriæque relictum ,

Vel captum Thebis. non jam Lernæa videbo

Tecta , nec attonito saltem cinis ibo parenti.

Non tumulo , non igne miser , lacrimisque meorum

Productus , toto pariter tibi funere veni ,

Nil istic ausurus equis. nec deprecor umbram

Accipere , & tripodum jam non meminisse meorum.

Nam tibi præfagi quisnam super auguris usus ,

Cum Parcae tua iussa trahant ? sed pectora flectas ,

Et melior sis , quæso , Deis. si quando nefanda

Huc aderit conjux , illi funesta resvera

Supplicia : illa tua , rector bone , dignior ira.

Accipit ille preces , indignaturque moveri.

Ut leo Massyli cum lux fletit obvia ferri ,

Tunc iras , tunc arma citat : si decidat hostis ,

Ire super satiæ est , vitamque relinquere victo.

Interea vittis , lauruque insignis opima

Currus , & egregiis modo formidatus in armis ,

Luce palam fusus nulli , nullique fugatus

Quæritur. absunt turmæ , suspestaque tellus.

Omnibus : infidi miles vestigia campi

Circumit , atque avidæ tristis locus ille ruinæ

Cessat , & inferni vitatur honore sepulcri.

Nuntius hortanti diversa in parte maniplos

Adgusto , vix ipse ratus vidisse Palæmon

Advolut , & trepidans (sternerat nam forte cadenti

Proximus) inspectoque miser pallebat hiatu.

Verte gradum : fuge , rector ait ; si Dorica saltem

110

115

120

125

130

135

Terra loco , patriæque manent , ubi liquimus , arcis.

Non armis , non sanguine opus . quid inutile ferrum

Stringimus in Thebas ? currus humus impia sorbet ,

Armaque bellantesque viros . fugere ecce videtur

Hic etiam , quo stamus , ager . vidi ipse profundæ

Noctis iter , ruptaque soli compage ruentem ,

Illum heu , præfagis quo nullus amicior astris ,

Ecliden , frustraque manus cum voce tetendi.

Mira loquor , sulcos etiamnum rector equorum ,

Fumantemque locum , & spumis madida arva reliqui .

Nec commune malum est : tellus agnoscit alumnos ,

Stat Thebana acies . stupet hæc , & credere Adrastrus

Cunctatur ; sed Mopsus idem , trepidusque ferebat .

Actor idem : nam fama novis terroribus audax

Non unum cecidisse refert . sponte agmina retro

Non exspectato revocantum more turbarum

Præcipitant : sed torpet iter , falluntque ruentes

Genua viros , ipsique (putes sensisse) repugnant

Cornipedes , nulloque truces hortamine parent ,

Nec celerare gradum , nec tollere lumina terra .

Fortius incurvant Tyrii : sed Vesper opacus

Lunares jam dicit equos . data foedere parvo

Moesta viris requies , & nox auctura timores .

Quæ tibi tunc facies , postquam permissa gemendi

Copia ? qui fletus galeis cecidere solutis ?

Nil solitum fessos juvat . abjecere madentes ,

Sicut erant , clypeos : nec quisquam spicula tergit ,

Nec laudavit equum , nitidæ nec cassidis altam

Comfit adornavitque jubam . vix magna levare

Vulnera , & efflantes libet internectere plagas .

140

145

150

155

160

165

Tantus ubique dolor. mensas alimentaque bello
 Debita , nec pugnæ suasit timor. omnia laudes , 17d
 Amphiarae , tuas , sœcundaque peſtora veri
 Commemorant lacrimis , & per tentoria sermo
 Unus , Abisse Deos , delapsaque numina caſtris.
 Heu ubi laurigeri currus ? follempniaque arma ?
 Et galeæ vittatus apex ? hoc antra , lacusque 175
 Caſtalii ? tripodumque fides ? ſic gratus Apollo ?
 Quis mihi fidereos lapsus , mentemque finiſtri
 Fulguris , aut cæſis ſaliat quod numen in extis ;
 Quando iter , unde moræ , quæ ſævis utilis armis ;
 Quæ pacem magis hora velit , quis jam omne futurum 180
 Proferet ? aut cum quo volucres mea fata loquentur ?
 Hos quoque bellorum caſus nobisque , tibique ,
 Præſcieras , & (quanta ſacro ſub peſtore virtus ?)
 Veniſti tamen , & miſeris comes additus armis.
 Et cum te tellus , fatalisque hora vocaret , 185
 Tu Tyriaſ acies , adverſaque ſigna , vacaſti
 Sternere. tunc etiam media de morte timendum
 Hoſtibus , iñfestaque abeuntem vidimus hasta.
 Et nunc te quis caſus habet ? poterisne reverti
 Sedibus a Stygiis , altaque erumpere terra ? 190
 Anne ſedes hilariſ juxta tua numina Parcas ?
 Et vice concordi diſcis ventura , doceſque ?
 An tibi felices lucos miſeratus Averni
 Reſtor , & Elysias dedit iñſervare volucres ?
 Quidquid es , æternus Phœbo dolor , & nova clades 195
 Semper eris , mutiſque diu plorabere Delphis.
 Hic Tenedon , Cyrrhamque dies , partuque ligatam
 Delon , & intonſi cludet penetralia Branchi.

Nec Clarias hac luce fores , Didymæaque quisquam
Limina , nec Lyciam supplex consultor adibit.

200

Quin & cornigeri vatis nemus , atque Molossi
Quercus anhela Jovis , Troianaque Thymbra tacebit.
Ipsi amnes , ipsæque volent arescere laurus.

Ipse nihil certum sagis clangoribus æther
Præcinet , & nulla ferientur ab alite nubes.

205

Jamque erit ille dies , quo te quoque conscia fati
Templa colant , reddatque tuus responsa sacerdos:
Talia satidico peragunt sollemnia regi ,

Ceu flamas , ac dona rogo , tristesque repandant
Exsequias , mollique animam tellure reponant.

210

Fracta dehinc cunctis , averfaque pectora bello.

Sic fortis Minyas subito cum funere Tiphys
Desstituit , non arma sequi , non ferre videtur
Remus aquas , ipsique minus jam ducere venti.

Jam fessis gemitu panlatim corda levabat

215

Exhaustus sermone dolor , noxque addita curas
Obruit , & facilis lacrimis irrepere somnus.

At non Sidoniam diversa in parte per urbem

Nox eadem . vario producunt fidera ludo

220

Ante domos , intraque : ipsæque ad moenia marcent
Excubiae . gemina æra sonant , Idæaque terga ,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Tunc dulces Superos atque omne ex ordine alumnum

Numen , ubique sacri resonant Pæanes , ubique

Serta , coronatumque merum . nunc funera rident

225

Auguris ignari , contraque in pectore certant

Tiresiam laudare siuum . nunc facta revolvunt

Majorum , veteresque canunt ab origine Thebas:

Hi mare Sidonium , manibusque attrita Tonantis
Cornua , & ingenti sulcatum Nerea tauro :

230

Hi Cadmum , laßamque bovem , foetosque cruenti
Martis agros : alii Tyriam reptantia saxa

Ad chelyn , & duras animantem Amphiona cautes :

Hi gravidam Semelen : illi Cythereia laudant

Connubia , & multa deductam lampade fratum

235

Harmoniem : nullis deest sua fabula mensis.

Ceu modo gemmiferum thyro populatus Hydaspen ,

Eoasque domos , nigri vexilla triumphi

Liber , & ignotos populis ostenderet Indos .

Tum primum ad cœtus , sociæque ad fœdera mensæ

240

Semper inaspectum , diraque in sede latentem ,

Edipoden exisse ferunt , vultuque sereno

Caniciem nigram squallore , & sordida fusis

Ora comis laxasse manu , sociumque benignos

Adfatus , & abacta prius solatia passum :

245

Quin haufisse dapes , insiccatumque cruem

Dejecisse genis . cunctos auditque , resertque ,

Qui Ditem , & Furias tantum , & si quando regentem

Antigonem , moctis solitus pulsare querelis .

Causa latet . non hunc Tyrii fors prospera belli ;

250

Tantum bella juvant . natum hortaturque , probatque ,

Nec vicisse velit ; sed primos cominus enses .

Et scelerum tacito rimatur semina voto .

Inde epulæ dulces , ignotaque gaudia vultu .

Qualis post longæ Phineus jejunia pœnæ ,

255

Nil stridere domi volucres ut sensit abactas ,

(Nec dum tota fides) hilaris , mensisque , torosque ,

Nec turbata feris tractavit pocula pennis .

- Cetera Grajorum curis armisque jacebat
 Fessa cohors : alto castrorum ex aggere Adraustus 260
 Lætificos tenui captabat corde tumultus,
 Quanquam æger senio ; sed agit miseranda potestas
 Invigilare malis. illum æteus undique clamor
 Thebanique urunt sonitus , & amara lacefit
 Tibia , tum nimio voces marcore superbæ , 265
 Incertæque faces , & jam male pervigil ignis.
 Sic ubi per fluetus uno ratis obruta somno ,
 Conicuit , tantique maris fecira juventus
 Mandavere animas ; solis stat puppe magister
 Pervigil , inscriptaque Deus qui navigat alno. 270
 Tempus erat , junctos cum jam soror ignea Phœbi
 Sentit equos , penitusque cavam sub luce parata
 Oceani mugire domum , feseque vagantem.
 Colligit , & moto leviter fugat astra flagello.
 Concilium rex triste vocat : quæruntque gementes , 275
 Quis tripodas successor agat ? quo prorita laurus
 Transeat , atque orbum vittæ decus ? haud mora , cuncti
 Insignem fama , sanctoque Melampode cretum
 Thiodamanta volunt ; quicum ipse arcana Deorum
 Partiri , & visas uni sociare solebat 280
 Amphiaraus aves , tantæque haud invidus artis
 Gaudebat dici similem , juxtaque secundum.
 Illum ingens confundit honos , inopinaque turbat
 Gloria , & oblatas frondes submissus adorat ,
 Seque oneri negat esse parem , cogique meretur. 285
 Sicut Achæmenius solium gentesque paternas
 Excepit si forte puer , cui vivere patrem
 Tuitius , incerta formidine gaudia librat,

An fidi proceres , ne pugnet vulgus habenis ;
 Cui latus Euphratæ , cni Caspia limina mandet . 290
 Sumere tunc arcus , ipsumque onerare veretur
 Patris equum , visusque sibi nec sceptra capaci
 Sustentare manu , nec adhuc implere tiaram .
 Atque is ubi intorto signavit vellere crinem ,
 Convenitque Deis , hilari per castra tumultu 295
 Vadit ovans : ac , prima sui documenta , sacerdos
 Tellurem placare parat . nec futile moestis
 Id visum Danais . geminas ergo ilicet aras
 Arboribus vivis , & adulto cespite texi
 Imperat , innumerosque Deæ sua munera flores ; 300
 Et cumulos frugum , & quidquid novat integer annus
 Addit , & intacto spargens altaria lacte
 Incipit : O hominum Divumque æterna creatrix ,
 Quæ fluvios , silvasque , animarum & semina mundi
 Cuncta , Prometheasque manus , Pyrrhæaque saxa . 305
 Gignis , & impastis quæ prima alimenta dedisti ,
 Mutaſtique vices , quæ pontum ambisque , velisque ,
 Te penes & pecudum gens mitis , & ira ferarum ,
 Et volucrum requies , firmum atque immobile mundi
 Robur inoccidui ! te velox machina cœli 310
 Aere pendentem vacuo , te currus uterque
 Circumit . o rerum media , indivisaque magnis
 Fratribus ! ergo simul tot gentibus alma , tot altis
 Urbibus , ac populis , subterque , ac desuper una
 Sufficis , astriferumque domos Atlanta supernas 315
 Ferre laborantem , nullo vehis ipsa labore ,
 Nos tantum portare negas ? nos , Diva , gravaris ?
 Quod , precor , ignari luimus scelus ? an quia plebes

- Externa, Inachiis hic adventamus ab oris?
 Omne homini natale solum: nec te, optima, saevo
 Tanquam humiles populos deceat distinguere fine,
 Undique ubique tuos. maneas communis, & arma
 Hinc atque inde feras. liceat, precor, ordine belli
 Pugnaces efflare animas, & reddere celo.
 Ne rape tam subitis spirantia corpora bustis,
 Ne propera. veniemus enim, quo limite cuncti,
 Qua licet ire via. tantum exorata Pelasgis
 Siste levem campum, celeres neu præcipe Parcas.
 At tu care Deis, quem non manus ulla, nec enses
 Sidonii, sed magna finu Natura soluto,
 Ceu te Cyrrhae meritum tumularet hiatu,
 Sic amplexa coit, hilaris des, oro, precatus
 Nosse tuos, cœloque, & vera monentibus aris
 Concilies, & quæ populis proferre parabas,
 Me doceas. tibi sacra feram præsaga, tuique
 Numinis interpres, te Phœbo absente vocabo.
 Ille mihi Delo Cyrrhaque potentior omni
 Quo ruis, ille adytis melior locus. Hæc ubi dīcta,
 Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit
 Armenta, ac vivis cumulos undaniis arenæ
 Aggerat, & vati mortis simulacra rependit.
 Talia apud Graios, cum jam Mavortia contra
 Cornua, jam saevos fragor æreus excitat enses.
 Addit acerba sonum Theumesi e vertice crinem
 Incutiens, acutique tubas & fibila miscet
 Tisiphone: stupet insolito clangore Cythæron
 Marcidus, & turres carmen non tale secutæ.
 Jam trepidas Bellona fores, armataque pulsat

Statius.

Z

320

325

330

335

340

345

- Limina , jam multo laxantur cardine Thebæ.
 Turbat eques pedites, currus properantibus obstant, 350
 Ceu Danai post terga premant: sic omnibus alæ
 Arctantur portis, septemque excursibus hærent.
 Ogygiis it sorte Creon, Etheoclea mittunt
 Neitæ, celsas Hamoloïdas occupat Hæmon,
 Hypsea Præfides, celsum fudere Dryanta 355
 Electræ, quatit Hypsistas manus Eurymedontis,
 Culmina magnanimus stipat Dircæa Menœcens.
 Qualis ubi adverfi secretus pabula coeli
 Nilus, & Eoas magno bibt ore pruinæ,
 Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis 360
 In mare fert hiemes. penitus cessere fugatæ
 Nereïdes, dulcique timent occurrere ponto.
 Tristis at inde gradum tarde movet Inacha pubes
 Præcipue Elææ, Lacedæmoniæque cohortes,
 Et Pylii. subitum nam Thiodamanta sequuntur 365
 Augure fraudati, nec dum accessere regenti.
 Nec tua te, princeps tripodum, sola agmina quærunt:
 Cuncta phalanx fibi deesse putat. minor ille per alas
 Septimus exstat apex. liquido velut æthere, nubes
 Invida Parrhasiis unum si detrahat astris 370
 Truncus honor plaustrî, nec idem nitet igne reciso
 Axis, & incerti numerant sua fidera nautæ.
 Sed jam bella vocant. alias nova suggere vires
 Calliope, majorque chelyn mihi tendat Apollo.
 Fatalem populis ultro poscentibus horam 375
 Admovet atra dies: Stygiisque emissâ tenebris
 Mors fruitur coelo, bellatoremque volando
 Campum operit, nigroque viros invitat hiatu;

- Nil vulgare legens: sed quæ dignissima vita
 Funera, præcipuos annis animisque cruento 380
 Angue notat; jamque in miseros pensum omne sororum
 Scinditur, & Furiæ rapuerunt licia Parcis.
 Stat medius campis etiamnum cuspide sicca
 Bellipotens, jamque hos clypeum, jam verrit ad illos
 Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos. 385
 Pellitur & patriæ, & qui mente novissimus exit,
 Lucis amor: tenet in capulis, hastisque paratas
 Ira manus, animusque ultra thoracas anhelus
 Conatur, galeæque tremunt horrore comatum.
 Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem
 Cornipedes, niveoque rigant sola putria nimbo, 390
 Corpora ceu mixti dominis, irasque sedentum
 Induerint: sic frena terunt, sic prælia poscunt
 Hinnitu, tolluntque armos, equitemque supinant.
 Jamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis
 Incipit, & spatiis utrinque æqualibus acti
 Adventant, mediumque vident decrescere campum.
 Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
 Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.
 Sic obnixa acies pariter suspiria firmant, 400
 Admotæque nitent aliena in casside crista.
 Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni,
 Plena armenta viris, nulli sine præside currus,
 Arma loco, splendent clypei, pharetræque decoræ,
 Cingulaque, & nondum deformè cruoribus aurum. 405
 At postquam rabies, & vitæ prodiga Virtus
 Emisere animos, non tanta cadentibus Höedis
 Aeriam Rhodopen solida nixe verberat Arctos,

Nec fragor Aufoniæ tantus , cum Juppiter omni
 Arce tonat , tanta quatitur nec grandine Syrtis ,
 Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbræ.
 Exclusere diem telis , stant ferrea cœlo
 Nubila , nec jaculis arctatus sufficit aer.

Hi pereunt missis , illi redeuntibus hastis :
 Concurrunt per inane fudes , & mutua perdunt
 Vulnera , concurrunt hastæ , stridentia fundæ
 Saxa pluunt , volucres imitantur fulgura glandes ,
 Et formidandæ non una morte sagittæ.

Nec locus ad terram telis : in corpora ferrum ,
 Omne cadit . sæpe ignari perimuntque , caduntque ,
 Casus agit Virtutis opus : nunc turba recedit ,
 Nunc premit , ac vicibus tellurem amittit , & aufert :
 Ut ventis nimbisque minax cum solvit habenas
 Juppiter , affligitque alterno turbine mundum.
 Stat cœli diversa acies , nunc fortior Aufstri ,
 Nunc Aquilonis hiems , donec pugnante procella

Aut nimiis hic vicit aquis , aut ille sereno.

Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
 Æbalias (namque hæ magnum & gentile tumentes
 Euboicum duris rumpunt umberibus agmen)

Reppulit erepto cunei ductore Menalca.

Hic & mente Lacon , crudi torrentis alumnus
 (Nec turpavit avos) hastam intra pectus euntem
 (Ne pudor in tergo) per & ossa & viscera retro
 Extrahit , atque hosti dextra labente remittit
 Sanguineam . dilecta genis morientis oberrant
 Taygeta , & pugnæ , laudataque verbera matri .
 Phædimon lafiden arcu Dircæus Amyntas

410

415

420

425

430

435

Destinat. heu celeres Parcae ! jam palpitat arvis
 Phædimus, & certi nondum tacet arcus Amyntæ.
 Abstulit ex humero dextram Calydonius Agreus
 Phegeos. illa suum terra tenet improba ferrum,
 Et movet : extimuit sparsa inter tela jacentem
 Progrediens, truncamque tamen percussit Acetes.

Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulsit Hypseus : 445
 Stravit Abanta Pheres : diversaque vulnera flentes,
 [Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruentem,]
 Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga jacebant.

Inachidæ gemini geminos ex sanguine Cadmi
 Occultos galeis (sæva ignorantia belli). 450

Perculerant ferro : sed dum spolia omnia cæsis
 Eripunt, videre nefas, & moestus uterque
 Respicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.

Cultor Ion Pisæ, cultorem Daphne Cyrrhæ
 Turbatis prostravit equis. hunc laudat ab alto
 Juppiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo.

Ingentes Fortuna viros illustrat utrinque
 Sanguine in adverso. Danaos Cadmeius Hæmon
 Sternit, agitque furens : sequitur Tyria agmina Tydeus.

Hunc Pallas præfens, illum Tirynthius implet. 460

Qualiter hiberni summis duo montibus amnes
 Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina.

Contendisse putas, uter arva, arbustaque tollat,
 Alius aut superet pontes. ecce una receptas

Confudit: jam vallis aquas : fibi quisque superbus
 Ire cupit, pontoque negant descendere mixti.

Ibat sumiferam quatiens Onchestius Idas

Lampada per medios, turbabatque agmina Grajum,

Igne viam rumpens: magno quem cominus istu
Tydeos hasta feri, discussa casside fixit.

Ille ingens in terga jacet, stat fronte superstes
Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ.
Prosequitur Tydeus: Sævös ne dixeris Argos:
Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde.

Inde velut primo tigris gavisa cruento

Per totum cupit ire pecus: sic Aona saxon,
Ense Pholum, Chromin ense, duos Helicaonas hastas
Transigit, Ægeæ Veneris quos Mæra sacerdos
Ediderat, prohibente Dea. vos præda cruenti

Tydeos: it sævas etiamnum mater ad aras.

Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona dicit
Sanguis: inexpleto rapitur per millia ferro,
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenæ
Agmina, nunc moestæ fundens Pleuronis alumnos:

Donec in Olenium fessa jam cuspidè Buten

Inedit. hunc turmis obversum, & abire vetantem
Agreditur. puer ille, puer, malisque comamque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis

In galeam librata venit. finduntur utrinque

Tempora, dividuique cadunt in brachia crines,

Et non hoc metuens inopino limite vita

Exsilit. tunc flavum Hypanin, flavumque Politen

(Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Sævus uterque Deus) viëtis Hyperenoræ jungit

Conversumque fuga Damasum: sed lapsa per armos

Hasta viri trans pectus abit, parvamque tenenti

Excudit, & summa fugiens in cuspidè portat.

Sterneret adversos etiamnum Ismenius Hæmona

470

475

480

485

490

495

- Inachidas (nam tela regit , viresque ministrat
 Amphitryoniades) fævum sed Tydea contra 500
 Pallas agit. jamque adverso venere favore
 Cominus , & placido prior hæc Tirynthius ore :
 Fida soror , quænam hunc belli caligine nobis
 Congressum Fortuna tulit ? num regia Juno
 Hoc molita nefas ? citius me fulmina contra 505
 (Infandum) ruere , & magno bellare parenti
 Aspiciat. genus huic : sed mitto agnoscere , quando
 Tu diversa foves . nec si ipsum cominus Hyllum
 Tydeos hasta tui , Stygioque ex orbe remissum
 Amphitryona petat. teneo , æternumque tenebo 510
 Quantum hæc diva manus , quoties sudaverit ægis
 Ista mihi , duris famulus cum casibus omnes
 Lustro vagus terras : ipsa heu comes , invia mecum
 Tartara , ni superos Acheron excluderet , isses.
 Tu patrem , cœlumque mihi. quis tanta relatu. 515
 Æquet ? habe totas , si mens exscindere , Thebas.
 Cedo equidem , veniamque precor. Sic orsus abibat.
 Pallada mulcet honos. rediit ardore remisso
 Vultus , & erecti federunt pectoris angues.
 Sentit abisse Deum. levius Cadmeius Hæmon 520
 Tela rotat , nulloque manum cognoscit in ictu.
 Tunc magis , atque magis vires animusque recedunt ,
 Nec pudor ire retro. cedentem Acheloïus heros
 Impedit , & librans uni sibi missile telum ,
 Direxit jactus , summæ qua margine parvæ 525
 Ima sedet galea , & juguli vitalia lucent.
 Nec frustrata manus , mortemque invenerat hasta ;
 Sed prohibet , paulumque humeri libare sinistri.

Præbuit, & merito parcit Tritonia fratri.

Ille tamen nec stare loco, nec cominus ire

Amplius, aut vultus audet perferre cruentum

Tydeos: ægra animo vis, ac fiducia cessit.

Qualis fetigeram Lucana cuspide frontem

Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro

Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras

Frangit, & expertæ jam non venit obvius hastæ:

Ecce, ducem turmæ, certa indignatus in hostem

Spicula, felici Prothoum torquere lacerto

Turbidus Ænides, una duo corpora pinu

Cornipedemque, equitemque ferit. ruit ille ruentein

In Prothoum, lapsaque manu quærentis habens

In vultus galeam, clypeumque in pectora calcat,

Saucius extremo donec cum sanguine frenos

Respuit, & juncta domino cervice recumbit.

Sic ulmus, vitisque, duplex jactura coloni

Gaurano de monte cadunt: sed mœstior ulmus

Quærit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens,

Quam gemit assuetas, invitaque proterit uvas.

Sumserat in Danaos Heliconius arma Chorœbus

Ante comes Mufis, Stygii cui conscia penfi

Ipsa diu inspeftis letum prædixerat astris

Uranie: cupit ille tamen, pugnasque virosque

Forfitan ut caneret. longa jacet ipse canendus.

Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.

Paetus Agenoream primis Atys ibat ab annis

Ismenen (Tyrii juvenis non advena belli,

Quamvis Cyrrha domus: soceros nec tristibus actis.

Adversatus erat) sponsam, cui castus amanti

530.

533.

540.

543.

550.

553.

- Squallor, & indigni commendat gratia luctus.
 Ipse quoque egregius: nec pectora virginis illi 560
 Diversa, inque vicem, fineret Fortuna, placebant.
 Bella vetant tædas, juvenique hinc major in hostes
 Ira: ruit primis immixtus, & agmina Lernæ
 Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis;
 Ceu spectetur, agit. triplici velaverat ostro 565
 Surgentes etiamnum humeros, & levia mater
 Pectora. tunc ayro phaleras, auroque sagittas
 Cingulaque, & manicas (ne conjuge vilius iret)
 Preßerat, & mixtum cono crispa verat aurum.
 Talibus heu fidens vocat ultro in prælia Grajos. 570
 Ac primum faciles grassatus cuspidi turmas
 Arma refert sociis, & in agmina fida, peracta
 Cæde, redit. sic Hyrcana leo Caspius umbra
 Nudus adhuc, nulloque jubæ flaventis honore
 Terribilis, magnique etiamnum sanguinis infons; 575
 Haud procul a stabulis captat custode remoto
 Segne pecus, teneraque famem consumit in agna.
 Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus
 Tydea non timuit: fragilique laceſſere telo
 Sæpius infrendingentem aliis, aliosque sequentem 580
 Ausus erat. tandem invalidos Ætolus ad ietus
 Forte refert oculos, & formidabile ridens:
 Iamdudum video, magnum cupis, improbe, leti
 Nomen, ait. simul audacem non ense, nec hasta
 Dignatus, leviter digitis imbelli solutis 585
 Abjecit jaculum: latebras tamen inguinis alte
 Missile, ceu totis intortum viribus haufit.
 Præterit haud dubium fati, & spoliare superbit

Enides: Neque enim has Marti , aut tibi , bellica Pallas;
 Exuvias figemus , ait. procul arceat ipsum 590
 Ferre pudor: vix si bellum comitata relictis
 Deiphile thalamis , illi illudenda tulisset.
 Sic ait : & belli majora ad præmia mente
 Dicitur. innumeris veluti leo forte potitus
 Cædibus , imbelles vitulos , mollesque juvencas 595
 Transmittit : magno furor est in sanguine mergi ,
 Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
 At non semianimi clamore Menceæa lapsus
 Fallit Atys. prævertit equos , curruque citato
 Desilit. instabat pubes Tegeæa jacenti , 600
 Nec prohibent Tyrii. Pudeat , Cadmea juventus ,
 Terrigenas mentita patres , quo tenditis , inquit ,
 Degeneres ? meliusne jacet pro sanguine nostro
 Hospes Atys? tantum hospes adhuc , & conjugis ulti
 Infelix nondum iste suæ. nos pignora tanta 605
 Prodimus ? insurgunt justo firmata pudore
 Agmina , cuique suæ rediere in peñora curæ.
 Interea thalami secræta in parte forores ,
 Par aliud morum , miserique innoxia proles
 Edipodæ , varias miscent sermone querelas. 610
 Nec mala quæ juxta , sed longa ab origine fati ;
 Hæc matris tædas , oculos ast illa paternos ,
 Altera regnantem , profugum gemit altera fratrem ,
 Bella ambæ. gravis hinc miseri cunctatio voti.
 Nutat utroque timor , quemnam hoc certamine victum ; 615
 Quem viciisse velint : tacite præponderat exsul.
 Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
 Hospitia , atque larem bruma pulsante relustum ,

Stantque super nidos veterisque exordia fati
 Enarrant teetis, & truncum ac flebile murmur 620
 Verba putant; voxque illa tamen non diffona verbis.
 Atque ibi post lacrimas, & longa silentia rursus
 Inchoat lsimene: Quisnam hic mortalibus error?
 Quæ decepta fides? cutam invigilare quieti,
 Claraque per somnos animis simulacra reverti? 625
 Ecce ego, quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
 Tractarem sensu (pudet heu) connubia vidi
 Nocte, soror, sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens
 Vix notum visu, semel his in sedibus illum,
 Dum mea nescio quo spondentur foedera pacto 630
 Respexi non sponte, soror, turbata repente
 Omina cernebam, subitusque intercidit ignis,
 Meque sequebatur rabido clamore reposcens
 Mater Atyn, quænam hæc dubia præfigia cladis?
 Nec timeo, dum tuta domus, milesque recedat 635
 Doricus, & tumidos liceat componere fratres.
 Talia necebant, subito cum pigra tumultu
 Expavit domus, & multo sudore receptus
 Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo;
 Cui manus in plaga, dependet languida cervix 640
 Exterior clypeo, crinesque a fronte supini.
 Prima videt, caramque tremens locasta vocabat
 Ismenen, namque hoc solum moribunda precatur
 Vox generi: solum hoc gelidis jam nomen inerrat
 Faucibus, exclamat famulæ: tollebat in ora
 Virgo manus: tenuit sœvus pudor: attamen ire 645
 Cogitur, indulget summum hoc locasta jacenti,
 Ostenditque offertque, quater jam morte sub ipsa

Ad nomen visus , dejectaque fortiter ora
 Sustulit : illam unam neglecto lumine cœli
 Aspicit , & vultu non exsatiatur amato.

656

Tunc quia nec genitrix juxta , positusque beata
 Morte pater , sponsæ munus miserabile tradunt ,
 Declinare genas . ibi demum teste remoto
 Fassa pios gemitus , lacrimasque in lumina fudit.
 Dumque ea per Thebas , aliis serpentibus ardens
 Et face mutata bellum integrabat Enyo.

658

Arma volunt , primos veluti modo cominus ictus
 Sustulerint , omnisque etiamnum luceat ensis.

660

Eminet Ænides ; quamvis & arundine certa
 Parthenopæus agat , morientumque ora furenti
 Hippomedon proculcet equo , Capaneaque pinus
 Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.

Tydeos illa dies : illum fugiuntque , tremuntque ,
 Clamantem : Quo terga datis ? licet ecce peremtos
 Ulcisci socios , moestamque rependere noctem.

663

Ille ego inexpletis solus qui cædibus hausi
 Quinquaginta animas : totidem , totidemque gregati
 Ferte manus . nulline patres , nulline jacentum
 Unanimi fratres ? quæ tanta oblivia luctus ?

670

Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenæ !
 Hinc super Thebis ? hæc robora regis ? ubi autem
 Egregius dux ille mihi ? simul ordine lævo

Ipsum exhortantem cuneos , capitisque superbè
 Insignem fulgore videt . nec segnius ardens
 Accurrit , niveo quam flammiger ales olori
 Imminet , & magna trepidum circumligat umbra.

675

Tunc prior : Aonia rex o justissime gentis ,

Emus in arma palam ; tandemque ostendimus enses ?

An noctem & solitas placet exspectare tenebras ?

680

Ille nihil contra , sed stridula cornus in hostem

Ir referens mandata ducis , quam providus heros

Jam jam in fine viæ percussam obliquat , & ipse

Telum ingens avide , & quanto non ante lacerto

Impulit : ibat atrox finem positura duello

685

Lancea. convertere oculos utrinque faventes

Sidonii Grajique Dei : crudelis Erinnys

Obstat , & infando differt Etheoclea fratri.

Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit , ubi ingens

Pugna virum : stricto nam sævior irruit ense

690

Ætolus , retroque datum Thebana tegebant

Arma ducem . sic densa lupum jam nocte sub atra

Arcet ab appenso pastorum turba juvenco :

Improbis erigitur contra , nec cura vetantes

Impetere , illum , illum , semel in quem venerat , urget . 695

Non secus objectas acies , turbamque minorem

Diffimulat , transfitque manu . tamen ora Thoantis

Pectora Deilochi , Clonii latus , ilia torvi

Perforat Hippotadæ . truncis sua membra remittit

Interdum , galeasque rotat per nubila plenas .

700

Et jam corporibus fese , spoliisque cadentum

Clauserat : unum acies circum consumitur , unum

Omnia tela vovent : summis hæc ossibus hærent ,

Pars frustrata cadunt , partem Tritonia vellit ,

Multa rigent clypeo . densis jam confitus hastis

705

Ferratum quatit umbo nemus , tergoque fatiscit

Atque humeris gentilis aper : nusquam ardua coni
 Gloria , quiq[ue] apicem torvæ Gradivus habebat
 Cæstidis , haud lætum domino ruit omen. inusta
 Temporibus nuda æra sedent , circumque sonori
 Vertice percusso , volvuntur in arma molares.

Jam crux in galea , jam faucia proliuit ater
 Pectora permixtus sudore , & sanguine torrens.

Respicit hortantes socios , & Pallada fidam ,
 Longius opposita celantem lumina parma :

Ibat enim magnum lacrimis infletere patrem.

Ecce secat Zephyros ingentem fraxinus iram
 Fortunamque ferens : teli non eminet auctor.

Astacides Menalippus erat ; nec prodidit ipse ,
 Et veller latuisse manum : sed gaudia turmæ

Monstrabant trepidum. nam flexus in ilia Tydeus
 Summissum latus , & clypei laxaverat orbem.

Clamorem Aonii miscent gemitumque Pelasgi ,
 Objectantque manus , indignantemque tuentur.

Ille per oppositos , longe rimatus , amarum ,
 Astaciden , totis animæ se cogit in iustum

Relliquis , telumque jacit , quod proximus Hopleus
 Præbuerat : perit expressus conamine sanguis.

Tunc tristes socii cupidum bellare , (quis ardor !)

Et poscentem hastas , mediaque in morte negantem
 Exspirare , trahunt , summiique in margine campi

Effultum gemina latera inclinantia parma

Ponunt , ac sævi rediturum ad prælia Martis

Promittunt flentes . sed & ipse recedere cœlum ;

710

715

720

725

730

Ingentesque animos extremo frigore labi
 Sensit, & innixus terræ, Miserefcite, clamat,
 Inachidæ. non ossa precor referantur ut Argos,
 Ætolumve larem: nec enim mihi cura supremi
 Funeris. odi artus, fragilemque hunc corporis usum
 Desertorem animi. caput, o caput, o mihi si quis
 Apportet, Menalippe, tuum! nam volveris arvis:
 Fido, equidem; nec me virtus suprema fefellit.

740

I, precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam,
 Hippomedon. vade, o primis puer inclyte bellis
 Arcas, & Argolicæ Capaneu jam maxime turmæ.
 Moti omnes: sed primus abit, primusque repertum
 Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit
 Spirantem, lævaque super cervice reportat,
 Terga cruentantem concusſi vulneris unda.

745

Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
 Captivumque suem clamantibus intulit Argis.
 Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, & amens
 Lætitiaque, iraque, ut singulantia vidit
 Ora, trahique oculos, feseque agnovit in illo:
 Imperat abſcisum porgi, lævaque receptum
 Speſtat atrox hostile caput, gliscitque repentis
 Lumina torva videns, & adhuc dubitantia figi.
 Infelix contentus erat, plus exigit ultrix

755

Tisiphone. jamque inflexo Tritonia patre
 Venerat, & misero decus immortale ferebat,
 Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
 Aspicit, & vivo scelerantem sanguine fauces.

760

Nec comites auferre valent. stetit aspera Gorgo

Crinibus emissis, rectique ante ora cerastræ

Velavere Deam, fugit aversata jacentem,

Nec prius astra subit, quam mystica lampas, & insens

Hissos multâ purgavit lumina lympha.

P. PAPINII STATII
 THEBAIDOS
 LIBER IX.

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
 Tydeos. ipsi etiam minus ingemuere jacentem
 Inachidæ , culpantque virum , & rupisse queruntur
 Fas odii. quin te , Divum implacidissime , quanquam
 Præcipuum tunc cædis opus , Gradive , furebas ,
 Offensum virtute ferunt : nec cominus ipsum
 Ora , sed & trepidos retro torfisse jugales.
 Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
 Vulnere , non aliis ultum Cadmeia pubes
 Insurgunt stimulis , quam si turbata sepulcris
 Offsa patrum , monstrisque datae crudelibus urnæ.
 Accendit rex ipse super : Quisquamne Pelasgis
 Mitis adhuc , hominemque gerit ? jam morsibus uncis
 (Pro furor ! usque adeo tela exsatiavimus ?) artus
 Dilacerant. nonne Hyrcanis bellare putatis
 Tigribus : aut sævos Libyæ contraire leones ?
 Et nunc ille jacet (pulchra o solatia leti)
 Ore tenens hostile caput , dulcique nefandus

Statius.

A a

Immoritur tabo. nos ferrum mite , facesque :
 Illis nuda odia , & feritas jam non eget armis. 23
 Sic petagant rabidi , claraque hac luce fruantur ,
 Dum videoas hæc , summe pater. sed enim hiscere campos
 Conquesti , terræque fugam miserantur. an istos
 Vel sua portet humus ? Magno sic fatus agebat
 Procursu fremituque viros. furor omnibus idem
 Tydeos invisi spoliis , raptoque potiri 25
 Corpore. non aliter subtexunt astra catervæ
 Incestarum avium , longe quibus aura nocentem
 Aera , desertaque tulit sine funere mortes :
 Illo avidæ cum voce ruunt, sonat arduus æther
 Plausibus , & cœlo volucres cessere minores.
 Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
 Spargitur in turmas , solito pernicior index
 Cum lugenda refert ; donec cui maxima fando
 Damna vehit , trepidas lapsa est Polynicis ad aures. 33
 Dirigit juvenis , lacrimæque hæfere paratæ ,
 Et cunctata fides. nimium nam cognita virtus
 Cœnidæ , credi letum suadetque vetatque.
 Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est ,
 Nox oculos , mentemque rapit. tum sanguine fixo 40
 Membra simul , simul arma ruunt. madet ardua fletu
 Jam galea , atque ocreæ clypeum exceperat cadentem.
 It moestus genua ægra trahens , hastamque sequentem ,
 Vulneribus ceu mille gravis , totosque per artus
 Saucius. affixunt socii , monstrantque gementes. 45
 Tandem ille abjectis , vix quæ portaverat , armis ,
 Nudus in egregii vacuum jam corpus amici
 Procidit , & tali lacrimas cum voce profudit :

Habne tibi , armorum spes o suprema meorum ,

Cenide , grates ? hæc præmia digna rependi ?

Nudus ut invisa Cadmi tellure jaceres

Sospite me ? nunc exful ego æternumque fugatus ,

Quando alius misero , ac melior mihi frater ademitus.

Nec jam sortitus veteres , regnique nocentis

Perjurum diadema peto. quo gaudia tanti

Emita mihi ? aut sceptrum , quod non tua dextera tradet ?

Ite , viri , solumque fero me linquite fratri.

Nil opus arma ultra tentare , & perdere mortes :

Ite , precor. quid jam dabitis mihi denique majus ?

Tydea consumsi : quanam hoc ego morte piabo ?

O socer , o Argi ! & primæ bona jurgia noctis ,

Alternæque manus , & longi pignus amoris

Ira brevis. non me ense tuo tunc , maxime Tydeu ,

(Et poteras) nostri maestatum in limine Adraſti ?

Quin etiam Thebas me propter , & impia fratris

Tecta libens , unde hand alius remeaffet , adisti :

Ceu tibimet sceptra & proprios laturus honores .

Jam Telamona pium , jam Thesea fama tacebat.

Qualis & ecce jaces ? quæ primum vulnera mirer ?

Quis tuus hic , quis ab hoste crux ? quæ te agmina , quive

Innumeri stravere globi ? ni fallor , & ipſe

Invidit pater , & tota Mars impulit hasta.

Sic ait , & moerens etiamnum lubrica tabo

Ora viri tergit lacrimis , dextramque reponit.

Tune meos hostes hucusque exosus ? & ultra

Sospes ego ? exuerat vagina turbidus ensem ,

Aptabatque neci : comites tenuere , socerque

Castigat , bellique vices ac fata revolvens

50

55

60

65

70

75

Solatur tumidum, longeque a corpore caro
 Paulatim, unde dolor, letique animosa voluntas, 80
 Amovet, ac tacite ferrum inter verba reponit.
 Dicitur, amissio qualis conforte laborum
 Deserit inceptum media inter jugera sulcum
 Taurus iners, colloque jugum deforme remisso
 Parte trahit, partem lacrimans sustentat arator.
 Ecce autem hortatus Etheoclis, & arma secuti,
 Lepta manus, juvenes, quos nec Tritonia bello,
 Nec prope collata sprevisset cuspidie Mavors,
 Adventant. contra collecta ut pectora parmæ
 Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret 90
 Arduus Hippomedon. ceu fluctibus obvia rupes,
 Cui neque de cœlo metus, & fracta æquora cedunt,
 Stat cunctis immota minis: timet ipse rigentem
 Pontus, & ex alto miseræ novere carinæ.
 Tunc prior Aonides: (validam simul elicit hastam) 95
 Non pudet hos Manes, hæc infamantia bellum
 Funera, Dis coram, & cœlo inspectante tueri?
 Scilicet egregius sudor memorandaque Virtus
 Hanc tumulare feram? ne non mœrentibus Argos
 Exsequiis lacrimandus eat? mollique ferebro
 Infandam ejectans saniem? dimittite curam.
 Nullæ illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse;
 Si demus, pius ignis edat. nec plura: sed ingens
 Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
 Transmissumque tamen clypei stetit orbe secundo. 105
 Inde Pheres, acerque Lycus. sed cassa Pheretis
 Hasta redit, Lycus excelsø terrore comantem
 Perstrinxit galeam: convulsæ cuspidæ longe

Diffugere jubæ , patuitque ingloria cassis.

Ipse nec ire retro , nec in obvia concitus arma

110

Exsilit , inque eadem sese vestigia semper

Obversus cunctis profert , recipitque , nec unquam

Longius indulget dextræ , motusque per omnes

Corpus amat : corpus servans , circumque , supraque

Vertitur. imbellem non sic amplexa juvencum

115

Infestante lupo , cum primum foeta tuerit

Mater , & ancipiit circumfert cornua gyro :

Ipsa nihil metuens , sexusque oblita minoris

Spumat , & ingentes imitatur femina tauros.

Tandem intermissa jaculantum nube potestas

120

Reddere tela fuit. namque & Sicyonius Alcon

Venerat auxilio , Pisæaque præperis Idæ

Turba subit , cuneumque replent. his fretus in hostes

Lernæam jacit ipse trabem : volat illa sagittis

Æqua fuga , mediumque nihil cunctata Politen

125

Transabit , & juncti clypeum cavat improba Mopsi.

Phocea tunc Cydona , Tanagrumque Phalantum ,

Atque Erycem , hunc retro conversum , & tela petentem ,

Dum spes nulla necis , crinito a vertice figit.

Faucibus ille cavis hastam non ore receptam

130

Miratur moriens , pariterque & murmure plenus

Sanguis , & expulsi salierunt cuspidé dentes.

Ausus erat furto dextram injectare Leonteus

Pone viros atque arma latens , positumque trahebat

Prænso crine caput . vidit , quanquam undique crebræ

135

Hippomedon ante ora minæ , sævoque protervam

Abstulit ense manum ; simul increpat : Hanc tibi Tydeus ,

Tydeus ipse rapit : post & confecta virorum

Fata time, magnosque miser fuge tangere manes.
 Ter Cadmæa phalanx torvum abduxere cadaver, 140
 Ter retrahunt Danai. Siculi velut anxia puppis
 Seditione maris, nequidquam obstante magistro,
 Errat, & averso redit in vestigia velo.
 Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto
 Hippomedonta manus, non illum impacta moverent 145
 Tormenta oppositum, formidatique superbis
 Turribus impulsus tentato umbone redissent.
 Sed memor Elysi regis, noxasque retexens
 Tydeos, in medios astu subit impia campos
 Tisiphone. sensere acies, subitusque cucurrit 150
 Sudor equis, sudorque viris: quanquam ore remisso
 Inachium fingebat Halyn: nusquam impius ignis,
 Verberaque, & jussi tenuere silentia crines.
 Arma gerit, juxtaque feri latus Hippomedontis
 Blanda genas, vocemque venit. tamen ille loquentis 155
 Extimuit vultus, admiraturque timorem.
 Ille autem lacrimans, Tu nunc, ait, inclyte, frustra
 Exanimes socios, inhumataque corpora Grajūm,
 (Scilicet is nobis metus? aut jam cura sepulcri?)
 Protegis, ipse manu Tyria tibi captus Adrastrus 160
 Raptatur, teque ante alios, te voce, manuque
 Invocat. heu qualēm lapsare in sanguine vidi,
 Exutum canos lacero diademate crines.
 Nec procul hinc, adverte oculos: ubi plurimus ille
 Fulvis, ubi ille globus. paulum stetit anxius heros, 165
 Librabatque metus. premit aspera virgo: quid hæres?
 Imus? an hi retinent manes? & vilior ille
 Qui superest? miserum sociis opus, & sua mandat

- Proelia , & unanimi vadit desertor amici ,
Respiciens tamen , & revocent si forte paratus . 170
Inde legens turbata trucis vestigia Divæ ,
Huc illuc frustra ruit avius : impia donec
Eumenis ex oculis , rejecta coerulea parma .
Fugit , & innumeri galeam rupere cerastræ .
Afpicit infelix discussa nube quietos 175
Inachidas , currumque nihil metuentis Adraſti .
Et Tyrii jam corpus habent . jam gaudia magnæ
Tetstantur voces : victorque ululatus aderrat
Auribus , occultoque ferit præcordia luctu .
Ducitur hostili (pro dura potenia fati !) 180
Tydeus ille solo , modo cui Thebana sequenti
Agmina , five gradum , seu frena effunderet , ingens
Limes utrinque datus : nusquam arma , manusque quiescant :
Nulla viri feritas : juvat ora rigentia leto ,
Et formidatos impune laceſſere vultus . 185
Hic amor , hoc una timidi , fortisque sequuntur
Nobilitare manus , infectaque sanguine tela
Conjugibus servant , parvisque ostendere natis .
Sic ubi Maura diu populatum rura leonem ,
Quem propter clausique greges , vigilantque magistri , 190
Pastorum lassæ debellavere cohortes ;
Gaudet ager , magno ſubeunt clamore coloni ,
Præcerpuntque jubas , immaniaque ora recludunt ,
Damnaque commemorant , seu jam ſub culmine fixus .
Excubat , antiquo ſeu pendet gloria luco . 195
At ferus Hippomedon quanquam jam ſentit inane
Auxilium , & feram rapto pro corpore pugnam ,
It tamen , & cæcum rotat irrevocabilis ensem .

Vix socios , hostemque nihil dum tarder euntem
 Secernens , sed cæde nova jam lubrica tellus 200
 Armaque , seminecesque viri , currusque soluti
 Impediunt , lœvumque femur , quod cuspide fixum
 Regis Echionii , seu dissimulaverat ardens ,
 Sive ibi nescierat . mœstum videt Hoplea tandem .
 Tydeos hic magni fidus comes , & modo frustra 205
 Armiger . alipedem prona cervice tenebat
 Fatorum ignarum domini , solumque frementem
 Quod vacet : inque acies audentior ille pedestres ,
 Hunc aspernantem tumido nova pondera tergo
 (Unam quippe manum domitis expertus ab annis) 210
 Corripit , affaturque : Quid o nova jussa recusas ,
 Infelix sonipes ? nusquam tibi dulce superbi
 Regis onus : non jam Ætolo satiabere campo ,
 Gaudentemque jubam per stagna Achelœa solves .
 Quod supereft , caros , i , saltem ulciscere manes , 215
 Aut sequere ; extorrem neu tu quoque læseris umbram
 Captivus , tumidumque equitem post Tydea portes .
 Audiffe , accensumque putas : hoc fulmine raptum
 Abstulit , & similes minus indignatur habenas .
 Semifer aeria talis Centaurus ab Offa 220
 Defilit in valles : ipsum nemora alta tremiscunt ,
 Campus equum . trepidi cursu glomerantur anhelo
 Labdacidæ : premit ille super , nec opinaque ferro
 Colla metens , linquit truncos post terga cadentes .
 Ventum erat ad fluvium : solito tunc plenior alveo , 225
 Signa mali , magna se mole Ismenos agebat .
 Illa brevis requies , illo timida agmina lassam
 De campis egere fugam . stupet hospita belli

- Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.
 Influere vadis. magnoque fragore solutus 230
 Agger, & adversæ latuerunt pulvere ripæ.
 Ille quoque hostiles saltu majore per undas
 Irruit attonitis (longum dimittere habenas)
 Sicut erat, tantum viridi defixa parumper
 Cespite, populeo commendat spicula truncos. 235
 Tunc vero exanimes tradunt rapientibus ultro
 Arma vadis: alii dimissa casside, quantum
 Tendere conatus animæ valuere sub undis,
 Turpe latent. multi fluvium transmittere nando
 Aggressi; sed vincla tenent, laterique repugnat 240
 Balteus, & madidus deducit pectora thorax.
 Qualis coeruleis tumido sub gurgite terror
 Piscibus, arcani quoties devexa profundi
 Scrutantem delphina vident: fugit omnis in imos
 Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas; 245
 Nec prius emersi, quam summa per æqua flexus
 Emicet, & visis malit certare carinis.
 Talis agit sparsos, mediisque in fluctibus heros
 Frena manu pariter, pariter regit arma, pedumque
 Remigio sustentat equum; consuetaque campo 250
 Fluctuat, & mersas levis ungula querit arenas.
 Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus;
 Hypseus Astyagen, evasurumque reliquo
 Amne Linum, ni fata vetent, & stamine primo
 Ablatum tellure mori. premit agmina Thebes 255
 Hippomedon, turbat Danaos Asopius Hypseus:
 Amnis utrumque timet: crasso vada mutat iterque
 Sanguine, & a fluvio neutri fatale reverti.

- Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oraque, & absitae redeunt in pectora dextræ. 260
Spicula jam clypeosque leves arcusque remissos
Unda vehit, galeasque vetant descendere crista.
Summa vagis late sternuntur flumina telis,
Ima viris. illic luctantur corpora leto,
Efflantesque animas retro premit obvius amnis. 265
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prederat, insignes humeros ferus ensē Menoeceus
Amputat: ille cadens, nondum conanine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.
Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit: 270
Ille manet fundo, redit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, & tenuit; sed saucius ille levantem
Degravat amplexu. poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis, puduit sine fratre reverti. 275
Surgentem dextra Chaletum, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Jam vultu, jam crine latet, jam dextera nusquam,
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat. 280
Induit a tergo Mycalezia cuspis Agyrten:
Respexit, nusquam auctor erat; sed concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figimur & validos sonipes Aetolus in armos,
Exsiluitque alte vi mortis, & aera pendens 285
Verberat. haud tamen est turbatus flumine ductor:
Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum
Exxit ipse gemens, & sponte remisit habenas.

Inde pedes repetit pugnas , gressuque , manique
Certior , & segnem Nomium , fortemque Mimanta , 290
Thisbaeumque Lichan , Anthedoniumque Lycetum
Continuat ferro , geminisque e fratribus unum
Thespiaden. eadem poscenti fata Panemo ,
Vive superstes, ait, diræque ad moenia Thebes
Solus abi , miseros non decepture parentes. 295
Di bene , quod pugnas rapidum dejicit in amnem
Sanguinea Bellona manu : trahit unda timentes
Gurgite gentili , nuda nec flebilis umbra
Stridebit vestros Tydens inhumatus ad ignes.
Ibitis æquoreis crudelia pabula monstros : 300
Illum terra vehit , suaque in primordia solvit.
Sic premit adversos , & acerbat vulnera dictis.
Ac nunc ense furit , nunc tela natantia raptans
Ingerit: innuptæ comitem Therona Dianæ ,
Ruricolamque Gyan , cum fluctivago Ergino , 305
Intonsumque Hersen , contemtoremque profundi
Crethea , nimbosam qui saepe Caphareos arcem
Euboicasque hiemes , parva transfugerat alno.
Quid non fata queant? trajectus pectora ferro
Volvitur in fluctus: heu cuius naufragus undæ ! 310
Te quoque sublimi transnante flumina curru ,
Dum socios Pharsale petis , resupinat ademis
Dorica cuspis equis. illos violentia saevi
Gurgitis , infelixque jugi concordia mergit.
Nunc age , quis tumidis magnum expugnaverit undis 315
Hippomedonta labor , cur ipse excitus in arma
Ismenos , doctæ nosse indulgete sorores :
Vestrum opus ire retro , & senium defendere famæ.

Gaudebat Fauno nymphaque Ismenide natus
 Maternis bellare tener Crenæus in undis: 320
 Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
 Et natale vadum, & virides cunabula ripæ.
 Ergo ratus nihil Elysias ibi posse forores,
 Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
 Transit avum: levat unda gradus, seu defluus ille, 325
 Sive obliquus eat; nec cum subit obvius, ullas
 Stagna dedere moras, pariterque revertitur amnis.
 Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
 Blandior, æstivo nec se magis æquore Triton
 Exserit, aut caræ festinus ad oscula matris 330
 Cum remeat, tardumque ferit delphina Palæmon.
 Arma decent humeros, clypeusque insignis, & auro
 Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
 Sidonis hic blandi per candida terga juvenci
 Jam secura maris, teneris jam cornua palmis 335
 Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
 Ire putes clypeo, fluctusque secare juvencum.
 Adjuvat unda fidem, pelago nec discolor amnis.
 Tunc audax pariter telis, & voce proterva
 Hippomedonta petit: non hæc fœcunda veneno 340
 Lerna, nec Herculeis haustæ serpentibus undæ.
 Sacrum amnem, sacrum, (&, miser, experiere) Deumque
 Altrices irrumpis aquas. nihil illè, sed ibat
 Cominus: opposuit cumulo se densior amnis,
 Tardavitque manum: vulnus tamen illa retentum 345
 Pertulit, atque animæ tota in penetralia sedit.
 Horruit unda nefas: filvæ flevistis utræque:
 Et graviora cavae sonuerunt murmura ripæ.

- Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore ,
Mater ! in hanc miseri ceciderunt flumina vocem. 350
- At genitrix cœtu glaucarum cincta fororum
Protinus ista malo , vitrea de valle solutis
Exsiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque, pectoraque , & viridem scidit horrida vestem.
Utque erupit aquis , iterumque , iterumque trementi 355
Ingeminat , Crenæ , sono. nusquam ille , sed index
Desuper , ah miseræ nimium noscenda parenti ,
Parma natat. jacet ipse procul , qua mixta supremum
Ismenon primi mutant confinia ponti.
Fluſtivagam ſic ſæpe domum , madidosque penates 360
Halcyone deferta gemit , cum pignora ſævus
Auster , & algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum , penitusque occulta sub undis
Limite non uno , liquidum qua ſubter eunti
Lucet iter , miseri nequidquam funera nati 365
Vestigat , plangitque tamen. ſæpe horridus amnis
Obſtar , & obducto caligant ſanguine viſus.
Illa tamen præceps in tela offendit & enſes ,
Scrutaturque manu galeas , & prona reclinat
Corpora. nec ponto ſubmota intrabat amaram 370
Dorida , poſſeffum donec jam fluſtibus altis
Nereidum miſerata cohors , ad pectora matris
Impulit. illa manu ceu vivum amplexa reportat ,
Inſternitque toris riparum , atque humida ſiccat
Mollibus ora comis , atque haec ululatibus addit : 375
Hoc tibi ſemidei munus tribuere parentes ?
Nec mortalis avus ? ſic noſtro in gurgite regnas ?
Miſior heu miſero diſcorſ , alienaque tellus ,

Mitior unda maris , quæ juxta flumina corpus
Rettulit , & miseram visa exspectasse parentem.

Hinc mei vultus ? hæc torvi lumina patris ?

Hi crines undantis avi ? tu nobile quondam

Undarum , nemorumque decus , quo fospite major
Diva , & nympharum longe regina ferebar.

Heus ubinam ille frequens modo circa limina matris

Ambitus ? orantesque tibi servire Napææ ?

Cur nunc te melius sævo mansura profundo

Amplexu misero tumulis , Crenæ , reporto ,

Non mihi ? nec tantæ pudet (heu) miseretque ruinæ ,

Dure parens ? quæ te alta & ineluctabilis imo

Condidit amne palus ? quo jam nec cruda nepotis

Funera , nec nostri valeant perrumpere planctus ?

Ecce furit , jastatque tuo se in gurgite major

Hippomedon : illum ripæque undæque tremiscunt ,

Illiū impulsu nostrum bibit unda cruorem.

Tu piger , & trucibus facilis servire Pelasgis.

Ad cineres saltē , supremaque justa tuorum

Sæve veni , non hic solum accensure nepotem.

His miscet planctus , multumque indigna cruentat

Pectora : cœruleæ referunt lamenta forores.

Qualiter Isthmiaco nondum Nereida portu

Leucothean planxisse ferunt , dum pectore anhelo

Frigidus in matrem sævum mare respuit infans.

At pater arcano residens Išmenos in antro ,

Unde auræ , nubesque bibunt , atque imbrifer Arcus

Pascitur , & Tyrios melior venit annus in agros ,

Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) novosque

Accepit natæ gemitus , levat aspera musco

380

385

390

395

400

405

Colla, gravemque gelu crinem, ceciditque soluta
Pinus adulta manu, dimissaque volvitur urna.

410

Illum per ripas annoso scruepa limo

Ora exsurgentem silvæ, fluviisque minores

Mirantur: tantus tumido de gurgite surgit,

Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro

Pectora cœruleæ rivis manantia barbæ.

415

Obvia cognatos gemitus, casumque nepotis

Nympharum docet una patrem, monstratque cruentum

Auctorem, dextramque premit. stetit arduus alto

Amne, maquaque genas, & nexa virentibus ulvis

Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo

Incipit: Huncne mihi, Superum regnator, honorem,

Quod toties hospesque tuis & conscius actis,

(Nec memorare timor) falsa nunc improba fronte

Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phœben,

Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi,

Præcipuosque alui natorum? an vilis & illis

Gratia? ad hunc certe repit Tirynthius amnem:

Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda.

Aspice, quas fluvio cædes, quæ funera portem,

Continuus telis, altoque adopertus acervo.

Omne vadum belli series tenet: omnis anhelat

Unda nefas, subterque animæ supraque recentes

Errant, & geminas jungunt caligine ripas.

Ille ego clamatus sacris ululatibus amnis,

Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua puro

Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas

In freta quæro vias. non Strymonos impia tanto

Sagena cruore natant, non spumifer altius Ebrus

420

425

430

435

Gradio bellante rubet. nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus, jam pridem oblite parentum
Liber? an Eous melius pacatur Hydaspes?

At tu, qui tumidus spoliis, & sanguine gaudes
Insontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut saevas viator reverehere Mycenas,
Ni mortalis ego, & tibi ductus ab æthere sanguis.

Sic ait infrendens, & sponte furentibus undis
Signa dedit. mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquaque nives, & pabula brumæ
Ire jubet. frater tacitas Afopos eunti

Conciliat vires, & hiulcis flumina venis
Suggerit. ipse cavæ scrutatur viscera terræ,
Stagnaque, torpentisque lacus, pigrasque paludes
Excudit, atque avidos tollens ad fidera vultus

Humentes nebulas exhaustit, & aera siccat.

Jamque super ripas utroque extantior ibat
Aggere, jam medium modo qui superaverat amnem
Hippomedon intactus aquis humerosque manusque,
Miratur crevisse vadum, seque minorem.

Hinc atque hinc tumidi fluctus, animosaque surgit
Tempestas instar pelagi, cum Pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.

Non fecis æquoreo jaëtat Theumesius amnis
Hippomedonta salo, semperque umbone finistro
Tollitur, & clypeum nigrante supervenit æstu
Spumeus assultans, fractaque refunditur unda,
Et cumulo majore redit. nec mole liquenti
Contentus, carpit putres servantia ripas
Arbusla, annosque tristes, ejectaque fundo

440

445

450

455

460

465

- Saxa rotat. stat pugna impar , amnisque virique ,
Indignante Deo : nec enim dat terga , nec ullis 470
Frangitur ille minis , venientesque obvius undas
Intrat , & objecta dispellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus , & poplite tenso
Lubrica saxa natant , genibusque obnixus , & hærens
Subrata fallaci servat vestigia limo , 375
Sic etiam increpitans : Unde hæc , Ismene , repente
Ira tibi ? quove has traxisti gurgite vires
Imbelli famulante Deo ? solumque cruentem
Femineis experte choris , cum Bacchica mugit
Buxus , & insanæ maculant trieterida matres ? 480
Dixerat atque illi feso Deus obiulit ultro
Turbidus imbre genas , & nube natantis arenæ :
Nec fævit diëtis , truncæ sed pectora queru
Ter , quater , oppositi , quantum ira Deusque valebant ,
Impulit assurgens. tandem vestigia flexit , 485
Excussumque manu tegimen , conversaque lente
Terga refert. instant undæ , sequiturque labantem
Amnis ovans : nec non faxis , & grandine ferri
Desuper infestant Tyrii , geminoque repellunt
Aggere. quid faciat bellis obfessus , & undis ? 490
Nec fuga jam misero , nec magnæ copia mortis.
Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio , sed amicior undis
Fraxinus , ingentisque vadum possederat umbra.
Hujus opem (nam qua terras invaderet ?) unca 495
Arripuit dextra : nec pertulit illa trahentem ;
Sed majore supra , quam stabat pondere viæ
Solvitur , & qua stagna subit radice , quibusque
Statius. B b

Arentem mordebat humum , demissa superne
 Injecit trepido sese , ripamque , nec ultra
 Passurum subitæ vallavit ponte ruinæ.

Huc undæ coeunt , & ineluctabile cœnum
 Vorticibusque cayis fedit , crescitur barathrum.
 Jamque humeros , jam colla ducis sinuosa vorago
 Circuit. hic demum vietus supraea fateri

Exclamat: Fluvione (pudet!) Mars inclyte merges
 Hanc animam? segnesque lacus & stagna subibo
 Ceu pecoris custos , subiti torrentis inquis
 Interceptus aquis? adeone occumbere ferro

Non merui? Tandem precibus commota Tonantem
 Juno subit: Quonam miseris , sator inclyte Divum ,
 Inachidas , quonam usque premes? jam Pallas & odit
 Tydea , jam rapto tacuerunt augure Delphi.

En meus Hippomedon , cui gentis origo Mycenæ
 Argolicique lares , numenque ante omnia Juno ,
 (Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit

Præda feris? certe tumulos , supremaque vieti
 Busta dabas. ubi Cecropiæ post proelia flammæ?
 Theseos ignis ubi est? Non spernit conjugis æquas
 Ille preces: leviterque oculos ad moenia Cadmi

Rettulit , & viso federunt flumina nutu.
 Illius exsangues humeri , & perfossa patescunt
 Pectora: ceu ventis alte cum elata resedit

Tempestas , surgunt scopuli , quæsitaque nautis
 Terra , & ab infestis descendunt æquora saxis.
 Quid ripas tenuisse juvat? premit undique nimbo
 Telorum Phœnissa cohors: nec tegmina membris

Ulla , omnisque patet leto. tunc vulnera manant ,

500

505

510

515

520

525

- Quique sub amne diu stupuit crux, aere nudo
 Solvit, & tenues venarum laxat hiatus, 530
 Incertique labant undarum frigore gressus.
 Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
 Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus
 Cœlo mixta comas, ingentemque aera laxat.
 Illam nutantem nemus, & mons ipse tremiscit,
 Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas. 535
 Non tamen aut ensem, galeamve audacia cuiquam
 Tangere. vix credunt oculis, ingentiaque horrent
 Funera, & adstrictis accedunt minus armis.
 Tandem adiit Hypseus, capulumque in morte tenenti 540
 Extrahit, & torvos laxavit casside vultus :
 Itque per Aonios alte mucrone corusco
 Suspensam ostentans galeam, & clamore superbit:
 Hic ferus Hippomedon : hic formidabilis ulti
 Tydeos infandi, debellatorque cruenti 545
 Gurgitis. Agnovid longe, pressitque dolorem
 Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
 Hortatur librans: Ades o mihi, dextera, tantum
 Tu præsens bellis, & inevitabile numen,
 Te voco, te solam Superum contemtor adoro. 550
 Sic ait, & voti sese facit ipse potentem.
 It tremebunda abies, clypeum per & ærea terga
 Loricæ, tandemque animam sub pectori magno
 Deprendit. ruit haud alio quam celsa fragore
 Turris, ubi innumeros penitus quassata per iectus 555
 Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.
 Cui super assistens, Non infitiamur honorem
 Mortis, ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.

Lætus abi, multumque aliis jaſtantior umbris.

Tunc ensem, galeamque rapit, clypeumque revellit

Ipsius, exanimemque tenens super Hippomedonta,

Accipe, ait, simul hostiles, dux magne, tuasque

Exuvias: veniet cineri decus, & suus ordo

Manibus: interea justos dum reddimus ignes,

Hoc ulti Capaneus operit tua membra sepulcro.

Sic anceps dura belli vice mutua Grajis

Sidonisque simul necebat vulnera Mavors.

Hic ferus Hippomedon, illuc non segnior Hypseus

Fletur, & alterni præbent solatia luētus.

Tristibus interea somnum turbata figuris

Torva sagittiferi mater Tegeatis Ephebi,

Crine dato passim, plantisque ex more solutis,

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas

Purgatura malum fluvio vivente soporem.

Namque per attonitas curarum pondere noctes

Sæpe & delapsas adytis, quas ipsa dicarat,

Exuvias, seque ignotis errare sepulcris

Ex torrem nemoris, Dryadumque a plebe fugatam,

Sæpe novos nati bello redisse triumphos,

Armaque, & alipedem notum, comitesque videbat,

Nusquam ipsum: nunc ex humeris fluxisse pharetras,

Effigiesque suas, simulacraque nota cremari.

Præcipuos sed enim illa metus portendere visa

Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.

Nota per Arcadias felici robore silvas

Quercus erat, Triviæ quam defacraverat ipsa

Eleētam turba nemorum, numenque colendo

Fecerat. hic arcus, & fessa reponere tela,

560

565

570

575

580

585

- Armaque curva suum , & vacuorum terga leonum
Figere , & ingentes æquantia cornua silvas. 590
- Vix ramis locus : agrestes adeo omnia cingunt
Exuviae , & viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc, ut forte jugis longo defessa redibat
Venatu , modo rapta ferox Erymanthidos ursæ
Ora ferens , multo proscissam vulnere cernit
Deposuisse comam , & rorantes sanguine ramos 595
Exspirasse solo. quærenti Nympha cruentas
Mænadas , atque hostem dixit sævisse Lyæum.
Dum gemit , & planetu circumdat peñus inani ,
Abrupere oculi noctem , moestoque cubili
Exflit , & falsos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit ,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit , armatae ruit ad delubra Dianæ ,
Rote sub Eoo , notasque ex ordine silvas 600
Et quercum gavisa videt. tunc limine Divæ
Adstitit , & tali nequidquam voce precatur:
Virgo potens nemorum , cuius non mollia signa
Militiamque trucem , sexum indignata frequento
More nihil Grajo : nec te gens aspera ritu 605
Colchis , Amazoniæve magis coluere catervæ :
Si mihi non unquam thyrsi , ludusve protervæ
Noctis , & inviso quamvis temerata cubili ,
Non tamen aut teretes thyrsos , aut mollia gessi
Pensa , sed in tetricis & post connubia lustris ,
Sic quoque venatrix , animumque innupta remansi: 610
Nec mihi secretis culpam occultare sub antris
Cura , sed ostendi natum , posuique trementem

Ante tuos confessa pedes : nec degener ille
 Sanguinis , inque meos reptavit protinus arcus , 620
 Tela puer lacrimis & prima voce poposcit :
 Hunc mihi (quid trepidæ noctes , somnusque minantur ?)
 Hunc , precor , audaci qui nunc ad prælia voto
 Heu nimium tibi fisis abit , da visere belli
 Viñtorem , vel si ampla peto , da visere tantum . 625
 Hic sudet , tuaque arma ferat . preme , Diva , malorum
 Signa . quid in nostris , nemoralis Delia , silvis
 Mænades hostiles , Thebanaque numina regnant ?
 Hei mihi ! cur penitus (simque augur cassa futuri)
 Cur penitus , magnoque interpretor omine querum ? 630
 Quod si vera sopor miserae præfigia mittit ,
 Per te maternos , mitis Dictynna , labores ,
 Fraternumque decus , justis hunc fige sagittis
 Infelicem uterum . miseræ sine funera matris
 Audiat ille prior . Dixit , fletuque soluto ,
 Aspicit & niveæ saxum maduisse Dianæ . 635
 Illam Diva ferox etiamnum in limine sacro
 Expositam , & gelidas verrentem crinibus aras
 Linquit , & in mediis frondentem Mænalon astris
 Exsuperat gressu , saltumque ad moenia Cadmi
 Destinat , interior cœli qua semita lucet
 Dis tantum , & cunctas juxta videt ardua terras .
 Jamque fere medium Parnasi frondea præter
 Colla tenebat iter , cum fratrem in nube corusca
 Aspicit hand solitum visu . remeabat ab armis
 Moestus Echioniis , demersi funera lugens
 Auguris . irribuit cœli plaga fidere mixto ,
 Occursuque sacro pariter jubar arsit utrinque , 640
 645

Et coiere arcus, & respondere pharetræ.

Ille prior: Scio Labdacidas, germana, cohortes,

Et nimium fortis ausum petis Arcada pugnas.

Fida rogit genitrix: utinam indulgere precanti

Fata darent! en ipse mei (pudet) irritus arma

Cultoris, frondesque sacras, ad inania vidi

Tartara, & in memet versos descendere vultus:

655

Nec tenui currus, terræque abrupta coegi,

Sævus ego, immeritusque coli. lugentia cernis

Antra, soror, mutasque domos. hæc sola rependo

Dona pio comiti. nec tu peritura movere

Auxilia, & moestos in vanum perge labores.

660

Finis adest juveni: non hoc mutabile fatum;

Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.

At decus extremum misero, confusa vicissim

Virgo refert, duræque licet solatia morti

Quærere: nec fugiet poenas, quicunque nefandam

665

Insoncis pueri scelerarit sanguine dextram.

Impius: & nostris fas sit sævire sagittis.

Sic effata movet gressus, libandaque fratri.

Parcius ora tulit, Thebasque infesta petivit.

At pugna ereptis major crudescit utrinque

670

Regibus, alternosque ciet vindicta furores.

Hypseos hinc turmæ, desolatumque magistro

Agmen, at hinc gravius fremit Hippomedontis ademti

Orba cohors. præbent obnixi peñtora ferro:

Idem ardor rabidis externum haurire cruentem,

675

Ac fudisse suum: nec se vestigia mutant.

Stat cuneo defixa acies, hostique cruento

Dant animas, & terga negant: cum lapsa per auras.

- Vertice Dircæi velox Latonia montis
Adstigit. agnoscunt colles, notamque tremiscit 680
Silva Deam, sævis ubi quondam exserta sagittis
Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.
Illum acies inter medias, jam cæde superbum,
Nescius armorum, & primas tunc passus habendas
Venator raptabat equus, quem discolor ambit 685
Tigris, & auratis adverberat unguibus armos.
Colla sedent, nodis & castigata jubarum
Libertas, nemorisque note sub pectore primo
Jaſtantur, niveo lunata monilia dente.
Ipſe bis ♂balio saturatam mürice pallam, 690
Lucentesque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo
Cornipedis lævo clypeum demiserat armo,
Ense gravis nimio: tereti juvat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus, 695
Vaginæque sonum, tremulumque audire pharetræ
Murmur, & a cono missas in terga catenas.
Interdum cristas hilaris jaſtare comantes,
Et piſtum gemmis galeæ jubat. aſt ubi pugna
Cassis anhela calet; resolute vertice nudus 700
Exoritur. tunc dulce comæ, radiisque micantes
Dulce nitent viſus, &, quas dolet ipſe morari,
Nondum mutatae rosea lanugine malæ.
Nec formæ ſibi lande placet, multumque severis
Asperat ora minis: ſed frontis ſervat honorem 705
Ira decens. dat ſponte locum Thebana juventus,
Natorum memores, intentaque tela retorquent:
Sed premit, & ſævas miserantibus ingerit haſtas.

- Illum & Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ
Bellantem, atque ipso sudore & pulvere gratum 710
Laudant, & tacito ducunt suspiria voto.
Talia cernenti mitis subit alta Dianæ
Corda dolor, fletuque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram Dea fida propinquæ
Effugium? hæcne ultiro properasti ad prælia, sæve 715
Ad miserande puer? cruda heu festinaque virtus
Suasit, & hortatrix animosi gloria leti.
Scilicet angustum jamdudum urgentibus annis
Mænaliū tibi, parve, nemus, perque antra ferarum
Vix tutæ sine matre viæ, silvestria cuius 720
Nondum tela procax, arcumque implere valebas.
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores, & limina lasfat.
Tu dulces litoos, ululataque prælia gaudes
Felix, & miseræ tantum peritura parenti. 725
Ne tamen extremo frustra morientis honori
Affuerit, venit in medios caligine fulva
Septa globos, primumque leves furata sagittas
Audacis tergo pueri, cœlestibus implet
Coryton telis, quorum sine sanguine nullum 730
Effugit. Ambrofio tunc spargit membra liquore;
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantusque sacros, & conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstraque feras quærentibus herbas. 735
Tunc vero exerto circumvolat igneus arcu,
Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique
Immemor, & nimium cœlestibus utitur armis.

Ut leo, cui parvo mater Gætula cruentos
 Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit 740
 Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues,
 Indignatur ali, tandemque effusus apertos
 Liber amat campos, & nescit in antra reverti.
 Quos, age, Parrhasio sternis, puer improbe, cornu?
 Prima Tanagræum turbavit arundo Chorœbum 745
 Extremo galeæ, primoque in margine parmæ
 Angusta transmissa via: stat faucibus unda
 Sanguinis, & sacri facies rubet igne veneni.
 Sævius Eurytion, cui luminis orbe finistri
 Aspera tergeminis acies se condidit uncis. 750
 Ille trahens oculo plenam labente sagittam
 Ibat in auctorem. sed Divum fortia quid non
 Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
 Explevit tenebras: sequitur tamen improbus hostem,
 Qua meminit, fusum donec prolapsus in Idam 755
 Decidit. hic sævi miser inter funera belli
 Palpitat, & mortem, sociosque, hostesque precatur.
 Addit Abantiadas, insignem crinibus Argum,
 Et male dilectum miseræ Cydona sorori.
 Illi perfostrum telo patefecerat inguen: 760
 Huic geminum obliqua trajecit arundine tempus:
 Extitit hac ferrum, velox hac penna remansit;
 Fluxit utrinque crux: nulli tela aspera mortis
 Dant veniam: non forma Lamum, non insula Lygdum,
 Non pubescentes texerunt Æolon anni. 765
 Figitur ora Lamus, flet sauciis inguina Lygdus,
 Perfostram telo niveam gemis, Æole, frontem.
 Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe

- Miserat, hunc virides non excipietis Amyclæ.
 Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit 770
 Missile: nec requies dextræ, sonitumque priori
 Jungit arundo sequens. unum quis crēderet arcum?
 Aut unam fœvire manum? modo dirigit ictus,
 Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
 Nunc fugit instantes, & solo respicit arcu. 775
 Et jam mirantes, indignantesque coibant
 Labdacidæ, primusque Jovis de sanguine claro
 Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
 Ille daret: Quonam usque moram lucrabere fati,
 O multum meritos puer orbature parentes? 780
 Quin etiam menti tumor atque audacia gliscit,
 Congressus dum nemo tuos pugnamque minorem
 Dignatur bellis, iramque relinquoris infra.
 I, repeate Arcadiam, mixtusque æqualibus illic,
 Dum ferus hic vero desævit pulvere Mavors, 785
 Proelia lude domi. quod si te moesta sepulcri
 Fama movet, dabimus, leto moriere viorum:
 Jamdudum hunc contra stimulis gravioribus ardet
 Trux Atalantiades, nec dum ille quieverat, infit:
 Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus, arma 790
 Profero. quisnam adeo puer, ut bellare recuset
 Talibus? Arcadiæ stirpem, & fera semina gentis?
 Non Thebana vides. non me sub nocte silenti
 Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo
 Edidit: haud unquam deformes vertice mitras 795
 Induimus, turpique manu jaſtavimus hastam.
 Protinus adstricatos didici reptare per amnes,
 Horrendasque domos magnarum intrare ferarum:

- Et quid plura loquar ? ferrum mea semper & arcus
Mater habet , vestri feriunt cava tympana patres. 800
- Non tulit Amphion , vultumque & in ora loquentis
Telum immane rotat : sed ferri lumine diro
Turbatus sonipes , sese dominumque retorsit
In latus , atque avidam transmisit devius hastam.
- Acrior hoc juvenem stricto mucrone petebat 805
Amphion ; cum se medio Latonia campo
Injicit ante oculos : omni stetit obvia vultu.
Hærebat juveni devinctus amore pudico
Mænalius Dorceus , cui bella , suumque timorem
Mater , & audaces pueri mandaverat annos. 810
- Hujus tum vultum Dea dissimulata profatur :
Haec tenus Ogygias satis infestasse catervas , -
Parthenopæ , satis miseræ jam parce parenti ,
Parce Deis , quicunque favent. Nec territus ille ,
Hunc sine me (nec plura petam) fidissime Dorceu; 815
Sternere humi , qui tela meis gerit æmula telis ,
Et similes cultus , & frena sonantia jaſtat.
Frena regam : cultus Triviæ pendebitis alto
Limine , captivis matrem donabo pharetris.
Audiit , & mixto risis Latonia fletu. 820
- Viderat hanc cœli jamdudum in parte remota
Gradivum complexa Venus , dumque anxia Thebas
Commemorat , Cadmumque viro , caræque nepotes
Harmoniæ , pressum tacito sub corde dolorem
Tempestiva movet. Nonne hanc , Gradive , protervam 825
Virginitate vides medium se ferre virorum
Coetibus ? utque acies audax , & Martia signa
Temperet ? en etiam donat , præberique necandos

- Tot nostra de gente viros. huic tradita virtus,
Huic furor? agrestes supereft tibi figere damas. 830
- Desiluit justis commotus in arma querelis
Bellipotens, cui sola vagum per inane ruent
Ira comes, reliqui sudant ad bella Furores.
Nec mora, cum moestam monitu Latoïda duro
Increpat afflens: Non hæc tibi p̄cœlia Divūm 835
Dat pater, armiferum ni protinus improba campum
Deseris, huic æquam nosces nec Pallada dextræ.
Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis,
Hinc plenæ tibi, parve, colus, Jovis inde severi
Vultus: abit solo post hæc devicta pudore.
At pater Ógygias Mavors circumspicit alas,
Horrendumque Dryanta móvet, cui sanguinis auctor
Turbidus Orion, comitesque odiſſe Dianæ.
Inde fuit primum. hic turbatos arripit ense
Arcadas, exarmatque ducem. cadit agmine longo 845
Cyllenes populus, Tegeesque habitator opacæ,
Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges.
Ipsum autem & laſſa fidit proſternere dextra,
Nec servat vires: etenim huc jam fessus, & illuc,
Mutabat turmas. urgent præfagia mille
Funeris, & nigræ præcedunt nubila mortis.
Jamque miser raros comites, verumque videbat
Dorcea, jam vires paulatim abscedere sentit,
Sentit & exhaustas humero leviore pharetras.
Jam minus atque minus fert arma, puerque videtur
Et ſibi, cum torva clypei metuendus obarsit 855
Luce Dryas: tremor ora repens ac viscera tortit
Arcados. utque feri vētorem fulminis albus

- Cum supra respexit olor , cupit hiscere ripam
 Strymonos , & trepidas in pectora contrahit alas : 86a
 Sic juvenem sævi conspecta mole Dryantis ,
 Jam non ira subit , sed leti nuntius horror.
 Arma tamen , frustra superos Triviamque precatus ,
 Molitur pallens , & surdos expedit arcus.
 Jamque instat telis , & utramque obliquus in ulnam
 Cornua contingit mucrone , & pectora nervo.
 Cum ducis Aonii magno cita turbine cuspis
 Fertur in adversum , nervique obliqua sonori
 Vincla secat , pereunt iectus , manibusque remissis
 Vana supinato ceciderunt spicula cornu. 870
 Tunc miser & frenos turbatus , & arma remisit ,
 Vulneris impatiens , humeri qua tegmina dextri
 Intrarat , facilemque cutem subit altera cuspis ,
 Cornipedisque fugam succiso poplite fistit.
 Tunc cadit ipse Dryas (mirum) nec vulneris usquam 875
 Conscius , olim auctor teli , causæque patebant.
 At puer infusus sociis , in devia campi
 Tollitur (heu simplex ætas !) moriensque jacentem
 Flebat equum . cecidit laxata casside vultus ,
 Ægraue per trepidos exspirat gratia visus , 880
 Et prensis concussa comis , ter colla , quaterque
 Stare negant , ipsisque nefas lacrimabile Thebis ,
 Ibat purpureus niveo de pectora sanguis.
 Tandem hæc singulu verba incidente profatur :
 Labimur , i , miseram , Dorceu , solare parentem . 885
 Illa quidem , si vera ferunt præsagia curæ ,
 Aut somno jami triste nefas , aut omine vidit.
 Tu tamen arte pia trepidam suspende , diuque

- Decipito : neu tu subitus , neve arma tenenti
Veneris , & tandem cum jam cogere fateri , 890
Dic: Merui , genitrix , poenas , invita capessens
Arma puer rapui , nec te retinente quievi :
Nec tibi sollicitæ saltē inter bella pepercī.
Vive igitur , potiusque animis irascere nostris :
Et jam pone metus . frustra de colle Lycae 891
Anxia prospēctas , si quis per nubila longe
Aut sonus , aut nostro sublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda jaceo tellure , nec usquam
Tu prope , quæ vultus , efflantiaque ora teneres.
Hunc tamen , orba parens , crinem (dextraque secundum 900
Præbuit) hunc toto capies pro corpore crinem ,
Comere quem frustra me dedicante solebas.
Huic dabis exsequias : atque inter justa memento ;
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis ,
Dilectosque canes ullis agat amplius antris.
Hæc autem primis arma infelicia castris 905
Ure , vel ingratæ munus suspende Dianæ.

P. PAPINII STATII
T H E B A I D O S
 LIBER X.

OBRUIT Hesperia Phœbum nox humida porta,
 Imperiis properata Jovis: nec castra Pelæsgum
 Aut Tyrias miseratus opes, sed triste, tot extra
 Agmina & immeritas ferro decrescere gentes.
 Panditur immenso deformis sanguine campus. 5
 Illic arma, & equos, ibant quibus ante superbi,
 Funeraque orba rogis, neglectaque membra relinquunt.
 Tunc in honora cohors laceris insignibus ægras
 Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma
 Angustæ populis, late cepere reversos.
 Par utrinque dolor: sed dant solatia Thebis
 Quatuor errantes Danaum sine præside turmæ,
 Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,
 Quas Deus, & casus, tempestatesque gubernant.
 Inde animus Tyriis, non jam sua castra, sed ultro
 Hostilem servare fugam, ne forte Mycenæ
 Contenti rediisse petant. dat tessera signum
 Excubii, positæque vices. dux noctis operæ

10

15

Sorte Meges, ultroque Lycus. jamque ordine jussō

Arma, dapes, ignemque ferunt. rex firmat euntes:

20

Victores Danaūm (nec enim lux crastina longe,

Nec quæ pro timidis intercessere tenebræ

Semper erunt) augete animos, & digna secundis

Pectora fert Deis. jacet omnis gloria Lernæ,

Præcipuæque manus: subiit ultricia Tydeus

25

Tartara: mors subitam nigri stupet auguris umbram:

Ifmenos raptis tumet Hippomedontis opimis:

Arcada belligeris pudet annumerare trophæis.

In manibus merces. nusquam capita ardita belli

Monstrataeque ducum septena per agmina cristaæ.

30

Scilicet Adraſti fenium, fraterque juventa

Pejor, & insanis Capaneus metuendus in armis?

Ite age, & obſeffis vigiles circumdate flamas.

Nulli ex hoste metus: prædam affervatis opesque

Jam veftras. Sic ille truces hortatibus implet

35

Labdacidas. juvat exhaustos iterare labores.

Sicut erat pulvis, sudorque, cruorque per artus

Mixtus adhuc, vertere gradum. vix obvia passi

Colloquia, amplexus etiam, dextrasque suorum

Excussere humeris. tunc frontem, aversaque terga

Partiti, laterumque sinus, vallum undique cingunt

Ignibus infestis. rabidi sic agmine mixto

Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris

Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.

Jam stabula ipsa premunt: torquet spes irrita fauces,

45

Balatusque tremens, pinguesque ab ovilibus auræ.

Quod supereft, duris affrangunt postibus ungues,

Pectoraque, & ficos minuunt in limine dentes.

Statius.

C c

At procul Argolici supplex in margine templi
 Cœtus , & ad patrias fusæ Pelopeïdes aras 50
 Sceptriferæ Junonis opem , redditumque suorum
 Exposcunt , pietasque fores , & frigida vultu
 Saxa terunt , parvosque docent procumbere natos.
 Condiderant jam vota diem : nox addita curas
 Jungit , & aggestis vigilant altaria flammis. 55
 Peplum etiam dono , cuius mirabile textum
 Nulla manus sterilis , nec dissociata marito
 Versarat , calathis castæ velamina Divæ
 Haud spernenda ferunt , variis ubi plurima floret
 Purpura pieta modis , mixtoque incenditur auro. 60
 Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis
 Expers concubii , & timide positura sororem
 Lumine demissio pueri Jovis oscula libat
 Simplex , & nondum furtis offensa mariti.
 Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres 65
 Induerant ebur , & lacrimis questuque rogabant:
 Adspice sacrilegas Cadmeæ pellicis arces ,
 Siderei regina poli , tumulumque rebellem
 Disjice , & in Thebas aliud (potes) excute fulmen.
 Quid faciat ? scit fata suis contraria Grajis , 70
 Aversumque Jovem : sed nec periisse precatus
 Tantaque dona velit . tempus tamen obvia magni
 Fors dedit auxiliū . videt alto ex æthere clausa
 Mœnia , & insomni vallum statione teneri.
 Horruit irarum stimulis , motaque verendum
 Turbavit diadema coma . non saevius arsit
 Herculeæ cum matris onus , geminosque Tonantis
 Concubitus vacuis indignaretur in astris.

- Ergo intempesta somni dulcedine captos
Destinat Aonios leto præbere : suamque 80
Orbibus accingi solitis jubet Irin , & omne
Mandat opus. paret jussis Dea clara , polumque
Linquit , & in terras longo suspenditur arcu.
Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis ,
Æthiopasque alias , nulli penetrabilis astro
Lucus iners , ~~terque~~ cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem , qua desidis atria Somni ,
Securumque larem segnis Natura locavit.
Limen opaca Quies , & pigra Oblivia servant ,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu. 90
Oria vestibulo , pressisque silentia pennis
Muta sedent , abiguntque truces a culmine ventos ,
Et ramos errare vetant , & murmura demunt
Alitibus. non hic pelagi , licet omnia clament
Litora , non illic cœli fragor. ipse profundis
Vallibus effugiens speluncæ proximus amnis
Saxa inter , scopulosque tacet. nigrantia circa 95
Armenta , omne solo recubat pecus , & nova marcent
Germina , terrarumque inclinat spiritus herbas.
Mille intus simulacra Dei cœlaverat ardens
Mulciber. hic hæret lateri redimita Voluptas ,
Hic comes in requiem vergens labor. est ubi Baccho ;
Est ubi Martigenæ socium pulvinar Amori
Obtinet. interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte jacet : nullique ea tristis imago. 100
Ipse autem , vacuus curis , humentia subter
Antra soporifero stipatus flore , taperas
Incubat. exhalant vestes , & corpore pigro 105

- Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor: manus hæc fufos a tempore lævo 110
Sustentat crines; hæc cornu oblita remisit.
Adfunt in numero circum vaga somnia vultu,
Vera simul falsis, permixtaque tristia blandis.
Noctis opaça cohors, trabibusque, aut postibus hærent,
Aut tellure jacent. tenuis, qui circuit aulam, 115
Invalidusque pitor, primosque hortantia somnos
Languida succiduis exspirant lumina flammis.
Huc se cœruleo libravit ab æthere virgo
Discolor. effulgent silvæ, tenebrosaque Tempe
Arrifere Deæ, & zonis lucentibus icta
Evigilat domus. ipse autem nec lampade clara
Nec sonitu, nec voce Deæ perculsus, eodem
More jacet: donec radios Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.
Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix : 125
Sidonios te Juno duces, mitissime Divum,
Somne, jubet populumque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil affervat vallum, & tua jussa recusat.
Da precibus tantis, (rara est hoc posse facultas,) 130
Placatumque Jovem dextra Junone merere.
Dixit, & increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterumque, iterumque monebat.
Ille Deæ jussis dubium, mixtumque sopori
Annuit. excedit gravior nigrantibus antris 135
Iris, & obtusum multo jubar excitat imbri.
Ipse quoque & volucrem gressum, & ventosa citavit
Tempora, & obscuri sinuatam frigore cœli

Implevit chlamydem , tacitoque per æthera cursu
 Fertur , & Aoniis longe gravis imminet arvis.
 Illius aura solo volucres , pecudesque , ferasque
 Explicat , & penitus quacunque supervolat orbem ;
 Languida de scopulis fidunt freta , pigrius hærent
 Nubila , demittunt extrema cacumina silvæ ,
 Pluraque laxato ceciderunt fidera coelo.

140

Primus adesse Deum subita caligine sensit
 Campus , & innumeræ voces , fremitusque virorum
 Summisere sonum . cum vero humentibus alis
 Intubuit , piceaque haud unquam densior umbra
 Castra subit , errare oculi , resolutaque colla ,
 Et medio affatu verba imperfæta relinqui.

145

Mox & fulgentes clypeos , & saeva remittunt
 Pila manu , lassique cadunt in pectora vultus.
 Et jam cuncta silent : ipsi jam stare recusant
 Cornipedes : ipsos subitus cinis abstulit ignes.
 At non & trepidis eadem sopor otia Grajis
 Suadet , & a junctis arcet sua nubila castris

150

Noctivagi vis blanda Dei , stant undique in armis
 Fœdam indignantes noctem , vigilesque superbos.
 Ecce repens , superis animum lymphantibus , horror
 Thiodamanta subit , formidandoque tumultu
 Pandere fata jubet : five hanc Saturnia mentem ,

155

Sive novum comitem bonus instigabat Apollo.

Proflilit in medios , visu audituque tremendus ,
 Impatiensque Dei , fragili quem mente receptum
 Non capit . exundant stimuli , nudusque per ora
 Stat furor , & trepidas incerto sanguine reddit ,
 Exhauritque genas : acies huc errat , & illuc ,

160

Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat.

Sic Phryga terrificis genitrix Idaea cruentum

Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro

Scire verat. quatit ille sacras in pectora pinus,

Sanguineosque rotat crines, & vulnera cursu

Exanimat: pavet omnis ager, respersaque cultris

Arbor, & attoniti currum erexere leones.

Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam

Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger

Rerum extrema movens, frustra consultat Adraustus.

Stant circum subiti proceres, ut quisque peremto

Proximus, & magnis loca desolata tuerentur

Regibus, haud læti, seque huc crevisse dolentes.

Non secus amissio medium cum præside puppis

Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi,

Aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto

Prora fuit. stupet ipsa ratis, tardeque sequuntur

Arma, nec accedit domino tutela minori.

Ergo alacer trepidos sic erigit augur Achivos:

Magna Deum mandata, duces, monitusque verendos

Advehimus. non haec nostro de pectora voces.

Ille canit, cui me famulari, & sumere vittas

Vestra fides, ipso non discordante, subegit.

Nox fœcunda operum, pulchræque accommoda fraudi

Panditur augurio Divum. vocat obvia virtus,

Et poscit Fortuna manus. stupet obruta somno

Aonidum legio. tempus nunc funera regum

Ulcisci, miserumque diem. rapite arma, morasque

Frangite portarum: sociis hoc subdere flamas,

Hoc tumulare suos. equidem hoc & Marte diurno

170

175

180

185

190

195

Dum res infraestæ, pulsique in terga redimus,
 (Per tripodas juro, & rapti nova fata magistri) 200
 Vidi, & me volucres circum plausere secundæ.
 Sed nunc certa fides. modo me sub nocte silenti
 Ipse, ipse assurgens iterum tellure soluta,
 Qualis erat (solos infecerat umbra jugales)
 Amphiaraus adit. vanæ nec monstra quietis, 205
 Nec somno comperta loquor. Tunc, inquit, inertes
 Inachidas (redde hæc Parnassia ferta, meosque
 Redde Deos) tantam patiere amittere noctem,
 Degener? hæc egomet cœli secreta, vagosque
 Edocui lapsus? vade eja, ulciscere ferro 210
 Nos saltem. dixit, meque hæc ad limina visus
 Cuspide sublata, totoque impellere curru.
 Quare agite, utendum superis. non cominus hostes
 Sternendi: bellum jacet, & sævire potestas.
 Ecqui aderunt? quoq; ingenti se attollere fama 215
 Non pigeat, dum fata finunt? iterum ecce benignæ
 Noctis aves. sequor, & comitum licet agmina cessent,
 Solus eo, solus. venit illè, & quassat habenas.
 Talia vociferans, noctem exturbabat, euntque
 Non secus accensi proceres, quam si omnibus idem 220
 Corde Deus. flagrant comitari & jungere casus.
 Ter denos numero, turmarum robora, jussus
 Ipse legit. circa fremit indignata juventus
 Cetera, cur maneant castris, ignavaque servent
 Otia. pars sublime genus, pars facta suorum, 225
 Pars sua: sortem alii clamant, sortem undique poscunt.
 Gaudet in adversis, animoque assurgit Adraustus.
 Vertice sic Pholoes volucrum nutritior equorum,

Cui foetura gregem pecoroſo vere novavit,

Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,

Hos innare vadis, certare parentibus illos.

Tunc vacuo sub corde movet, qui molle domandi
Ferre jugum, qui terga boni, quis in arma tubaſque
Natus, ad Eleas melior' quis surgere palmas.

Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ.

Nec deest cœptis: Unde hæc tam sera repente

Numina? qui fractos Superi rediſſis ad Argos?

Estne hic infelix virtus? gentique superftes

Sanguis, & in miseris animorum semina durant?

Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum

Seditione fruor. sed fraudem, & operta paramus

Prælia, celandi motus: nunquam apta latenti

Turba dolo. servate animos: venit ultor in hostes

Ecce dies. tunc arma palam, tunc ibimus omnes.

His tandem virtus juvenum frenata quievit.

Non aliter moto quam si pater Æolus antro

Portam iterum saxo premat imperiosus, & omne

Claudat iter, jam jam sperantibus æquora ventis.

Insuper Herculeum sibi jungit Agyllea vates

Actoraque. hic aptus suadere, hic robora jaſtat

Non ceſſiffe patri. comites tribus ordine deni

Horrendum Aoniis, & contra ſtantibus agmen.

Ipſe, novi gradiens furta ad Mavortia belli,

Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,

Longæviq[ue] ducis gremio commendat honorem

Frontis, & oblatam Polynicis munere grato

Loricam, galeamque ſubit. ferus Actora magno

Ense gravat Capaneus, ipſe haud dignatus in hostem

230

235

240

245

250

255

- Ire dolo , superosque sequi. permuat Agylleus
 Arma trucis Nomii. quid enim fallentibus umbris 260
 Arcus , & Herculeæ juvissent bella sagittæ ?
 Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas ,
 Ne gravis exclamet portæ mugitus ahenæ ,
 Præcipitant saltu. nec longum , & protinus ingens
 Præda solo , cœti jam exanimes , multoque peracti
 Ense jacent. Ite , o socii , quacunque voluptas
 Cœdis inexhaustæ , superisque faventibus , oro ,
 Sufficite , hortatur clara jam voce sacerdos :
 Cernitis expositas turpi marcore cohortes.
 Pro pudor ! Argolicas hinc ausi obsidere portas? 270
 Hi servare viros ? Sic fatus & exuit ensem
 Fulmineum , rapidaque manu morientia transit
 Agmina. quis numeret cœdes ? aut nomine turbam
 Exanimem signare queat ? subit ordine nullo
 Tergaque , peitoraque , & galeis inclusa relinquit 275
 Murmura , permiscetque vagos in sanguine manes.
 Hunc temere explicitum stratis , hunc fero remissis
 Gressibus illapsum clypeo , & male tela tenentem :
 Coetibus hos mediis vina inter , & arma jacentes :
 Acclines clypeis alios , ut quemque ligatum
 Infelix tellure sopor , supremaque nubes 280
 Obruerat. nec numen abest , armataque Juno
 Lunarem quatiens exserta lampada dextra
 Pandit iter , firmatque animos , & corpora monstrat.
 Sentit adesse Deam tacitus , sed gaudia celat
 Thiodamas. jam tarda manus , jam debile ferrum , 285
 Et caligantes nimiis successibus iræ.
 Caspia non aliter magnorum in strage juvencūm

Tigris, ubi immenso rabies placata cruento,
Lassavitque genas, & crasso sordida tabo
Confudit maculas, spectat sua facta, doletque
Defecisse famem. vietus sic augur inerrat
Cædibus Aoniis. optet nunc brachia centum,
Centenaisque in bella manus. jam tædet inanes
Exhaurire minas, hostemque assurgere malit.
Parte alia segnes magno satius Hercule vastat
Sidonios, Aetorque alia. sua quemque cruento
Limite turba subit. stagnant nigrantia tabo
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, somnique & mortis anhelitus una
Volvitur: haud quisquam visus aut ora jacentum
Erexit: tali miseris Deus aliger umbra
Incubat, & tantum morientia lumina solvit.
Traxerat insomnis cithara, ludoque suprema
Sidera, jam nullos visurus Alimenus ortus,
Sidonium Pæana canens: huic languida cervix
In lævum cogente Deo, mediaque jacebant
Colla relicta lyra. ferrum per pectus Agyleus
Exigit, aptatamque cava testudine dextram
Percutit, & digitos inter sua fila trementes.
Proturbat mensas dirus liquor: undique manant
Sanguine permixti latices, & Bacchus in altos
Crateras paterasque redit. ferus occupat Aetor
Implicitum fratri Thamyrum. Tagus haurit Ethecli
Terga coronati. Danaus caput amputat Hebri.
Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelida subter juga fida rotasque

290

295

300

305

310

315

- Palpetus , Aonios gramen gentile metentes
Proflatu terrebat equos : madida ora redundant , 320
Accensusque mero sopor æstuat . ecce jacentis
Inachius vates jugulum fodit . expulit ingens
Vina crux , fractumque perit in sanguine murmur.
Fors illi præsaga quies , nigrasque gravatus
Per somnum Thebas , & Thiodamanta videbat . 325
Quarta soporiferæ superabant tempora nocti ,
Cum vacuæ nubes , & honor non omnibus astris ,
Afflatusque fugit curru majore Bootes.
Jamque ipsum defecit opus , cum providus Aëtor
Thiodamanta vocat : Satis hæc inopina Pelasgis 330
Gaudia : vix ullos tanto reor agmine fævam
Effugisse necem , ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita . secundis
Pone modum . sunt & diris sua numina Thebis.
Forsitan & nobis modo quæ favere ; recedunt . 335
Parvit , & madidas tollens ad fidera palmas :
Phœbe , tibi exuvias monstratae præmia noctis ;
Nondum ablutus aquis , (tibi enim hæc ego sacra litavi)
Trado ferus miles tripodium , fidusque sacerdos.
Si non dedecui tua iussa , tulique prementem , 340
Sæpe veni : sæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos , trunca arma , cruxque virorum :
At patrias si quando domos , optataque , Pæan ,
Templa , Lycie , dabis , tot ditia dona sacratis
Postibus , & totidem voti memor exige tauros . 345
Dixerat , & lætis socios revocabat ab armis .
Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus
Mænaliusque Dymas , dilecti regibus ambo ,

Regum ambo comites, quorum post funera moesti
Vitam indignantur. prior Arcada concitat Hopleus : 35d

Nullane post manes regis tibi cura peremti,
Care Dyma ? teneant quem jam fortasse volueres
Thebanique canes. patriæ quid deinde feretis,
Arcades ? en reduces contra venit aspera mater.

Funus ubi ? at nostro semper sub pectori Tydeus 35d
Sævit inops tumuli : quamvis patientior artus
Ille , nec abruptis adeo lacrimabilis annis.

Ire tamen , sævumque libet nullo ordine passim
Scrutari campum , mediasque irrumpere Thebas.

Excipit orsa Dymas : Per ego hæc vaga fidera juro , 36a
Per ducis errantes instar mihi numinis umbras ,
Idem ardor misero. comitem circumspicit olim

Mens humilis luctu : sed nunc prior ibo. viamque
Inchoat , & moesto conversus ad æthera vultu

Sic ait : Arcanæ moderatrix Cynthia noctis , 36d

Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen , & in silvas alio descendere vultu ,

Ille comes nuper , nemorumque insignis alumnus ;

Ille tuus , Diana , puer (nunc respice saltem)

Quæritur. incendit pronis Dea curribus alnum 370

Sidus , & admoto monstravit funera cornu.

Apparent campi , Thebæque , altusque Cithæron.

Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit

Juppiter , absiliunt nubes , & fulgure claro

Astra patent , subitusque oculis ostenditur orbis. 375

Accepit radios , & eadem percitus Hopleus

Tydea luce videt. longe dant signa per umbras

Mutua lætantes , & amicum pondus uterque ,

- Ceu reduces vitæ, sævaque a morte remissos,
Subiecta cervice levant. nec verba, nec ausi 380
Flere diu: prope sæva dies, indexque minatur
Ortus. eunt taciti per moesta silentia magnis
Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, & fors ingentibus ausis
Rara comes. jam castra vident, armisque propinquant, 385
Et decrescit onus: subiti cum pulveris umbra,
Et sonus a tergo. monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul (nec dum totas lux solverat umbras) 390
Nescio quid visu dubium, incertumque moveri,
Corporaque ire videt. subitus mox fraude reperta
Exclamat: Cohibete gradum quicunque. sed hostes
Esse patet. miseri pergunt anteire, timentque
Non sibi. tunc mortem trepidis minitatur, & hastam 395
Expulit, ac vanos alte levat eminus iactus,
Affectans errare manus. stetit ille Dymantis
Ante oculos, qui forte prior, gressumque repressit.
At non magnanimus curavit perdere jactus
Ægyptus, & fixo transverberat Hoplea tergo, 400
Pendentesque etiam perstrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus,
Exspiratque tenens: felix, si corpus ademtum
Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.
Viderat hoc retro conversus, & agmina sentit
Juncta Dymas, dubius precibusne subiret, an armis 405
Instantes. arma ira dabat; fortuna precari,
Non audere jubet: neutri fiducia cœpto.

Distulit ira preces. ponit miserabile corpus
 Ante pedes: tergoque graves, quas forte gerebat 410
 Tigridis exuvias in lævum torquet, & obstat
 Exsertum objectans mucronem, inque omnia tela
 Versus, & ad cædem juxta, mortemque paratus:
 Ut lea, quam sævo fœtam pressere cubili
 Venantes Numidæ, natos erēcta superstat 415
 Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens.
 Illa quidem turbare globos, & frangere morsu
 Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit
 Pectora, & a media catulos circumspicit ira.
 Et jam læva viro, quamvis sævire vetaret 420
 Amphion, erepta manus, puerique trahuntur
 Ora supina comis. serus tunc denique supplex
 Demissio mucrone rogat: Moderatius, oro,
 Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
 Inoamque fugam, vestrique Palæmonis annos. 425
 Si cui forte domi natorum gaudia, si quis
 Hic pater, angusti puero date pulveris haustus,
 Exiguamque facem. rogat, en rogat ipse jacentis
 Vultus: ego infandas potior satiare volucres.
 Me præbete feris: ego bella audere eoegi. 430
 Immo, ait Amphion, regem, si tanta cupido
 Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelasgis;
 Quid fracti, exsanguesque parent. cuncta ocios effe,
 Et vita, tumuloque ducis donatus, abito.
 Horruit, & toto præcordia protinus Arcas 435
 Implevit capulo. Summumne hoc cladibus, inquit,
 Deerat, ut afflitos turparem ego proditor Argos?
 Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari.

- Sic ait, & magno proscissum vulnere pectus
 Injecit puero, supremaque murmura volvens: 440
 Hoc tamen interea caro potiere sepulcro.
 Tales optatis regum in complexibus ambo,
 Par insigne animis Aetolus, & inclytus Arcas;
 Egregias efflant animas, letoque fruuntur.
 Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
 Inferiore lyra, memores superabitis annos. 445
 Forsitan & comites non aspernabitur umbras
 Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.
 At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
 Edoceantque dolum, captivaque corpora reddant,
 Mittit ovans clausis ipse insultare Pelasgis 450
 Tendit, & abscisos sociorum ostendere vultus.
 Interea reducem murorum e culmine Graji
 Thiodamanta vident: nec jam erumpentia celant
 Gaudia, ut exsertos enses, & cæde recenti
 Arma rubore notant. novus afflitus ætherea magnus
 Clamor, & e summo pendent cupida agmina vallo
 Noscere quisque suos. volucrum sic turba recentum
 Cum reducem longo prospexit in æthere matrem,
 Ire cupit contra, summaque e margine nidi 455
 Exstat hians: jam jamque cadat, ni pectori toto
 Obstet aperta parens, & amantibus increpet alis.
 Dumque opus arcanum, & taciti compendia Martis
 Enumerant, lætisque suos complexibus implent,
 Hopleaque exquirunt, tardumque Dymanta queruntur, 460
 Ecce & Dirceæ juxta dux concitus alæ
 Venerat Amphion. non longum cæde recenti
 Lætatus, videt innumeris fervere catervis

Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.
 Qui tremor illicita cœli de lampade tactos,
 Hic fixit juvenem, pariterque horrore sub uno
 Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem
 Ipse ultro convertit equus. fugit ala retorto
 Pulvere, nondum illi Thebarum claustra subibant,
 Et jam Argiva cohors nocturno freta triumpho
 Profilit in campos: per & arma, & membra jacentum,
 Tetraque congerie sola, semianimumque cruentum
 Cornipedes, ipsique ruunt. gravis exterit artus
 Ungula, sanguineus lavat imber, & impedit axes.
 Dulce viris hac ire via, ceu testa superbi
 Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.
 Hortatur Capaneus: Satis occultata, Pelasgi,
 Delituit virtus, nunc nunc mihi vincere pulchrum
 Teste die, mecum clamore & pulvere aperto
 Ite palam, juvenes: sunt & mihi provida dextræ
 Omina, & horrendi stricto mucrone furores.
 Sic ait, ardentes alacer succendit Adrastrus,
 Argolicusque gener: sequitur jam tristior augur.
 Jamque premunt muros, & adhuc nova funera narrat
 Amphion, miseramque intrabant protinus urbem,
 Ni Megareus specula citus exclamasset ab alta:
 Claude, vigil: subeunt hostes: claude undique portas.
 Est ubi dat vires nimius timor: ocius omnis
 Porta coit, solas dum tardius arctat Echion
 Ogygias, audax animi Spartana juventus
 Irrupit, cæsiique ruunt in limine primo,
 Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
 Cebalus Eurotæ, tuque, o spestate palæstris

479

475

480

485

490

495

- Omnibus , & nuper Nemeæo in pulvere felix,
Alcidama , primis quem cæstibus ipse ligarat 500
Tyndarides , nitidi moriens convexa magistri
Respicis : averso pariter Deus occidit astro.
Te nemus Æbalium , te lubrica ripa Lacænæ
Virginis , & falso gurges cantatus olore
Flebit , Amyclæis Triviæ lugebere nymphis : 505
Et quæ te leges , præceptaque fortia belli
Erudiit genitrix , nimium dedicisse queretur.
Talis Echionio Mavors in limine fævit.
Tandem humeris obnixus Acron , & pectori toto
Pronus Alimenides ferratæ robora portæ 510
Torserunt. quanta pariter cervice gementes
Profringunt inarata diu Pangæa juvenci.
Par operis jaætura lucro ; quippe hoste retento
Exclusere suos . cadit intra moenia Grajus
Ormenus , & pronas tendentis Amynthoris ulnas 515
Fundentisque preces , penitus cervice recisa
Verba solo , vultusque cadunt , colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.
Solvitur interea vallum , primæque recusant
Stare moræ. jam se peditum junxere catervæ 520
Mœnibus : at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis. hærent trepidi , atque immane paventes
Abruptum mirantur agi : nunc impetus ire
Margine ab extremo , nunc sponte in frena recedunt.
Hi præfixa solo vellunt munimina : at illi 525
Portarum objectus minuunt , & ferrea sudant
Claustra remoliri , trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco : pars ad fastigia missas

Statius.

D d

Exultant hæfisse faces ; pars ima laceſſunt,
Scrutanturque cavas cæca teſtudine turres.

At Tyrii , quæ ſola ſalus , caput omne coronant
Murorum , nigrasque ſudes , & lucida ferro
Spicula , & arſuras cœli per inania glandes ,
Saxaque in adverſos iſpis avulſa rotabant
Moenibus . exundant ſævo fastigia nimbo ,

Armatæque vomunt ſtridentia tela fenestræ.

Qualiter aut Malean , aut alta Ceraunia ſupra
Ceffantes in nube ſedent , nigrisque leguntur
Collibus , & ſubitæ ſaliunt in vela procellæ :

Talis Agenoreis Argivum exercitus armis
Obruitur . non ora virum , non pectora flectit
Imber atrox , rectosque tenent in moenia vultus
Immemores leti , & tantum ſua tela videntes.

Anthea falcato luſtrantem moenia curru

Defuper Ogygiæ pepulit gravis impetus haſtæ.

Lora excuſſa manu , retroque in terga volutus
Semianimos artus , ocreis retinentibus hæret
(Mirandum viſu belli ſcelus !) arma trahuntur ;

Fumantesque rotae tellurem , & tertius haſtæ

Sulcus arant . longo ſequitur vaga pulvere cervix ,

Ei ſupinarum patet orbita longa comarum.

At tuba luſtificis pulſat clangoribus urbem ,

Obſeptasque foreſ ſonitu perfringit amaro.

Divisere aditus , omnique in limine ſævus

Signifer ante omnes ſua damna , & gaudia portat.

Dira intus facies : vix Mavors ipſe videndo

Gaudeat . incertis lymphatam horribus urbem

Scindunt diſſenſu vario , luſtusque , furorque ,

530

535

540

545

550

555

- Et pavor, & cæcis fuga circumfusa tenebris.
 Bellum intrasse putes: fervent discursibus arces, 560
 Miscentur clamore viæ. ferrum undique, & ignes
 Mente vident: sævas mente accepere catenas.
 Consumbit ventura timor: jam teæta replerant,
 Templaque, & ingratæ vallantur planetibus aræ.
 Una omnes eademque subit formido per annos. 565
 Poscunt sata senes, ardet, palletque juventus,
 Atria femineis trepidant ululata querelis.
 Flent pueri, & flendi nequeunt cognoscere causas
 Attoniti, & tantum matrum lamenta timentes.
 Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem. 570
 Ipsiæ tela viris, ipsiæ iram animosque ministrant,
 Hortanturque, unaque ruunt, nec avita gementes
 Limina, nec parvos cessant ostendere natos.
 Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
 Armatas erexit apes, fremit aspera nubes: 575
 Inque vicem se se stridore hortantur, & omnes
 Hostis in ora volant; mox deficientibus alis
 Amplexæ, flavamque domum, captivaque plangunt
 Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.
 Nec non ancipitis pugnat fententia vulgi, 580
 Discordesque serit motus. hi reddere fratrem
 Nec mussant; sed voce palam, claroque tumultu
 Reddere regna jubent: periit reverentia regis
 Sollicitis: veniat, paetumque hic computet annum;
 Cadmeosque lares exful, parriasque salutet 585
 Infelix tenebras. cur autem ego sanguine fraudes,
 Et perjura luam regalis crimina noxæ?
 Inde alii: Sera ista fides; jam vincere mavult.

D d 2

- Tiresian alii lacrimis & supplice coetu
 Orant, quodque unum rebus folamen in arctis, 590
 Noste futura rogan. tenet ille inclusa, premitque
 Fata Deum: Quiane ante duci bene credita nostra
 Consilia & monitus, cum perfida bella vetarem?
 Te tamen, infelix, inquit, perituraque Thebe,
 Si taceam, nequeo miser exaudire cadentem, 595
 Argolicumque oculis haurire vacantibus ignem.
 Vincamur, pietas: pone eia altaria, virgo,
 Queramus superos. Facit illa, acieque sagaci
 Sanguineos flamarum apices, geminumque per aras
 Ignem, & clara tamen mediæ fastigia lucis 600
 Orta docet. tunc in speciem serpenis inanem
 Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem
 Demonstrat dubio, patriasque illuminat umbras.
 Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
 Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem. 605
 Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes
 Cæsaries insana levat. diducta putares
 Lumina, consumtumque genis rediisse nitorem.
 Tandem exundanti permisit verba furori:
 Audite, o fontes, extrema litamina Divum, 610
 Labdacidæ. venit alma salus, sed limite duro.
 Martius inferias & sæva efflagitat anguis
 Sacra, cadat generis quicunque novissimus exstat
 Viperei: datur hoc tantum victoria pæcto.
 Felix, qui tanta lucem mercede relinquet. 615
 Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
 Mœstus adhuc, patriæ tantum communia lugens
 Fata Creon; grandem subiti cum fulminis iustum,

- Non secus ac torta trajeſtus cufpide peſtus,
Accipit exanimis, ſentitque Menoecea poſci. 620
- Monſtrat enim, fuadetque timor. ſtupet anxius alto
Corda metu glaciante pater. Trinacia qualis
Ora repercuſſum Libyco mare ſumit ab æſtu.
Mox plenum Phœbo vatem & celerare jubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis 625
Nequidquam reticere rogaſ. jam fama ſacrata
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebae.
Nunc, age, quis ſtimulos & pulchræ gaudia mortis
Addiderit juveni (neque enim hæc abſentibus unquam
Mens homini transmiſſa Deiſ) memor incipe Clio, 630
Secula te quoniam penes & digeſta vetuſtas.
Diva Jovis folio juxta comes, unde per orbem
Rara dari, terrisque ſolet contingere virtus;
Seu pater omnipotens tribuit, five ipſa capaces
Elegit penetrare viros, coeleſtibus ut nunc 635
Defiſuit gavifa plagis, dant clara meanti
Afra locum, quoſque ipſa polis affixerat ignes.
Jamque premit terras, nec vultus ab æthere longe;
Sed placuit mutare genas: fit provida Manto,
Reſponſis ut plana fides, & fraude priores/ 640
Exiuit vultus. abiit horrore vigorque
Ex oculis, paulum decoris permanſit, honosque
Mollior, & poſito vatūm geſtamina ferro
Subdita. deſcendunt vefteſ, torviſque ligatur
Vitta comis (nam laurus erat) tamen aſpera produnt 645
Ora Deam, nimique gradus. ſic Lydia conjux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeriſ ridebat amiſtus,

Et turbare colus, & tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorum sacris, dignumque juberi 650
Talia, Dircæa stantem pro turre, Menoeceu,
Invenit. immensæ referato limine portæ
Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon.
Sed consanguinei quamvis, atque omnia fratres,
Tu prior. exanimes circumcumulantur acervi. 655
Omne feder telum: nulli sine cædibus iætus.
Necdum aderat virtus. non mens, non dextra quiescit;
Non avida arma vacant, ipsa insanire videtur
Sphynx galeæ custos, visoque animata cruento
Emicat effigies, & sparsa orichalca renident; 660
Cum Dea pugnantis capulum, dextramque repressit:
Magnanime o juvenis, quo non agnoverit ullum
Certius armifero Cadmi de semine Mavors,
Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita virtus:
Astra vocant, cœloque animam (plus concipe) mittes. 665
Jamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes, fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro sanguine poscunt.
Fama canit monitus, gaudet Cadmeia plebes
Certa tui. rape mente Deos, rape nobile fatum. 670
I, precor, acceleras, ne proximus occuper Hæmon.
Sic ait, & magna cunctantis pectora dextra
Permulsit tacite, seque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupressus
Combibit infestas & stirpes & vertice flamas, 675
Quam juvenis multo possessus numine pectus
Erexit sensus, letique invasit amorem.
Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit,

Et subitam a terris in nubila crescere Manto,
 Obstupuit. Sequimur, Dixum quæcunque vocasti, 680
 Nec tarde paremus, ait. jamjamque recedens,
 Instantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
 Armigeri fessum excipiunt. tum vulgus euntem
 Auctorem pacis, servatoremque, Deumque
 Conclamat gaudens, atque ignibus implet honestis. 685
 Jamque iter ad muros cursu festinus anhelo.
 Obtinet, & miseros gaudet vitasse parentes;
 Cum genitor (steteruntque ambo & vox hæsit utrinque,
 Dejectæque genæ) tandem pater ante profatur:
 Quis novus inceptis rapuit te casus ab armis? 690
 Quæ bello graviora paras? dic, nate, precanti,
 Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore
 Pallor? & ad patrios non stant tua lumina vultus?
 Audisti responsa, palam est. per ego oro tuosque,
 Nate, meosque annos, miseraeque per ubera matris, 695
 Ne vati, ne crede, puer. superine profanum.
 Dignantur stimulare senem? cui vultus, inanis,
 Extinctique orbes, & poena simillima diro.
 Edipodæ? quid si infidiis, & fraude dolosa
 Rex agit? extrema est cui nostra in sorte timori. 700
 Nobilitas, tuaque ante duces notissima virtus.
 Illius hæ forsitan remur, quæ verba Deorum
 Ille monet. ne frena animo permitte calenti:
 Da spatum, tenuemque moram: male cuncta ministrat
 Inpetus. hoc, oro, munus concede parenti. 705
 Sic tua maturis signentur tempora canis,
 Et sis ipse parens, & ad hunc, animose, timorem
 Pervenias. ne perge meos orbare penates.

Externi te nempe patres , alienaque tangunt
Pignora ? si pudor est , primum miserere tuorum.

710

Hæc pietas , hic verus honos , ibi gloria tantum
Ventosumque decus , titulique in morte latentes.

Nec timidus te flecto parens : i , prælia misce ,

Per Danaas acies , mediosque per obviis enses ;

Non teneo . liceat misero tremebunda lavare

715

Vulnera , & undantem lacrimis siccare cruentem ;

Teque iterum fævis , iterumque remittere bellis.

Hoc malunt Thebae . Sic colla manusque tenebat

Implicitus . sed nec lacrimæ , nec verba movebant

Dis votum juvenem . quin & monstrantibus illis

720

Fraude patrem tacita subit , avertitque timorem :

Falleris heu , verosque metus , pater optime , nescis.

Non me ulli monitus , nec vatum exorsa furentum

Sollicitant , manesque movent : sibi callidus ista

Tirefias , natæque canat . non si ipse reclusis

725

Cominus ex adytis in me insaniret Apollo.

Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem

Sponte refert . gemit Inachia mihi saucius Hæmon

Cuspide . vix illum medio de pulvere belli

Inter utrasque acies , jamjamque tenentibus Argis:

730

Sed moror . i , refove dubium , tubæque ferenti

Dic , pareant , leviterque vehant . ego vulnera doctum

Jungere , supremique fugam revocare cruxoris

Eetiona petam . Sic imperfecta locutus

Effugit . illi atra mersum caligine pectus


735

Confudit sensus . pietas incerta vagatur ,

Discordantque metus : impellunt credere Parcae.

Turbidus interea ruptis venientia portis

- Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.
 Cornua nunc equitum , cuneos nunc ille pedestres , 740
 Et proculcantes moderantum funera currus.
 Idem altas turres saxis , & turbine crebro
 Laxat : agit turmas idem , atque in sanguine fumat.
 Nunc spargit torquens volucri nova vulnera plumbō ;
 Nunc jaculum excusfo rotat in sublime lacerto , 745
 Nullaque tectorum subit ad fastigia , quæ non
 Deferat hasta virum , perfusaque cæde recurrat.
 Nec jam aut Æniden , aut Hippomedonta peremtos ,
 Aut vatem Pelopea phalanx , aut Arcada credunt :
 Quin sociūm coiisse animas , & corpore in uno 750
 Stare omnes : ita cuncta replet . non ullius ætas ,
 Non cultus , non forma movet . pugnantibus idem ;
 Supplicibusque furit . non quisquam obfistere contra ,
 Non belli tentare vices . procul arma furentis ,
 Terribilesque jubas , & frontem cassidis horrent . 755
 At pius electa murorum in parte Menœceus ,
 Jam sacer aspectu solitoque augustior ore ,
 Ceu subito in terras supero demissus ab axe ,
 Constitit , exenta manifestus casside nosci ,
 Despexitque acies hominum , & clamore profundo 760
 Convertit campum , jussitque silentia bello.
 Armorum Superi , tuque o qui funere tanto
 Indulges mihi , Phœbe , mori , date gaudia Thebis ,
 Quæ pepigi , & toto quæ sanguine prodigus emi .
 Ferte retro bellum , captæque impingite Lernæ 765
 Relliquis turpes , confixaque terga foventes
 Inachus indecores pater aversetur alumnos .
 At Tyriis templa , arva , domos , connubia , natos



Reddite morte mea, si vos placida hostia juvi;
 Si non attonitis variis consulta recepi
 Auribus, & Thebis nondum credentibus hausi;
 Hæc Amphioniis pro me perfolvite terris,
 Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem:
 Sic ait, insignemque animam mucrone corusco
 Dediantem artus pridem, molestamque teneri
 Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
 Sanguine tunc spargit turres, & moenia lustrat,
 Seque super medias acies, nondum ense remisso,
 Jecit, & in sævos cadere est conatus Achivos.
 Ast illum amplexæ Pietas Virtusque, ferebant
 Leniter ad terras corpus. jam spiritus olim
 Ante Jovem, & summis apicem fibi poscit in astris.
 Jamque intra muros nullo sudore receptum
 Gaudentes heroa ferunt, abscesserat ultro
 Tantalidum venerata cohors. subit agmine longo
 Colla inter juvenum, lætisque favoribus omni
 Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona supra
 Conditor. hi fertis, hi veris honore soluto.
 Accumulant artus, patriaque in sede reponunt
 Corpus adoratum. repetunt mox bella peractis
 Laudibus. hic viæta genitor lacrimabilis ira
 Congemit, & tandem matri data flere potestas:
 Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
 Devotumque caput, vilis ceu mater alebam?
 Quod molita nefas? cui tantum invisa Deorum?
 Non ego monstrifero coitu revoluta notavi
 Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.
 Quid refert? habet ecce suos locasta ducesque,

770

775

780

785

790

795

- Regnantesque videt. non sœva piacula bello
 Demus, ut alternis (placet hoc tibi fulminis auctor) 800
 Edipodionii mutent diademata fratres.
 Quid superos, hominesve queror? tu, sœve Menœceu,
 Tu miseram ante omnes properasti extingue matrem.
 Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti?
 Quosve ego conceptus, aut quæ male pignora fudi 803
 Tam diversa mihi? nimirum Martius anguis,
 Quæque novis proavum tellus effluit armis.
 Hinc animi tristes, nimiusque in pectore Mavors,
 Et de matre nihil. sponte en ulroque peremtus
 Irrumpis mœstas fatis nolentibus umbras. 810
 Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar.
 Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod amens
 Ipsa dedi viden'. ut jugulo consumferit ensim?
 Altius hauri quisquam Danaum mucrone subisset.
 Diceret infelix etiamnum & cuncta repleret 815
 Questibus. abducunt comites, famulæque perosam
 Solantes thalamoque tenent. sedet eruta multo
 Ungue genas. non illa diem, non verba precantium
 Respicit, aut visus flebit tellure relatos,
 Jam vocis, jam mentis inops. sic aspera tigris 820
 Fœtibus abreptis Scythico deserta sub antro
 Accubat, & tepidi lambit vestigia faxi.
 Nusquam iræ: sedit rabies, feritasque, famesque
 Oris, eunt præter secura armenta, gregesque.
 Aspicit illa jacens. ubi enim, quibus ubera pascat, 825
 Aut quos ingenti premat exspectata rapina?
 Haetenus arma, tubæ, ferrumque, & vulnera. sed nunc
 Cominus astrigeros Capaneus tollendus in axes.

Non mihi jam solito vatum de more canendum :
Major ab Aoniis sumenda audacia lucis.

830

Mecum omnes audete Deæ. sive ille profunda
Missus nocte furor, Capaneaque signa secutæ
Arma Jovem contra Stygiæ rapuere sorores,
Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum
Principia, & blandæ Superum mortalibus iræ.
Jam fordent terrena viro, tædetque profundæ
Cædis, & exhaustis olim Grajumque, suisque
Missilibus, lassa respexit in æthera dextra.

835

Ardua mox torvo metitur culmina visu,
Innumerousque gradus, gemina latus arbore clusus
Aerium sibi portat iter, longeque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent una, clypeoque incendit ignis.
Hac, ait, in Thebas, hac me jubet ardua virtus

840

Ire, Menœceo qua lubrica sanguine turris.

845

Experiar, quid sacra juvent, an falsus Apollo.

Dixit, & alterno captiva in mœnia gressu

Surgit ovans, quales mediis in nubibus æther

Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus

850

Despectura Deos, nec adhuc immane veniret

Pelion, & trepidum jam tangeret Offa Tonantem.

Tum vero attoniti fatorum in cardine summo,

Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis

Æquatura solo turres Bellona subiret,

855

Omnibus e testis certatim ingentia faxa,

Roboraque, & gravidas fundæ balearis habenas,

(Nam jaculis, cæloque vagis spes unde sagittis?)

Verum avidi & tormenta rotant, & molibus urgent.

Ille nec ingestis, nec terga sequentibus unquam 860

Detrahitur telis, vacuoque sub aere pendens

Plana velut terra certus vestigia figat,

Tendit, & ingenti subit occurrente ruina.

Amnis ut incumbens longævi robora pontis

Affiduis oppugnat aquis, jam faxa fatiscunt, 865

Emotæque trabes: tanto violentior ille

(Sævit enim majore fallo) quassatque, trahitque

Molem ægram, nexus donec celer alveus omnes

Abscidit, & cursu victor respirat aperto.

Utque petita diu celsus fastigia supra

Eminuit, trepidamque assurgens desuper urbem

Vidit, & ingenti Thebas exterruit umbra,

Increpat attonitos: Humilesne Amphionis arces,

Pro pudor, hi faciles, carmenque imbelle secuti,

Et, mentita diu Thebarum fabula, muri?

Et quidnam egregium prosternere moenia molli

Strueta lyra? simul insultans, gressuque, manuque

Molibus obstantes cuneos, tabulataque sævus

Destruit, absiliunt pontes, tectique tremantis

Saxeа frena labant, disseptoque aggere rursus

Uiuit, & truncas rupes in templa, domosque

Präcipitat, frangitque suis jam moenibus urbem.

Jamque Jovem circa studiis diversa fremebant

Argolici, Tyriique Dei. pater æquus utrisque

Aspicit ingentes ardendum cominus iras,

Seque obstante videt, gemit inservante noverca

Liber, & obliquo respectans lumine patrem:

Nunc ubi sæva manus, meaque heu cunabula flammæ,

870

875

880

885

- Fulmen, io ubi fulmen? ait. gemit auctor Apollo;
 Quas dedit ipse, domos. Lernam, Thebasque rependit 890
 Mœstus, & intento dubitat Tirynthius arcu.
 Maternos plangit volucer Danaeius Argos.
 Flet Venus Harmoniae populos: metuensque mariti
 Stat procul, & tacita Gradium respicit ira.
 Incrèpat Aonios audax Tritonia Divos. 895
 Junonem tacitam furibunda silentia torquent.
 Non tamen hæc turbant pacem Jovis. ecce quierant
 Jurgia, cum mediis Capaneus auditus in astris.
 Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
 Statis? ubi infandæ segnes telluris alumni, 900
 Bacchus & Alcides? piget instigare minores.
 Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
 Dignior?) en cineres Semeleaque busta tenentur.
 Nunc age, nunc totis in me connitere flammis
 Juppiter. an pavidas tonitru turbare puellas
 Fortior? & soceri thalamos exscindere Cadmi? 905
 Ingemuit diëtis Superum dolor. ipse furentem
 Risit, & incussa sanctorum mole comarum,
 Quænam spes hominum tumidæ post proelia Phlegræ?
 Tune etiam feriendus? ait. premit undique lendum 910
 Turba Deum frendens, & tela ultricia poscit.
 Nec jam audet fatis turbata obfistere conjux.
 Ipsa dato nondum coelestis regia signo
 Sponte tonat, coeunt ipsæ sine flamme nubes;
 Accurruntque imbres. Stygias rupisse catenas 915
 Iapetum, aut viëtam supera ad convexa levari
 Inarimen, Ætnamve putes. puder ista timere
 Cœlicolas. sed cum in media vertigine mundi

Stare virum, insanasque vident deposcere pugnas,
Mirantur taciti, & dubio pro fulmine pendent.

929

Cœperat Ogygiæ supra fastigia turris

Arcanum mugire polus, coelumque tenebris

Auferrī: tenet ille tamen, quas non videt, arces;

Fulguraque attritis quoties micuere procellis,

His, ait, in Thebas, his jam decet ignibus uti,

Hinc renovare facem, laffamque accendere querum.

Talia dicentem toto Jove fulmen adactum

Corripuit, primæ fugere in nubila cristæ,

Et clypei niger umbo cadit, jamque omnia lucent

Membra viri, cedunt acies, & terror utrinque,

Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.

Intra se stridere facem, galeamque, comasque

Quærit, & urentem thoraca repellere dextra

Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.

Stat tamen, extremumque in fidera versus anhelat,

Pectoraque invisis obicit fumania muris,

Ne caderet, sed membra virum terrena relinquunt,

Exuiturqué animus, paulum si tardius artus

Cessisset, potuit fulmen meruisse secundum.

925

930

935

P. PAPINII STATII
T H E B A I D O S
L I B E R XI.

POSTQUAM magnanimus furias virtutis iniquæ
 Consumfit Capaneus , exspiravitque receptum
 Fulmen , & ad terras longe comitata cadentem
 Signavit muros ultricis semita flammæ :
 Componit dextra vīctor concussa plagarum
 Juppiter , & vultu cœlumque diemque reducit.
 Gratantur Superi , Phlegræ ceu fessus anhelet
 Proelia , & Encelado fumantem impresserit Ætnam.
 Ille jacet laceræ complexus fragmina turris ,
 Torvus adhuc visu , memorandaque facta relinquens
 Gentibus , atque ipsi non illaudata Tonanti.
 Quantus Apollineæ temerator matris Averno
 Tenditur : ipsæ horrent , si quando peñtore ab alto
 Emergunt volucres , immensaque membra jacentis
 Spectant , dum miseræ crescunt in pabula fibræ.
 Sic gravat injectus terras , hostiliaque urit
 Arva , & anhelantem cœlesti sulfure campum.
 Respirant Thebæ , templisque jacentia surgunt

5

10

15

Agmina. jam finis votis , finisque supremis
 Planetibus , & natos ausæ deponere matres. 20
 At vaga palantes campo fuga volvit Achivos.
 Nec jam aut hostiles turmæ , aut ferrum mortale timetur :
 Omnibus ante oculos iræ Jovis , omnibus ardent
 Arma metu , galeæque tonant , visusque paventes
 Ipse sequi , & profugis opponere Juppiter ignes. 25
 Instat Agenoreus miles , cœlique tumultu
 Utitur : indomitos ut cum Massyla per arva
 Armenti reges magno leo fregit hiatu ,
 Et contentus abit : rauci tunc cominus ursi ,
 Tunc avidi venere lupi , rabieque remissa 30
 Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
 Hinc premit Eurymedon , cui rusticus horror in armis ,
 Rustica tela manu , patriumque agitare tumultum .
 Pan illi genitor : tener hinc conatibus annos
 Egreditur , juvenemque patrem puer æquat Alatreus. 35
 Felices ambo ; sed fortunatior ille ,
 Quem genuisse juvat . nec jam dignoscere promtum ,
 Quæ magis arma sonent , quo plus eat hasta lacerto.
 Arctatur denso fugientum examine vallum .
 Quas volvis , Gradive , vices ? modo mœnia Cadmi 40
 Scandebant , sua nunc defendunt testa Pelasgi .
 Ceu redeunt nubes , ceu circumflantibus Austris
 Alternus procumbit ager , ceu gurgite cano
 Nunc retegit bibulas , nunc obruit æstus arenas .
 Procumbit late pubes Tirynthia , alumni 45
 Exuvias imitata Dei . trux moeret ab alto
 Amphitryoniades Nemeæa in sanguine terga ,
 Et similes ramos , similesque videre pharetras .

Statius.

E e

Stabat in Argolicae ferrato margine turris
 Egregius litno dextri Mavortis Enipeus 50
 Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum,
 Suadebatque fugam, & tutos in castra receptus:
 Cum subitum obliquo descendit ab aere vulnus,
 Urgentisque sonum læva manus aure retenta est,
 Sicut erat: fugit in vacuas jam spiritus auras,
 Jam gelida ora tacent, carmen tuba sola peregit. 55
 Jamque potens scelerum, geminæque exercita gentis
 Sanguine, Tisiphone fraterna cludere quærit
 Bella tuba. nec se tanta in certamina retur
 Sufficere, inferna comitem ni fede Megæram, 60
 Et consanguineos in prælia suscitet angues.
 Ergo procul vacua confedit valle, solumque
 Ense fodit Stygio, terræque immurmurat absens
 Nomen, &, Elysii signum indubitabile regnis,
 Crinalem attollit longo stridore cerasten. 65
 Cæruleæ dux ille comæ, quo protinus omnis
 Horruit audito tellus, pontusque, polusque,
 Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes.
 Accipit illa sonum. Itabat tunc forte parenti
 Proxima, dum coetu Capaneus laudatur ab omni
 Ditis, & insignem Stygiis fovet annibus umbram. 70
 Protinus abrupta terrarum mole sub astris
 Constituit, exsultant Manes, quantumque profundæ
 Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit.
 Excipit atra soror, dextræque innixa profatur;
 Hac germana tenus Stygii metuenda parentis 75
 Imperia, & jussos potui tolerare furores,
 Sola super terras, hostilique obvia mundo,

Dum vos Elysum & faciles compescitis umbras.

Nec pretium deformè moræ , cassique labores.

80

Hoc quodcunque madent campi , quod sanguine fumant

Stagna , quod in numero Lethæa examine gaudet

Ripa , meæ vires , mea læta insignia . sed quid

Hæc ego ? Mars habeat , vulgataque jaetet Enyo.

Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris)

85

Sanguine foedatum rictus , atroque madentem

Ora ducem tabo . miserum insatiabilis edit

Me tradente caput . modo nempe horrendus ab astris

Descendit vos usque fragor . mea sacra premebat

Tempestas , ego mixta viri furialibus armis

90

Bella Deum , & magnas ridebam fulminis iras.

Sed jam (effabor enim) longo sudore fatiscunt

Corda , soror , tardæque manus . hebet infera coelo

Taxus , & insuetos angues nimia astra soporant.

Tu , cui totus adhuc furor , exultantque recentes

95

Cocyri de fonte comæ , da jungere vires.

Non solitas acies , nec Martia bella paramus ,

Sed fratribus (licet alma fides , pietasque repugnant ,

Vincentur) fratribus stringendi cominus enses.

Grande opus . ipsæ odiis , ipsæ discordibus armis

100

Aptemur . quid lenta venis ? agedum elige , cuius

Signa feras : ambo faciles , nostrique ; sed anceps

Vulgus , & affatus matris , blandamque precatu

Antigonem timeo , paulum ne nostra retardet

Consilia . ipse etiam , qui nos laffare precando

105

Suetus , & ultrices oculorum exposcere diras ,

Jam pater est . coetu fertur jam solus ab omni

Flere sibi . atque adeo moror ipsa irrumpere Thebas ,

Assuetumque larem. tibi pareat impius exful,
 Argolicumque impelle nefas; neu mitis Adrastrus 110
 Prævaleat, plebesque, cave, Lernæa moretur.
 Vade, & in alternas inimica revertere pugnas.
 Talia partitæ diversum abierte sorores.
 Ut Notus & Boreas, gemino de cardine mundi,
 Hiē nive Rhiphæa, Libycis hic paſtus arenis, 115
 Bella crient, clamant amnes, freta, nubila, silvæ;
 Jamque patent strages, plangunt sua damna coloni,
 Et tamen oppresſos miserantur in æquore nautas.
 Illas ut summo vidiſt pater altus Olympo
 Inceſtare diem, trepidumque Hyperionis orbem 120
 Suffundi maculis, torvo ſic inchoat ore:
 Vidimus armiferos, quo fas erat uſque, furores,
 Cœlicolæ, licitasque acies, etiſi impia bella
 Unus init, ausuſque mea procumbere dextra.
 Nunc par infandum, miſerisque incognita terris 125
 Pugna ſubeft. auferte oculos. absentibus auſint
 Iſta Deis, lateantque Jovem. ſat funera mensæ
 Tantaleæ, & fontes vidiffe Lycaonis aras,
 Et festina polo ducentes astra Mycenæ.
 Nunc etiam turbanda dies. mala nubila tellus 130
 Accipe, ſecendantque poli: ſtat parcere mundo,
 Cœlitibusque meis. ſaltem ne virginis almæ
 Sidera, Ledæi videant neu talia frates.
 Sic pater omnipotens, viſuſque nocentibus arvis
 Abſtulit, & dulci terræ caruere fereno. 135
 Jamque per Argolicas Erebo ſata virgo cohortes
 Vestigat Polynicis iter, portisque ſub iſpis
 Invenit, incertum leto tot iniqua fugane

Exeat, & dubios turbabant omina sensus.

Viderat, obscura vallum dum nocte pererrat. 140

Æger consilii, curisque novissima volvens,

Conjugis Argiae lacera cum lampade mœstam

Effigiem. (sunt monstra Deum, sic ire parabat;

Has latura viro tædas erat) ergo roganti,

Quæ via, quisve dolor, cur mœsta insignia? tantum 149

Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.

Scit mentem vidisse nefas. etenim unde Mycenis

Adforet, & vallum conjux inopina subiret?

Sed fati monitus, vicinaque funera sentit,

Ac sentire timet. cum vero Acherontis operti 150

Diva ter admoto tetigit thoraca flagello,

Ardet inops animi, nec tam considere regno,

Quam scelus, & cædem, & perfoSSI in sanguine fratris.

Exspirare cupit, subitusque affatur Adraustum:

Sera quidem, extremus socium, gentisque superstes 155

Argolicæ, consulta, pater, jam rebus in arctis

Aggredior: tunc tempus erat, cum sanguis Achivum

Integer, ire ultiro, primamque capessere pugnam.

Non plebis Danaæ florem, regumque verendas.

Objectare animas, ut lamentabile tantis 160

Urbibus induerem capitì decus: aspera quando-

Præcepit virtus; nunc saltē exsolvore fas sit,

Quæ merui. scis namque, socer, licet alta recondas.

Vulnera, & afflictum generi vereare pudorem:

Ille ego sum, qui te pacem & pia jura regentem 165

Infelix (utinamque aliis datis urbibus hospes)

Extorrem patria, regnoque. sed exige tandem

Supplicia. fratrem suprema in bella (quid horres?

Decretum est , fixumque) voco. defiste morari :
 Nec poteris. non si atra parens , miseræque sorores 170
 In media arma cadant: non si ipse ad bella ruent
 Obstet , & extinctos galeæ pater ingerat orbes ,
 Deficiam. anne bibam superest quodcunque crux
 Inachii ? & vestris etiamnum mortibus utar ?
 Vidi egomet propter rupios telluris hiatus , 175
 Nec subii : vidi exanimum , fecique nocentem
 Tydea : me Tegee regem indefessa reposcit ,
 Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris.
 Ipse nec Ismeni ripas , dum stagna cruentat
 Hippomedon , Tyrias potui nec scandere turre , 180
 Dum tonat , & tecum , Capaneu , miscere furores ?
 Quis tantus pro luce timor ? sed digna rependam.
 Conveniant ubicunque nurus , matresque Pelasgæ ,
 Longæisque patres , quorum tot gaudia carpsi ,
 Orbavique domos. fratri concurro : quid ultra est ? 185
 Specent , & votis victorem Etheoclea poscant.
 Jamque vale , conjux , dulcesque valete Mycenæ.
 At tu care sacer (nec enim omnis culpa malorum
 Me penes : & Superi mecum , Parcaeque nocentes)
 Sis lenis cineri , meque hæc post proelia raptum 190
 Alitibus , fratrique tegas , urnaque reportes.
 Hoc tantum , & natæ melius connubia jungas.
 Ibant in lacrimas ; veluti cum vere reverso
 Bistoniæ repuere nives , summittitur ingens
 Hæmus , & angustos Rhodope descendit in amnes . 195
 Cœperat & leni senior mulcere furentem
 Alloquio. scidit orsa novo terrore cruenta
 Eumenis , alipedemque citum , fataliaque arma ,

- Protinus Inachii vultus expressa Perinthi
Obtulit, ac fidas exclusit casside voces. 200
- Ac super hæc: Abrumpe moras: celeremus, & illum
Adventare ferunt portis. Sic omnia vicit,
Correptumque injectis equo. volat æquore aperto
Pallidus, instantemque Deæ circumspicit umbram.
Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine duxit 205
Nequidquam Danaos ratus exarmasse ferebat.
Nec pater ætherius, Divumque has ullus ad aras;
Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Adstat, & inferno prævertit vota Tonanti.
Summe Deum, tibi namque meæ primordia Thebæ 210
(Liveat infandum licet Argos, & aspera Juno)
Debent, Sidonios ex quo per litora raptor
Turbasti thyasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, & placidas falsum mugire per undas!
Nec te vana fides, iterum Cadmeia adeptum 215
Connubia, & Tyrios nimium irrupisse penates.
Tandem, inquam, soceros, dilecta que moenia gratus
Respicis, assertorque tonas. ceu regia coeli
Attentata tui; sic te pro turribus altis
Vidimus urgenter nubes, lateque benignum 220
Fulmen, & auditos proavis agnovimus ignes.
Accipe nunc pecudes, & magni turis acervos,
Votivumque marem. dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est. certent tibi reddere Bacchus.
Noster, & Alcides. illis hæc moenia serva. 225
Dixerat. ast illi niger ignis in ora genasque
Profiluit, raptumque comis diadema cremavit.
Tunc ferus ante istum spumis delubra cruentat

Taurus, & obstantum mediis e cœribus exit
Turbidus, insano feriens altaria cornu.

Diffugiunt famuli, & regem solatur haruspex.

Ipse instaurari sacrum male fortis, agique

Imperat, & magnos fido premit ore timores.

Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem

Sensit, & Æteas membris accedere vestes,

Vota incepta tamen, libataque tura ferebat

Durus adhuc, patiensque mali, mox grande coactus

Ingemuit, victorque furit per viscera Nessus.

Nuntius exanimi suspensus pectora cursu

Ægyptus ad regem portæ statione relicta

Tendit, & hæc trepido vix intellectus anhelat:

Rumpe pios cultus, intempestivaque, rector,

Sacra Deûm. frater muris circum omnibus instat,

Portarumque moras frenis assultat, & hastis,

Nomine te crebro, te solum in prælia poscens.

Flent moesti retro comites, & uterque loquenti

Adgemit, & pulsis exercitus obstrepit armis.

Ille vocat: Nunc tempus erat, sator optime Divum.

Quid meruit Capaneus? turbatus inhorruit altis

Rex odiis, mediaque tamen gavisus in ira est.

Sic ubi regnator post exsulis otia tauri,

Mugitum hostilem summa tulit aure juvencus,

Agnovitque minas, magna stat fervidus ira

Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert,

Nunc pede torvis humum, nunc cornibus aera findens.

Horret ager, trepidaque exspectant prælia valles.

Non desunt regi comites: Sine, mœnia pulset

Irritus, ille autem fractis hoc audeat usque

230

235

240

245

250

255

Viribus? hic miseris furor est instare periclo,

Nec librare metus, & tuta odiſſe. resiste

260

Hoc freuis folio. nos propulsabimus hostem.

Hos bellare jube. Sic proxima turba, sed ardens

Ecce aderat luētu, dicturisque omnia belli

Libertate Creon. urit fera corda Menoeceus:

Nulla patri requies: illum quærítque, tenetque.

265

Illum sanguineos proflantem peſtore rivos

Aspicit, & ſæva ſemper de turre cadentem.

Ut dubium, & pugnas cunctantem Etheoclea vidit:

Ibis, ait, neque te ulterius, fratumque ducumque

Peffime, funeribus patriæ, lacrimisque potum,

270

Eumenidum bellique reum, patiemur inulti.

Sat tua non æquis luimus perjuria Divis.

Urbem armis, opibusque gravem, & modo civibus arſtam;

Ceu cœlo dimiſſa lues, inimicave tellus

Hauiſſi, vacuamque tamen ſublimis obumbras?

275

Deest ſervitio plebes, hos ignis egentes

Fert humus, hos pelago patrius jam detulit amnis.

Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.

Redde agedum miseriſ fratres, natosque, patresque,

Redde arvis domibusque viros. ubi maximus Hypſeus,

280

Finitimusque Dryas? ubi Phocidos arma ſonoræ,

Euboicique duces? illos tamen æqua duelli

Fors tulit ad Manes. at tu (pudet) hostia regni,

Hostia, nate, jaces, ceu mutus & e grege ſanguis.

Hei mihi primitiis armorum, & rite nefasto

285

Libatus, jussusque mori, & cunctabitur ultra

Iſte? nec adverſo nunc ſaltem Marte vocatus

Stabit? an in pugnas alium jubet ire profanus

Tirefias? iterumque meos oracula ne&tit
 In gemitus? quid enim misero super unicus Hæmon? 290
 Ille jube subeat, tuque hinc spectator ab alta
 Turre sede, quid sœva fremis, famulamque cohortem
 Respe&tas? hi te ire volunt, hi pendere pœnas:
 Ipsa etiam genitrix, ipsæque odere sorores.
 In te ardens frater ferrum, mortemque minatur, 295
 Sœvaque portarum convellit claustra, nec audes?
 Sic pater infrendens, miseraque ex&aestuat ira.
 Ille sub hæc: Non fallis, ait, nec te inclyta nati
 Fata movent: canere illa patrem, & ja&stare decebat.
 Sed spes sub lacrimis, spes atque occulta cupido 300
 His latet: insano prætendis funera voto,
 Meque premis frustra, vacuæ ceu proximus aulæ.
 Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,
 In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.
 Nec mihi difficilis præsens vindicta. sed arma, 305
 Arma prius famuli. coeant in proelia fratres.
 Vult gemitus lenire Creon: Luerare furorem:
 Victori mihi cuncta lues. sic jurgia paulum
 Distulit, atque ensem, quem jam dabit ira, repressit.
 I&etus ut incerto pastoris vulnere serpens 310
 Erigitur gyro, longumque e corpore toto
 Virus in ora legit; paulum si devius hostis
 Torsit iter, cecidere minæ, tumefactaque frustra
 Colla sedent, irasque sui bibit ipse veneni.
 At genitrix primam funestæ sortis ut amens 315
 Expavit famam, (nec tarde credidit) ibat
 Scissa comas, vultuque, & pectore nuda cruento,
 Non sexus, decorisve memor. Pentheia qualis

- Mater ad insani scandebat culmina montis , non fuisse illis
Promissum sœvo caput allatura Lyæo. 320
- Non comites , non ferre ipsæ vestigia natæ
Æqua valent : tantum miseræ dolor ultimus addit
Robur , & exsangues crudescunt luctibus anni.
Jamque decus galeæ , jam spicula sœva ligabat
Ductor , & ad lituos hilarem , trepidumque tubarum 325
Prospiciebat equum : subito cum apparuit ingens
Mater , & ipse metu famulumque expalluit omnis
Coetus , & oblatam retro dedit armiger hastam.
Quis furor ? unde iterum regni integrata resurgit
Eumenis ? ipsi etiam post omnia , cominus ipsi 330
Stabitis ? usque adeo geminas duxisse cohortes ,
Et facinus mandasse parum est ? quo deinde redibit
Victor ? in hosne sinus ? o diri conjugis olim
Felices tenebræ ! datis improba lumina poenas.
Hæc spectanda dies ? quo , sœve , minantia flebitis 335
Ora ? quid altermos vultus pallorque ruborque
Mutat ? & obnixi frangunt mala murmura dentes ?
Me miseram , vinces ! prius hæc tamen arma necesse est
Experiare domi. stabo ipsa in limine portæ
Auspicium infelix , scelerumque immanis imago. 340
Hæc tibi canities , hæc sunt calcanda , nefande ,
Ubera , perque uterum sonipes hic matris agendus.
Parce : quid oppositam capulo parmaque repellis ?
Non ego te contra Stygiis feralia sanxi
Vota Deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi. 345
Exaudi miseram : genitrix te , sœve , precatur ,
Non pater. adde moram sceleri , & metire , quod audes.
Sed pulsat muros germanus , & impia contra

- Bella ciet? non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror. te cuncta rogan, hic plangimus omnes. 359
- Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastrus,
Aut fortasse jubet. tu limina avita Deosque
Linquis, & a nostris in fratrem amplexibus exis?
At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus (nec casta retardat 355
Virginitas) volat Ogygii fastigia muri
Exsuperare furens. senior comes hæret eunti
Actor, & hic summas non duraturus ad arces.
Utque procul visis paulum dubitavit in armis,
Agnovitque (nefas !) jaculis & voce superba 360
Tecta incessentem , magno prius omnia planctu
Implet, & e muris ceu descensura profatur:
Comprime tela manu, paulumque hanc aspice turrim;
Frater, & horrentes refer in mea lumina cristas.
Agnoscisne hostes? sic annua paeta fidemque 365
Poscimus? hi questus? hæc est bona causa modesti
Exfulis? Argolicos per te, germane, penates
(Nam Tyriis jam nullus honos) per si quid in illa
Dulce domo, summitte animos, en utraque gentis
Turba rogan, ambæque acies. rogar illa suorum
Antigone devota malis, suspecta que regi,
Et tantum tua, dure, soror. saltem ora trucesque
Solve genas. liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos, &, ad hæc lamenta, videre,
Anne fleas. illum gemitu jam supplice mater
Frangit, & exsartum dimittere dicitur ensem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte dieque
Exilia erroresque fleo? jam jamque tumentem 375

- Placavit tibi, sœve, patrem. quid crimine solvis
 Germanum? nempe ille fidem & stata foedera rupit, 380
 Ille nocens, sœvusque suis: tamen ecce vocatus
 Non venit. His paulum furor elangescere dictis
 Cooperat, obstreperet quanquam atque obstatet Erinnys.
 Jam summissa manus, lente jam flebit habenas,
 Jam tacet. erumpunt gemitus, lacrimasque fatetur 385
 Cassis. hebet iræ: pariterque & abire nocentem,
 Et venisse pudet; subito cum matre repulsa
 Eumenis ejecit frætis Etheoclea portis
 Clamantem, Venio, solumque, quod ante vocasti,
 Invideo. neinceste moras, gravis arma tenebat 390
 Mater. io patria, o regum incertissima tellus,
 Nunc certe victoris eris. nec mitior ille,
 Tandem, inquit, scis, sœve, fidem? & descendis in æquum?
 O mihi nunc primum longo post tempore frater,
 Congredere: hæ leges, hæc foedera sola supersunt. 395
 Sic hostile tuens fratrem: namque uritur alto
 Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis,
 Instratusque ostro sonipes, quod fulva metallo
 Parma micet: quanquam haud armis inhonorus & ipse,
 Nec palla vulgare nitens: opus ipsa novarat 400
 Mœoniis Argia modis, & pollice docto
 Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ.
 Jamque in pulvereum furiis hortantibus æquor
 Profiliunt: sua quemque comes stimulatque, regitque.
 Frena tenent ipsæ, phalerasque, & lucida comunt 405
 Arma manu, mixtisque jubar serpentibus augent.
 Stat consanguineum campo scelus, unius ingens
 Bellum uteri, coeuntque pares sub casside vultus.

Signa tacent, siluere tubæ, stupefactaque Martis
 Cornua. ter nigris avidus regnator ab oris 410
 Intonuit, terque ima soli concussit, & ipsi
 Armorum fugere Dei. nusquam inclyta Virtus,
 Restinxit Bellona faces, longeque paventes
 Mars rapuit currus, & Gorgone cruda virago
 Abstirrit, inque vicem Stygiæ rubuere sorores. 415
 Prominet excelsis vulgus miserabile testis:
 Cuncta madent lacrimis, & ab omni plangitur arce.
 Hinc questi vixisse senes, hinc pectora nudo
 Stant matres, parvosque vetant attendere natos.
 Ipse quoque Ogygios monstra ad gentilia manes 420
 Tartareus rector porta jubet ire reclusa.
 Montibus insidunt patriis, tristique corona
 Infecere diem, & vinci sua crimina gaudent.
 Illos ut stimulis ire in discrimen apertis
 Audiit, & sceleri nullum jam obstatre pudorem, 425
 Advolat, & medias immittit Adrastrus habenas.
 Ipse quidem regnis multum & venerabilis ævo,
 Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curæ?
 Alternos tamen ille rogat: Spectabimus ergo,
 Inachidæ, Tyriique nefas? ubi jura, Deique? 430
 Bella ubi? ne perstate animis. te deprecor, hostis,
 (Quanquam, hæc ira finat, nec tu mihi sanguine longe)
 Te, gener, & jubeo. sceptri si tanta cupido est,
 Exno regales habitus: i Lernan, & Argos
 Solus habe. non verba magis suadentia frangunt 435
 Accensos, sumtisque semel conaribus obstant,
 Quam Scytha curvatis erectus fluctibus unquam
 Pontus, Cyaneos vetuit concurrere montes.

- Ut periisse preces , geminosque ad prælia fusos
Pulvere cornipedes , explorarique furentum 440
In digitis amenta videt , fugit , omnia linquens
Castra , viros , generum , Thebas , ac fata monentem
Conversumque jugo propellit Ariona . qualis
Demissus turru lœvæ post præmia sortis
Umbrarum custos , mundique novissimus heres
Palluit , amisso veniens in Tartara cœlo . 445
Non tamen indulxit pugnæ , cunctataque primo
Sublitit in scelere , & paulum fortuna morata est .
Bis cassæ periere viæ : bis cominus aëtos
Avertit bonus error equos , puræque nefandi
Sanguinis , obliquis ceciderunt iætibus hastæ . 450
Tendunt frena manu , & sævis calcaribus urgent
Immeritos . movet & geminas miserabile Divum
Prodigium turmas , alternaque murmura volvunt
Muflantes , iterare aciem , procurrere sæpe .
Impetus , & totum miseris opponere bellum . 455
Jamdudum terris , coetique offensa Deorum
Aversa coeli Pietas in parte sedebat ,
Non habitu , quo nota prius , non ore sereno ,
Sed vittis exuta comam , fraternaque bella ,
Ceu foror infelix pugnantum , aut anxia mater ; 460
Deflebat , sævumque Jovem , Parcasque nocentes
Vociferans , seseque polis , & luce relicta
Descensuram Erebo , & Stygios jam malle penates .
Quid me , ait , ut sævis animantium , ac sæpe Deorum
Obstaturam animis , princeps natura , creabas ? 465
Nil jam ego per populos , nusquam reverentia nostri .
O furor , o homines , diræque Prometheos artes !

Quam bene post Pyrrham tellus, pontusque vacabant !
 En mortale genus ! Dixit : speculataque tempus , 470
 Auxilium tentemus , ait , licet irrita coner.
 Desiluitque polo : niveus sub nubibus altis
 Quanquam mœsta Deæ sequitur vestigia limes.
 Vix steterat campo , subita mansuescere pace
 Agmina , sentirique nefas. tunc ora madescunt ; 475
 Pectoraque , & tacitus subrepit fratribus horror.
 Arma etiam simulata gerens , cultusque viriles ,
 Nunc his , nunc illis , Agite , ite , obfissite , clamat ;
 Quis nati fratresque domi , quis pignora tanta.
 His quoque (nonne palam est , ulti miserescere Divos ?) 480
 Tela cadunt : cunctantur equi : fors ipsa repugnat.
 Nonnihil impulerat dubios , ni torva notaasset
 Tisiphone fraudes , cœlestique ocior igne
 Adforet increpitans : Quid belli obverteris ausis ;
 Numen iners , pacique datum ? cede , improba : noster 485
 Hic campus , nosterque dies , nunc sera nocentes
 Defendis Thebas : ubi tunc , cum bella cieret
 Bacchus ? & armatas furiarent orgia matres ?
 Aut ubi segnis eras , dum Martius impia serpens
 Stagna bibit ? dum Cadmus arat ? dum vieta cadit Sphynx ? 490
 Dum rogat Edipoden genitor ? dum lampade nostra
 In thalamos Iocasta venit ? Sic urget , & ulti
 Vitantem asperitus , etiam , pudibundaque longe
 Ora reducentem , premit adstridentibus Hydris ,
 Intentatque faces . dejectam in lumina pallam 495
 Diva trahit , magnoque fugit questura Tonanti .
 Tunc vero accensæ stimulis majoribus iræ .
 Arma placent , versæque volunt spectare cohortes .

- Instaurant crudele nefas. rex impius aptat
Tela, & funestæ casum prior occupat hastæ. 500
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert iactus, atque alto vincitur auro.
Tunc exsul subit, & clare funesta precatur:
Di, quos effuso non irritus ore rogavit
Œdipodes, firmate nefas, non improba posco 505
Vota: piabo manus, & eodem pectora ferro
Rescindam, dum me moriens hic sceptræ tenentem
Linquat, & hunc secum portet minor umbra dolorem.
Hasta subit velox equitis femur inter, equique
Ilia, letum utriusque volens: sed plaga sedentis 510
Laxato vitata genu; tamen irrita voti
Cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
It præceps sonipes stricæ contemtor habenæ,
Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
Exsultat, fratris credens hunc esse cruorem. 515
Credit & ipse metu. totis jamque exsul habenis
Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum
Cornipedem cursus. miscentur frena, manusque,
Telaque, & ad terram turbatis gressibus ambo
Præcipitant. ut nocte rates, quas nubilus Auster 520
Implicitit, frangunt tonsas, mutantque rudentes,
Luctaæque diu tenebris, hiemique, sibique,
Sicut erant, imo pariter sedere profundo.
Hæc pugnæ facies. coeunt sine more, sine arte,
Tantum animis, iraque, atque ignescientia cernunt 525
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine. nil adeo mediæ telluris, & enses
Impliciti, nexæque manus, alternaque fævi

Statius.

F f

Murmura , ceu lituos rapiunt , aut signa tubarum.
 Fulmineos veluti præceps cum cominus egit
 Ira fues , stridisque erexit pectora fetis : 530
 Igne tremunt oculi , lunataque dentibus uncis
 Ora sonant. spectat pugnas de rupe propinquæ
 Venator pallens , canibusque silentia suadet.
 Sic avidi incurunt : nec dum letalia miscent
 Vulnera , sed cœptus sanguis , facinusque peractum.
 Nec jam opus est furiis. tantum mirantur , & adstant
 Laudantes , hominumque dolent plus posse furores.
 Fratris uterque furens cupit affectaque cruentem ,
 Et nescit manare suum. tandem irruit exful , 540
 Hortatusque manum , cui fortior ira , nefasque
 Justius , alte ensem germani in corpore pressit ,
 Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.
 Ille dolens nondum , sed ferri frigore primo
 Territus , in clypeum turbatos colligit artus ,
 Mox intellecto magis ac magis æger anhelat 545
 Vulnera , nec parcit cedenti , atque increpat hosti :
 Quo retrahis , germane , gradus ? o languida somno ,
 Et regnis effœta quies ! longaque sub umbra
 Imperialis exfilio , rebusque exercita egenis
 Membra vides. disce arma pati , nec fidere lœtis. 550
 Sic pugnant miseris. restabat lassa nefando
 Vita duci , summusque crux , poterantque parumper
 Stare gradus : sed sponte ruit , fraudemque supremam
 In media jam morte parat. clamore Cithæron
 Erigitur , fraterque ratus vicisse , levavit 555
 Ad coelum palmas. Bene habet , non irrita vovi ,
 Cerno graves oculos , atque ora natantia leto.

Huc aliquis propere sceptrum , atque insigne cojarum
 Dum videt. Hæc dicens gressus admovit , & arma , 560
 Ceu templis decus & patriæ latus ovanti ,
 Arma etiam spoliare cupit. nondum ille peractis
 Manibus , ultrices animam servabat in iras.
 Utque superstantem , pronumque in pectore sensit ,
 Erigit occulte ferrum , vitæque labantis 565
 Reliquias tenues odio supplevit , & ensem
 Jam lætus fratri non frater corde reliquit.
 Ille autem , Vivisne ? & adhuc manet ira superstes ,
 Perfide , nec sedes unquam meriture quietas ?
 I mecum ad manes : illic quoque paſta reposcam , 570
 Si modo Agenorei stat Gnoſſia ſudicis urna ,
 Qua reges punire datur. Nec plura locutus ,
 Concidit , & totis fratrem gravis obruit armis.
 Ite truces animæ , funestaque Tartara Ieto
 Polluite , & cunctas Erebi consumite poenæ. 575
 Vosque malis hominum , Stygiæ , jam parcite , Diæ .
 Omnibus in terris scelus hoc , omnique ſub ævo
 Viderit una dies , monstrumque infame futuris
 Excidat , & ſoli memorent hæc prælia reges.
 At genitor ſceleris comperto fine , profundis 580
 Ereptis tenebris , ſævoque e limine profert
 Mortem imperfectam . veteri ſtat ſordida tabo
 Utraque canities , & durus ſanguine crinis
 Obnubit furiale caput. procul ora , genæque
 Intus , & effosæ ſqualleſt vefigia lucis. 585
 Virgo autem impositæ ſuſtentat pondera lævæ ;
 Dextra ſedet baculo. qualis ſi puppe relitta
 Exofus pigri manes fulcator Averni

Exeat ad superos , solemque & pallida turbet
 Astra , nec ipse diu fortis , patiensque superni
 Aeris : interea longum cessante magistro 590
 Crescat opus , totisque exspectent secula ripis.
 Tali init campum , comitique extrema gementi ,
 Duc , air , ad natos , patremque recentibus oro
 Injice funeribus . cunctatur nescia virgo , 595
 Quid paret : impediunt iter , implicitosque morantur
 Arma , viri , currus , altaque in strage seniles
 Deficiunt gressus , & dux miseranda laborat.
 Ut quæsita diu monstravit corpora clamor
 Virginis , infernit totos frigentibus artus. 600
 Nec vox ulla seni . jacet , immugiturque cruentis
 Vulneribus , nec verba diu tentata sequuntur.
 Dum tractat galeas , atque ora latentia quærit ,
 Tandem muta furens genitor suspiria solvit :
 Tarda meam , pietas , longo post tempore mentem 605
 Percutis ? estne sub hoc hominis clementia corde ?
 Vincis me miserum , vincis , natura , parentem.
 En habeo gemitus , lacrimæque per arida serpunt
 Vulnera , & in molles sequitur manus impia planctus.
 Accipite infandæ justa exsequalia mortis , 610
 Crudeles , nimiumque mei . nec noscere natos ,
 Alloquiumque aptare licet . dic , virgo , precanti ,
 Quem teneo ? quo nunc vestras ego sœvus honore
 Prosequear inferias ? o si fodienda redirent
 Lumina , & in vultus sœvire ex more potestas ! 615
 Heu dolor , heu justo magis exaudita parentis
 Vota , malæque preces ! quisnam fuit ille Deorum ,
 Qui stetit orantem juxta , præceptaque verba

- Dictavit fatis? furor illa , & movit Erinnys ,
 Et pater , & genitrix , & regna oculique cadentes; 620
 Nil ego. per Ditem juro dulcesque tenebras ,
 Immeritamque ducem , subeam sic tartara digna
 Morte , nec irata fugiat me Laius umbra.
 Hei mihi , quos nexus fratum , quæ vulnera tracto !
 Solvite quæsto manus , infestaque vincula tandem 625
 Dividite , & medium nunc saltem admittite patrem.
 Talia dequestus , paulatim sumferat iras
 Mortis , & occulte telum , ni nata vetaret ,
 Quærebat ; sed casta manu subtraxerat enses
 Antigone. furit inde senex : Ubi noxia tela ? 630
 Heu furiæ , num totum abiit in corpora ferrum ?
 Dicentem comes ægra levat , mutumque dolorem
 Idsa premit , sœvum gaudens planxit parentem.
 Olim autem incoepitæ clamore exterrita pugnæ.
 Regina extulerat notum penetralibus ensim , 635
 Ensim sceptriferi spolium lacrimabile Laji.
 Multaque cum Superis & diro questa cubili ,
 Et nati furiis , & primi conjugis umbris ,
 Luctata est dextra , & prono vix pectore ferrum
 Intravit tandem , & venas prorupit aniles 640
 Vulnus , & infelix lustratur sanguine leetus.
 Illius exili stridentem in pectore plagam
 Ismene collapsa super , lacrimisque , comisque
 Siccabat plangens. qualis Marathonide filva
 Flebilis Erigone , cæsi prope funera patris
 Questibus absuntis tristem jam solvere nodum 645
 Cœperat , & fortes ramos moritura legebat.
 At jam læta ducum spes elusisse duorum ,

- Res Amphionias alio , sceptrumque maligna
 Transtulerat Fortuna manū , Cadmique tenebat 650
 Jura Creon. miser heu bellorum terminus ! illi
 Pugnarant fratres. hunc & Mavortia clamant
 Semina , & impensus patriæ paulo ante Menœcens
 Conciliat populis. scandit fatale tyrannus
 Flebilis Aoniæ solium. pro blanda potestas ,
 Et sceptri male suadus amor ! nunquamne priorum 655
 Hærebunt documenta novis ? juvat ecce nefasto
 Stare loco , regimenque manu tractare cruentum.
 Quid melior Fortuna potest ? jam flestere patrem
 Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
 Primum adeo sœvis imbutus amoribus aulæ ,
 Indicium specimenque sui , jubet igne supremo
 Arceri Danaos , nudoque sub axe relinqui
 Infelix bellum , & tristes sine sedibus umbras.
 Mox reducem Ogygiæ congressus limine portæ 660
 Edipoden timuit paulum , seque minorem
 Confessus tacite , promtamque coercuit iram.
 Mox redit in regem, cæcumque audentibus hostem
 Incredipans , Procul , inquit , abi viatoribus omen
 Invisum , & furias avertie , ac moenia lustra
 Discessu Thebana tuo. spes longa peracta est.
 Vade , jacent nati. quæ jam tibi vota superflunt ?
 Horruit instinetu rabido , steteruntque trementes ,
 Cœu visu præsente , genæ , seniumque recessit.
 Tunc natam , baculumque manu dimisit , & iræ 670
 Innixus , tumido vocem de pectori rumpit:
 Jamne vacat sœvire , Creon ? modo perfida regna
 Fortunæque locum nostræ , miserande , subisti ,

- Et tibi jam fas est regum calcare ruinas ?
 Jam tumulis viatos , socios jam moenibus arces ? 680
 Maestre, potes digne Thebarum sceptrum tueri.
 Haec tua prima dies. sed cur nova contrahis amens
 Jura? quid anguste tantos metiris honores?
 Exfilium intendis? timida inclemencia regum
 Ita, feros avidus quin protinus imbuvis enses ? 685
 Crede: licet veniat cupidus parere satelles,
 Intrepidusque fecerit non evitantia colla.
 Incipe. an exspectas, ut pronus supplice dextra
 Sternar? & immritis domini vestigia quæram?
 Finge autem tentare, fines? mihi ulla minaris 690
 Supplicia? aut illos reris supereffe timores?
 Linquere tecta jubes? coelum terrasque reliqui
 Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorsi
 Non ullo cogente manum. quid tale jubere,
 Rex inimice, potes? fugio, excedoque nefandis 695
 Sedibus, an refert, quo funera longa, measque
 Transportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
 Concedat, patriæ quantum miser incubo terræ?
 Sed dulces Thebae! nimirum hic clarius ortus,
 Et meliora meos permulcent sidera vultus. 700
 Hic genitrix, natique. habens Thebana regasque
 Moenia, quo Cadmus, quo Laëus omne rexit,
 Quoque ego. sic thalamos, sic pignora fida capessas:
 Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra;
 Sed lucem deprensus ames. fatis omina fanxi : 705
 Duc, age, nata procul. quid te autem uictibus addo?
 Da, rex magne, ducem. timuit miseranda relinquiri
 Antigone, mutatque preces: Felicia per te

Regna, verende Creon, sanctasque Menœeos umbras :
Da veniam afflito, dictisque ignosce superbis.

Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.

Nec soli ferus iste tibi, sic fata, Deosque
Alloquitur. durus luctu, facilisque nec ipsi
Sæpe mihi. pridem indomito sub pectori servet
Libertas misera, & sævæ spes anxia mortis.

Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,

Suppliciumque cupit. sed tu majoribus, oro,
Imperii potiare bonis, altisque jacentes

Præterreas, & magna ducum vereare priorum

Funera. & hic quondam solio sublimis, & armis

Septus, opem miseris, jura & poscentibus æquus,
Supplicibusque dabat: cui nunc ex agmine tanto

Una comes, neclum exsul erat. felicibus hicne

Obstar? in hunc odiis & regni viribus exis?

Hunc abigis testis? an ne prope limina clarum

Ingemat, & votis intempestivus obserret?

Pone metum, procul usque tua summotus ab aula
Flebit. ego erectum subigam, & servire docebo.

Cœtibus abducam, solaque in fede recondam.

Exsul erit: nam quæ migranti externa patebunt

Mœnia? vis Argos eat, hostilesque Mycenas

Squallidus irreptet? vietiique ad limen Adraſti

Aonias narret clades? tenuemque precetur

Rex Thebanus opem? miseræ quid crimina gentis

Pandere, quid casus juvat ostentare pudendos?

Conde, precor, quodcumque sumus: nec longa precamur

Dona, Creon: miserere senis mœstique parentis.

Hic precor, hic manes indulge ponere: certe

710

715

720

725

730

735

- Thebanos sepelire licet. Sic orat , humique
Volvitur. abducit genitor , sœvumque minatur 740
Indignans veniam. qualis leo rupe sub alta ,
Quem viridem quondam silvæ montesque tremebant ;
Jam piger , & longo jacet exarmatus ab ævo ,
Magna tamen facies , & non adeunda senectus :
Et si demissas veniat mugitus ad aures , 745
Erigitur, meminitque sui , viresque peractas
Ingemit , & campis alios regnare leones.
Fleſtitur affatu , sed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lacrimis , partemque recidit
Muneris. Haud , inquit , patriis prohibere longe 750
Finibus , occursu dum non pia templa , domosque
Commacules habeant te lustra , tuusque Cithæron :
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris ,
Qua bellum , geminæque jacent in sanguine gentes.
Sic ait , & ficto comitum vulgique gementis 755
Assensu , limen tumidus regale petebat.
Interea pulsi vallum exitiale Pelasgi
Destituunt furto. nulli sua signa , suusque
Ductor : eunt taciti passim , & pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam redditusque pudendos. 760
Nox favet , & grata profugos amplectitur umbra.

P. PAPINII STATII
 THEBAIDOS
 LIBER XII.

NONDUM cuncta polo vigil inclinaverat astra
 Ortus, & instantem cornu tenuiore videbat
 Luna diem: trepidas subito Tithonia nubes
 Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
 Agmina jam raris Dircæa penatibus errant,
 Noctis questa moras. quamvis tunc oria tandem;
 Et primus post bella sopor: tamen ægra quietem
 Pax fugat, & sævi meminit victoria belli.
 Vix primo proferre gradum, & munimina valli
 Solvere, vix totas referare audacia portas.
10
 Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
 Horror. ut affiduo jaëtatis æquore tellus
 Prima labat, sic attoniti nil minus ire
 Mirantur, fusisque putant assurgere turmas.
 Sic ubi prospicuæ scandentem limina turris
15
 Idaliæ volucres fulvum aspexere draconem,
 Intus agunt natos, & foeta cubilia vallant
 Unguisbus, imbellisque citant ad prælia pennas:

Mox ruerit licet ille retro , tamen aera nudum
Candida turba timet , tandemque ingressa volatus 20
Horret , & a mediis etiamnum respicit astris.
Itur in exsanguem populum , bellique jacentis
Relliquis , qua quemque dolor , luctusque cruenti
Exegere duces . hi tela , hi corpora , at illi
Cæforum tantum ora vident , alienaque juxta 25
Pectora . pars currus deflent , viduisque locutus ,
Hoc solum quia restat , equis : pars oscula figunt
Vulneribus magnis , & de virtute queruntur.
Frigida digeritur strages : patuere recisæ
Cum capulis , hastisque manus , mediisque sagittæ 30
Luminibus stantes . multis vestigia cædis
Nulla , ruunt planetu pendente & ubique parato.
At circum informes truncos miserabile surgit
Certamen , qui justa ferant , qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles (lusit Fortuna parumper) 35
Decepi flevere viros : nec certa facultas
Noscere , quem miseri vitent , calcentve cruorem.
At quibus est illæsa domus , vacuique dolores ,
Aut deserta vagi Danaûm tentoria lustrant ,
Immittuntque faces , aut (quæ post bella voluptas) 40
Quærunt dispersi , jaceat quo pulvere Tydeus ,
An rapti pateat specus auguris , aut ubi Divum
Hostis , an ætheriæ vivant per membra favillæ.
Jam lacrimis exempta dies , nec serus abegit
Vesper . amant miseri lamenta , malisque fruuntur. 45
Nec subiere domos , sed circum funera pernox
Turba fedet , vicibusque datis alterna gementes
Igne feras , planetuque fugant . nec dulcibus astris

Vieta; nec assiduo coierunt lumina fletu.
 Tertius Auroram pulsabat Lucifer, & jam 50
 Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
 Theumesi venere trabes, & amica Cithæron
 Silva rogis. ardent excisæ viscera gentis
 Molibus exstructis. supremo munere gaudent
 Ogygii manes: queritur miserabile Grajūm
 Nuda cohors, vetitumque gemens circumvolat ignem. 55
 Accipit & fævi manes Etheoclis iniquos
 Handquaquam regalis honos, Argivus haberi
 Frater jussus adhuc, atque exsule pellitur umbra.
 At non plebejo sumare Menœcea busto 60
 Rex genitor, Thebæque finunt. nec robora vilem
 Struxerunt de more rogum: sed bellicus agger
 Curribus, & clypeis, Grajorumque omnibus armis
 Sternitur. hostiles super ipse, ut viator, acervos,
 Pacifera lauro crinem vittisque decorus 65
 Accubat: haud aliter, quam cum poscentibus astris
 Lætus in accensa jacuit Tirynthius Θεα.
 Spirantes super inferias captiva Pelasgūm
 Corpora, frenatosque pater, solatia, fortes
 Bellorum, maestabat equos: his arduus ignis
 Palpitat, & gemitus tandem erupere paterni: 70
 O nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
 Ardor, Echionios mecum venerande penates;
 Atque ultra recture puer: venientia qui nunc
 Gaudia & ingratum regni mihi munus acerbæ.
 Tu Superūm convexa licet, coetusque perenni 75
 (Credo euidem) Virtute colas: mihi flebile semper
 Numen eris. ponant aras, exelsaque Thebæ

Templa dicent: uni fas sit lugere parenti.
 Et nunc heu quæ digna tibi solennia, quasve 80
 Largiar exsequias? nec si fatale, potestas,
 Argos & impulsas cineri miscere Mycenæ,
 Meque super, cui vita (nefas!) & sanguine nati
 Partus honos. eadem dies, eadem impia bella
 Te, puer, & diros misere in Tartara fratres? 85
 Et nunc Ædipodi par est fortuna doloris,
 Ac mihi. quam similes gemimus, bone Juppiter, umbras?
 Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
 Accipe, & hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
 Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti. 90
 Regem te, regem, tristes Etheocleos umbræ
 Aspiciant. Simul hæc dicens, crinemque, manumque
 Destruit, accensaque iterat violentius ira:
 Sævum agedum, immitemque vocent, nunc funera Lernæ
 Tecum ardere veto. longos utinam addere sensus 95
 Corporibus, cœloque animas Ereboque nocentes
 Pellere fas, ipsumque feras, ipsum unca volucrum
 Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos.
 Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit.
 Quare iterum repetens, iterumque edico, suprema 100
 Ne quis ope, aut flammis ausit juuisse Pelasgos:
 Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta
 Corpora: per Superos, magnumque Menoecea juro.
 Dixit, & abruptum comites in testa serebant.
 Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis 105
 (Fama trahit miseræ) orbæ viduæque ruebant
 Inachides, ceu capta manus. sua vulnera cuique,
 Par habitus cunctis, dejecti in pectora crines,

Accinctique finus. manant lacera ora cruentis
 Unguis, & molles planctu crevere lacerti. 110
 Prima per attonitas nigræ regina catervæ
 Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens
 Quærit inops Argia vias. non regia cordi,
 Non pater: una fides, unum Polynicis amati
 Nomen in ore sedet. Dirceen, infaustaque Cadmi
 Moenia, posthabitibus velit incoluisse Mycenis.
 Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
 Tydeos exsequias trahit haud cessura sorori
 Deiphile. scelus illa quidem, morsusque profanos
 Audierat miseranda viri. sed cuncta jacenti 120
 Infelix ignoscit amor. post aspera visu,
 Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
 Hippomedonta ciens. vatis mox impia conjux
 Heu vacuos positura rogos. postrema gementum
 Agmina Mænaliæ dicit comes orba Dianæ,
 Et gravis Evadne. dolet hæc, queriturque labores 125
 Audaci pueri: magni memor illa mariti
 It torvum lacrimans, summisque irascitur astris.
 Illas & lucis Hecate speculata Lycæis
 Prosequitur gemitu, duplexque ad litus euntes
 Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro: 130
 Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
 Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.
 Ipsa per aversos dicit Saturnia colles,
 Occultarque vias, ne plebs congressa suorum
 Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœpti. 135
 Nec non functa ducum refovendi corpora curam
 Iris habet: putresque arcanis roribus artus

- Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstant
Exspectentque rogos, flamas neve ante fatiscant. 140
Squallidus ecce genas, & hianti vulnere pallens
Ornitus (hic socio desertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus secreta per avia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu, 145
Femineumque gregem, quæ jam super agmina Lernæ
Sola videt (non ille viam causasque requirit,
Quippe patent) moesto sed sic prior occupat ore:
Quo miseræ, quo fertis iter? funusne peremitis
Speratis, cineremque viris? stat pervigil illuc
Umbrarum custos, inhumataque corpora regi 150
Annumerat. nusquam lacrimæ, procul usque fugati
Accessus hominum. solis avibusque, ferisque
Ire licet. vestrisne Creon dabit æquus honorem
Luætibus? immites citius Busiridos aras, 155
Odrysique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos. rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi) nec conjugalia supra
Funera, sed caris longe mastabit ab umbris.
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ 160
Nomina (quod supereft) vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis?
Aut vos Cecropiam (prope namque & Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)
Imploratis opem? bello cogendus & armis 165
In mores hominemque Creon. Sic fatus, at illis
Horruerant lacrimæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultus pallore notati.

Non secus afflavit molles si quando juvencas
 Tigridis Hyrcanæ jejunum murmur, & ipse 170
 Anditu turbatur ager, timor omnibus ingens,
 Quæ placeat, quos illa fames descendat in armos.
 Continuo discors vario sententia motu
 Scinditur: his Thebas, tumidumque ambire Creonta,
 His placet Aethæsi quid clementia gentis 175
 Annuat. extremum curarum, ac turpe reverti.
 At non femineæ subitum virtutis honorem
 Colligit Argia, sexuque immane relieto
 Tractat opus. placet egregii spes dura pericli
 Cominus infandi leges accedere regni: 180
 Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
 Phasidis, innupiis vallata cohortibus iret.
 Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
 Segreget, immitesque Deos, regemque cruentum
 Contemtrix animæ, & magno temeraria luctu 185
 Provocet. hortantur pietas, ignesque pudici.
 Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu
 Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
 Nunc mitis conjux, nunc jam sub casside torva
 Mœstus in amplexu, multumque a limine summo 190
 Respiciens. sed nulla animo obversatur imago
 Crebrior, Aonii quam quæ de sanguine campi
 Nudæ venit, poscitque rogos, his anxia mentem
 Ægrecit curis, & qui castissimus ardor,
 Funus amat. tunc ad comites converfa Pelasgas: 195
 Vos, ait, Aethæsi acies, Marathoniaque arma
 Elicite, aspirerque pio fortuna labori.
 Me finite Ogygias, tantæ quæ sola ruinæ

- Causa sui , penetrare domos , & fulmina regni
 Prima pati . nec surda feræ pulsabimus urbis 200
 Limina : sunt illic socii mihi , suntque sorores
 Conjugis , & Thebas haud ignoranda subibo .
 Ne tantum revocate gradus . illo impetus ingens ,
 Auguriumque animi . Nec plura : unumque Menœtem
 (Olim hic virginæ custos monitorque pudoris) 205
 Eligit , & quanquam rudis , atque ignara locorum ,
 Præcipites gressus , qua venerat Ornitus , affert .
 Atque ubi visa procul socias liquisse malorum ,
 Anne , ait , hostiles ego te labente per agros ,
 Heu dolor , exspectem , quænam sententia lenti 210
 Theseos ? an bello proceres , an dexter haruspex
 Annuat ? interea funus decrescit : & uncis
 Alitibus non hos potius supponimus artus ?
 Et nunc me duram , si quis tibi sensus , ad umbras
 Me tardam quereris Stygiis , fidissime , Divis . 215
 Heu si nudus adhuc , heu si jam forte sepultus ,
 Nostrum utrumque nefas . adeo vis nulla dolenti ,
 Mors nusquam , sævusque Creon . hortaris euntēm ,
 Ornite . Sic dicens magno Megareïa præceps
 Arva rapit passu : demonstrat proxima quisquis 220
 Obvius , horrescitque habitus , miseramque veretur .
 Vedit atrox visu , nec corde , nec aure pavescens ,
 Et nimiis confusa malis , propiorque timeri .
 Nocte velut Phrygia cum lamentata resultant
 Dindyma , pinigeri rapitur Simoentis ad amnem 225
 Dux vesana chori , cuius Dea sanguine leto
 Ipsa dedit ferrum , & vittata fronte notavit .
 Jam pater Hesperio flagrantem gurgite currum

Statius.

G g

Abdiderat Titan, aliis redditurus ab undis,
 Cum tamen illa gravem luctu fallente laborem 230
 Nescit abisse diem: nec caligantibus arvis
 Terretur, nec frangit iter, per & invia faxa,
 Lapsurasque trabes, nemorumque arcana sereno
 Nigra die, cæsisque incisa novalia fossis,
 Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum
 Præter, & horrendis infessa cubilia monstros. 235
 Tantum animi, luctusque valent. pudet ire Menoetem
 Tardius, invalidæque gradum miratur alumnæ.
 Quas non illa domos pecorumque hominumque modesto
 Pulsavit gemitu? quoties amissus eunti 240
 Limes, & errantem comites solatia flammæ
 Deslitaunt, gelidæque facem vicere tenebræ?
 Jamque supinantur fessis, lateque fatiscunt
 Penthei devexa jugi, cum pectori anhelo
 Jam prope deficiens, sic inchoat orsa Menoetes: 245
 Haud procul (exæti si spes non blanda laboris)
 Ogygias, Argia, domos, & egena sepulcri
 Busta jacere reor. grave cominus æstuat aer
 Sordidus, & magnæ redeunt per inane volucres.
 Hæc illa est crudelis humus: nec moenia longe. 250
 Cernis, ut ingentes murorum porrigit umbras
 Campus, & e speculis moriens intermicet ignis?
 Moenia sunt juxta. modo nox magis ipsa tacebat,
 Solaque nigrantes laxabant astra tenebras.
 Horruit Argia, dextramque ad moenia tendens: 255
 Urbs optata prius, nunc teæta hostilia Thebæ,
 Et tamen illæfas si reddis conjugis umbras,
 Sic quoque dulce solum: cernis, quo prædita cultu,

- Qua stipata manu , juxta tua moenia primum
 Edipodis magni venio nurus ? improba non sunt 260
 Vota. rogos hospes , planctumque , & funera posco.
 Illum , oro , extorrem regni , belloque fugatum ,
 Illum , quem solio non es dignata paterno ,
 Redde mihi. tuque , oro , veni , si Manibus ulla
 Effigies , errantque animæ post membra solutæ. 265
 Tu mihi pande vias , tuaque ipse ad funera deduc ,
 Si merui. Dixit , tectumque aggressa propinquæ
 Pastorale casæ , reficit spiramina fessi
 Ignis , & horrendos irrumptit turbida campos.
 Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis 270
 Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
 Ausonium Siculumque latus , vestigia nigri
 Raptoris , vastosque legens in pulvere sulcos.
 Illius insanis ululatibus ipse remugit
 Enceladus , ruptoque vias illuminat igni.
 Persephonen amnes , silvæ , freta , nubila clamant: 275
 Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.
 Admonet attonitam fidus meminisse Creontis
 Altor , & occultam summittere lampada furto.
 Regina Argolicas modo formidata per urbes ,
 Votum immane procis , spesque augustissima gentis , 280
 Nocte sub infesta , nullo duce , & hoste propinquo ,
 Sola per offensus armorum , & lubrica tabo
 Gramina , non renebras , non circumfusa tremiscens
 Concilia umbrarum , atque animas sua membra gementes . 285
 Sæpe gradu cæco ferrum , calcataque tela
 Diffimulat , solusque labor vitare jacentes ,
 Dum funus putat omne suum , visuque sagaci

- Rimatur positos, & corpora prona supinat
Incumbens, queriturque parum lucentibus astris. 290
- Forte soporiferas coeli secreta per umbras.
Juno, finu magni semet furata mariti,
Theseos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,
Supplicibusque piis faciles aperiret Athenas:
Atque ubi per campos errore fatiscere vano 295
Immeritam Argian supero respexit ab axe,
Indoluit visu: & lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidaque ita voce locuta est:
Da mihi poscenti munus breve, Cynthia, si quis
Est Junonis honos. certe Jovis improba jussu 300
- Terno&tem Herculeam. veteres sed mitto querelas:
En locus officio. cultrix placidissima nostri
Inachis Argia cernis qua nocte vagetur,
Nec reperire virum densis queat ægra tenebris?
Et tibi nimbosum languet jubar. exsere quæso 305
- Cornua, & affueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas
Dicit, in Aonios vigiles demitte Soporem.
Vix ea, cum scissis magnum Dea nubibus orbem
Protulit. expavere umbræ, fulgorque recisus 310
- Sideribus: vix ipsa tulit Saturnia flamas.
Primum per campos infuso lumine, pallam
Conjugis ipsa suos noscit miseranda labores,
Quanquam texta latent, suffusaque sanguine mœret
Purpura. dumque Deos vocat, & de funere caro 315
- Hoc supereffe putat, videt ipsum in pulvere pæne
Calcatum. fugere animus, visusque, sonusque,
Inclusisque dolor lacrimas. tunc corpore toto

- Sternitur in vultus , animamque per oscula quærit
 Absentem , pressumque comis ac veste cruem 320
 Servatura legit . mox tandem voce reversa ,
 Hunc ego te , conjux , ad debita regna profectum
 Ductorem belli , generumque potenter Adrasti
 Aspicio ? talisque tuis occurro triumphis ?
 Huc attolle genas , defectaque lumina . venit 323
 Ad Thebas Argia tuas . age , mœnibus induc ,
 Et patrios ostende lares , & mutua redde
 Hospitia . hei quid ago ? projectus cespite nudo
 Hoc patriæ telluris habes ? quæ jurgia ? certe
 Imperium non frater habet . nullasne tuorum 330
 Movisti lacrimas ? ubi mater ? ubi inclyta fama
 Antigone ? mihi nempe jaces : mihi vietus es uni .
 Dicebam , Quo tendis iter ? quid sceptræ negata
 Poscis ? habes Argos : socii regnabis in aula :
 Hic tibi longus honos , hic indivisa potestas . 335
 Quid queror ? ipsa dedi bellum , mœstumque rogavi
 Ipsa patrem , ut talem nunc te complexa tenerem .
 Sed bene habet , Superi : gratum est , Fortuna : peracta est
 Spes longinqua viæ : totos invenimus artus .
 Hei mihi , sed quanto descendit vulnus hiatu ! 340
 Hoc frater ? qua parte , precor , jacet ille nefandus .
 Prædator ? vincam volucres , fit adire potestas ,
 Excludamque feras . an habet funestus & ignes ?
 Sed nec te flammis inopem tua terra videbit :
 Ardebis , lacrimasque feres , quas ferre negatum 345
 Regibus , æternumque tuo famulata sepulcro
 Durabit deserta fides , testisque dolorum
 Natus erit , parvoque torum Polynice fovebo .

Ecce alios gemitus , aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem , vix nausta petitos 350
Moenibus egressus . illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles , & rex jubet ipse timeri ,
Contraftæque vices , & crebrior excubat ignis :
Ergo Deis , fratrique moras excusat , & amens ;
Ut paulum immisso cessit statio horrida somno , 355
Erumpit muris . fremitu quo territat agros
Virginis ira leæ rabies , cui libera tandem
Et primus sine matre furor . nec longa morata est ;
Quippe trucem campum , & positus quo pulvere frater
Noverat . atque illam contra videt ire Menoetes , 360
Cui vacat , & caræ gemitus compescit alumnae .
Cum tamen erectas extremus virginis aures
Accessit sonus : utque atra sub veste , comisque
Squallente , & crasso foedatam sanguine vultus
Astrorum radiis , & utraque a lampade vidit : 365
Cujus , ait , Manes , aut quem temeraria quæris
Noëte mea ? Nihil illa diu , sed in ora mariti
Dejicit , inque suos pariter velamina vultus ,
Capta metu subito , paulumque obliita doloris .
Hoc magis increpitans suspecta silentia , perstat 370
Antigone , comitemque premens ipsamque : sed ambo
Deficiunt , fixique silent . tandem ora retexit
Argia , corpusque tamen complexa , profatur :
Si quid in hoc veteri bellorum sanguine mecum
Quæfitura venis , si tu quoque dura Creontis 375
Jussa times , possum , tibi me confisa , fateri .
Si misera es (certe lacrimas lamentaque cerno)
Junge , age , junge fidem : proles ego regis Adrasti ,

(Hei mihi! num quis adeſt?) cari Polynicis ad ignes,
 Eſi regna vetant. Stupuit Cadmeia virgo, 380
 Intremuitque ſimul, dicentemque occupat ultro:
 Mene igitur ſociam (pro fors ignara!) malorum,
 Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis.
 Cedo, ten' pudet? heu pietas ignava fororis!
 Hæc prior. hic pariter lapsæ, junctoque per ipsum 385
 Amplexu, miſcent avidæ lacrimasque, comasque,
 Partitæque artus redeunt alterna gementes
 Ad vultum, & cara vicibus cervice fruuntur.
 Dumque modo hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
 Mutuaque exorsæ Thebas, Argosque renarrant, 390
 Longius Argia miſeros reminicitur actus:
 Per tibi furtivi ſacrum commune doloris,
 Per ſocios Manes, & conſcia fidera juro;
 Non hic amiflos, quanquam vagus exful, honores,
 Non gentile ſolum, caræ non peſtora matris, 395
 Te cupiens unam, noſteſque, diesque, locutus
 Antigonē. ego cura minor, facilisque relinqui.
 Tu tamen excelsa ſublimis forſitan arce,
 Ante nefas Grajis dantem vexilla maniplis
 Vidisti, teque ille acie respexit ab ipsa 400
 Ense ſalutatam, & nutantis vertice coni:
 Nos procul. extremas ſed quis Deus egit in iras?
 Nil veſtræ valuere preces? tibine iſte negavit
 Oranti? Cauſas ac triftia reddere facta
 Cœperat Antigone: fidus comes admonet ambas: 405
 Eja agite incepturn potius! jam fidera pallent
 Vicino turbata die: perferte laborem,
 Tempus erit lacrimis: accenſo flebitis igne.

Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc & sanguine decolor ibat.

410

Huc laceros artus socio conamine portant
Invalidæ, jungitque comes non fortior ulnas.

Sic Hyperionum tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado. vix dum ille sepulcro

415

Conditus, & flentes stant circum flumina silvæ.

Ut sanies purgata vado, membrisque reversus
Mortis honos, ignem miseræ post ultima quærunt

Oscula: sed gelidæ circum exanimesque favillæ
Putribus in foveis, atque omnia busta quiescunt.

Stabat adhuc seu forte rogus, seu numine Divum,

420

Cui torrere datum sœvos Etheocleos artus,
Sive locum monstris iterum fortuna parabat;

Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.

Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem

Roboribus pariter cupidæ videre, simulque

425

Flebile gavisæ: nec adhuc, quæ busta, repertum,
Sed placidus quicunque, rogan, mitisque supremi
Admittat cineris confortem, & misceat umbras.

Ecce iterum fratres. primos ut contigit artus

Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena bustis

430

Pellitur: exundant diviso vertice flammæ,

Alternosque apices abrupta luce coruscant.

Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes

Orcus, uterque minax globus, & conatur uterque

Longius. ipsæ etiam commoto pondere paulum

435

Secessere trabes. conclamat territa virgo:

Occidimus, funetasque manu stimulavimus iras.

Frater erat. quis enim accessus ferus hospitis umbræ

- Pelleret? en clypei fragmen , semustaque nosco
Cingula , frater erat. cernisne , ut flamma recedat , 440
Concurratque tamen? vivunt odia improba , vivunt.
Nil aetum bello. miseri , sic dum arma movetis ,
Vicit nempe Creon. nusquam jam regna , quis ardor?
Cui furitis? sedate minas. tuque exful ubique
Semper inops æqui , jam cede. hoc nupta precatur , 445
Hoc soror , aut sævos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea , cum subitus campos tremor , altaque teæta
Impulit , adjuvitque rogi discordis hiatus ,
Et vigilum turbata quies , quibus ipse malorum
Fingebat simulacula sopor. ruit ilicet , omnem 450
Prospectum lustrans armata indagine miles.
Illos instantes senior timet unus. at ipsæ
Ante rogum , sævique palam sprevisse Creontis
Imperia , & furtum claro plangore fatentur
Securæ , quippe omne vident fluxisse cadaver. 455
Ambigitur sæva de morte , animosaque leti
Spes furit. hæc fratri rapuisse , hæc conjugis artus
Contendunt , vicibusque probant. ego corpus , ego ignes ,
Me pietas , me duxit amor. depositare sæva
Supplicia , & dextras juvat insertare catenis. 460
Nusquam illa alternis modo quæ reverentia verbis ,
Iram , odiumque putes. tantus discordat utrinque
Clamor , & ad regem , qui deprendere , trahuntur.
At procul Aetæis dextra jam Pallade muris
Juno Phoroneas inducit prævia matres 465
Attonitas , non ipsa minus , coetumque gementem
Conciliat populis , & flentibus addit honorem.
Ipsa manu ramosque oleæ , vittasque precantes

Tradit, & obtenta summittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas sine manibus urnas.

470

Omnis & Aetæis effusa penatibus ætas
Tecta viasque replent. unde hoc examen? & una

Tot miseræ? nec dum causas novere malorum,
Jamque gemunt. Dea conciliis se miscet utrisque

Cuncta docens, qua gente satæ, quæ funera plangent, 475
Quidve petant. variis nec non affatibus ipsæ

Ogygias leges, immansuetumque Creonta

Multum & ubique fremunt. Gericæ non plora queruntur
Hospitibus tectis trunco sermone volucres,

Cum duplices thalamos, & iniquum Tereæ clamant. 480

Urbe fuit media nulli concessa potentum

Ara Deum: mitis posuit Clementia sedem,

Et miseri fecere sacram. sine supplice nunquam

Illa novo: nulla damnavit vota repulsa.

Auditi, quicunque rogant, noctesque, diesque 485

Ire datum, & solis numen placare querelis.

Parca supersticio: non turea flamma, nec altus

Accipitur sanguis, lacrimis altaria sudant,

Mœstarumque super libamina serta comarum

Pendent, & vestes mutata sorte reliæ.

Mite nemus circa, cultuque insigne verendo

Vittatae laurus, & supplicis arbor olivæ.

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo

Forma Deæ, mentes habitare & pectora gaudet.

Semper habet trepidos, semper locus horret egenis 495

Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.

Fama est, defensos acie, post busta paterni

Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

- Fama minor factis : ipsos nam credere dignum
Cœlicolas , tellus quibus hospita semper Athenæ ; 500
Ceu leges , hominemque novum , ritusque sacrorum ,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras ,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium , unde procul starent iræque , minæque ,
Regnaque , & a justis Fortuna recederet aris. 505
Jam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc vieti bellis , patriaque e sede fugati ,
Regnorumque inopes , scelerumque errore nocentes
Conveniunt , pacemque rogant. mox hospita sedes
Vicit , & Ædipodæ furias , & funus Olynthi 510
Texit , & a misero matrem summovit Oreste.
Hunc vulgo monstrante locum , manus anxia Lernæ
Deveniunt : cedit miserorum turba priorum.
Vix ibi sedatis requierunt pectora curis ,
Cen patrio , super alta , grues Aquilone fugatæ 515
Cum videre Pharon ; tunc æthera latius implet ,
Tunc hilari clangore sonant : juvat orbe sereno
Contempsisse nives , & frigora solvere Nilo.
Jamque domos patrias , Scythicæ post aspera gentis
Prælia , laurigero subeuntem Thesea curru 520
Lætifici plausus , missusque ad fidera vulgi
Clamor , & emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem spolia , & duri Mavortis imago
Virginei currus , cumulataque fercula cristi ,
Et tristes ducuntur equi , truncæque bipennes , 525
Quis nemora & solidam Mæotida cädere suetæ ,
Corytique leves portantur , & ignea gemmis
Cingula , & informes dominarum sanguine peltæ.

Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumque fatentur,

Nec vulgare gemunt, aspernanturque precari,

Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.

Primus amor niveis viðtorem cernere vēstum

Quadrijugis, nec non populos in semet agebat

Hippolyte, jam blanda genas, patiensque mariti

Fœderis. hanc patriæ ritus fregisse severos

Atthides obliquæ secum mirantur operto

Murmure: quod nitidi crines, quod pectora palla

Tota latent, magnis quod barbara semet Athenis

Misceat, atque hosti veniat paritura marito.

Paulum & ab infessis moestæ Pelopeïdes aris

Promovere gradum, seriemque & dona triumphi

Mirantur, viðtique animo rediere mariti.

Atque ubi tardavit currus, & ab axe superbo

Explorat causas viðtor, poscitque benigna

Aure preces, ausa ante alias Capaneia conjux:

Belliger Ægide, subitæ cui maxima laudis

Semina de nostris aperit Fortuna ruinis,

Non externa genus, diræ nec conscia noxæ;

Turba sumus: domus Argos erat, regesque mariti;

Non utinam & fortes. quid enim septena movere

Castra, & Agenoreos opus emendare penates?

Nec querimur cæsos: hæc bellica jura, vicesque

Armorum. sed non Siculis exorta sub antris

Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres.

Mitto genus, clarosque patres; hominum, inclyte Theseu,

Sanguis erant, homines, eademque in fidera, eosdem

Sortitus animarum, alimentaque vestra creati,

Quos vetat igne Creon, Stygiæque a limine portæ,

530

535

540

545

550

555

- Cen sator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Summovet, ac dubio coelique Erebusque sub axe 560
Detinet. heu princeps natura! ubi numina? ubi ille
Fulminis inusti jaculator? ubi estis, Athenæ?
Septima jam surgens trepidis Aurora jacentes
Aversatur equis. radios declinat, & horret
Stelligeri jubar omne poli. jam cominus ipsæ 565
Pabula dira feræ, campumque odere volucres
Spirantem tabo, & cœlum, ventosque gravantem.
Quantum etenim supereffe rear? nuda ossa, putremque
Urere permittat saniem. properate, verendi
Cecropidæ: vos ista decet vindicta, priusquam 570
Emathii, Thracesque dolent, quæque exstat ubique
Gens arsura rogis, manesque habitura supremos.
Nam quis erit sævire modus? bellavimus: esto;
Sed cecidere odia, & tristes mors obruit iras.
Tu quoque, ut egregios fama cognovimus actus, 575
Non trucibus monstribus Sinis, infandumque dedisti
Cercyona, & sævum velles Scyrona crematum.
Credo & Amazoniis Tanain fumasse sepulcris,
Unde hæc arma refers. sed & hunc dignare triumphum.
Da terris unum, coeloque Ereboque laborem: 580
Si patrium Marathona metu, si testa levasti
Cressia, nec fudit vanos anus hospita fletus.
Sic tibi non ullæ socia sine Pallade pugnæ,
Nec facer invideat paribus Tirynthius actis,
Semper & in curru, semper te mater ovantem 585
Cernat, & invictæ nil tale precentur Athenæ.
Dixerat. excipiunt cunctæ, tenduntque precantes
Cum clamore manus. rubuit Neptunius heros

Permotus lacrimis, justa mox concitus ira
 Exclamat: Quænam ista novos induxit Erinnys 590
 Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Grajorum abscedens, Scythiam, pontumque nivalem
 Cum peterem, novus unde furor? vietumne putasti
 Thesea, dire Creon? adsum: nec sanguine fessum
Crede: sicut meritos etiamnum hæc hasta cruoress. 595
 Nulla mora est, verte hunc adeo, fidissime Phegeu,
Cornipedem, & Tyrias investitus protinus arces
 Aut Danaïs edice rogos, aut prælia Thebis.
 Sic ait, oblitus bellique viæque laborum,
Hortaturque suos, viresque instaurat anhelas. 600
 Ut modo connubii taurus, saltuque recepto,
Cum posuit pugnas; alio si forte remugit
 Bellatore nemus, quanquam ora & colla cruento
 Imbre madent, novus arma parat, campumque lacefens
 Diffimulat gemitus, & vulnera pulvere celat. 605
 Ipſa metus Libycos, servatricemque Medusam
 Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
 Protinus erecti toto simul agmine, Thebas
 Respexere angues, nec dum Atticus ire parabat
 Miles, & infelix expavit classica Dirce. 610
 Continuo in pugnas haud solum accensa juventus,
 Qui modo Caucasei comites rediere triumphi;
 Omnis ad arma rudes ager exstimalavit alumnos.
 Conveniunt, ultroque ducis vexilla sequuntur,
 Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacefunt 615
 Munichia, & trepidis stabilem Pyræea nautis,
 Et nondum Eoo clarum Marathonæ triumpho.
 Mittit in arma manus, genialibus hospita Divis

- Icarii, Celeique domus, viridesque Melænæ,
Dives & Egaleos nemorum, Parnesque benignus 620
Vitibus, & pingui melior Lycabessos oliva.
Venit atrox Illeus, & olenis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrsoс ederis vestitis, Acharnæ.
Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti 625
Cressia decepit falso ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin
Horrida suspensis ad pœlia misit aratris:
Et quos Callirhoe novies errantibus undis
Implicit, & raptæ qui conscius Orythiæ 630
Celavit Geticos ripis illissos amores.
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens
Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret umbra.
Iset & Artoas Cadmea ad moenia dicens 635
Hippolyte turmas: retinet jam certa tumentis
Spes uteri, conjuxque rogat dimittere curas
Martis, & emeritas thalamo sacrare pharetras.
Hos ubi velle acies, & dulci gliscere ferro
Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis 640
Amplexusque breves, curru sic fatur ab alto:
Terrarum leges & mundi foedera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes
Coepibus. hac omnem Divumque, hominumque favorem,
Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni 645
Stare palam est: illic Poenarum exercita Thebis
Agmina, & anguicomæ ducent vexilla sorores.
Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ,

- Dixit, & emissâ præceps iter inchoat hasta.
 Qualis Hyperboreos ubi nubilus instituit axes 650
 Juppiter, & prima tremefecit sidera bruma;
 Rumpitur Æolia, & longam indignata quietem
 Tollit hiems animos, ventosaque sibilat Arctos.
 Tunc montes undæque fremunt, tunc prælia cæsis
 Nubibus, & tonitus insanaque fulmina gaudent. 655
 Ista gemit tellus: virides gravis ungula campos
 Mutat, & innumeris peditumque, equitumque catervis
 Exspirat protritus ager, nec pulvere crasso
 Armorum lux viæta perit, sed in æthera longum
 Frangitur, & mediis ardent in nubibus hastæ. 660
 Noctem adeo, placidasque operi junxere tenebras,
 Certamenque immane viris, quo concita tendant
 Agmina, quis visas proclamet ab aggere Thebas,
 Cujus in Ogygio slet princeps lancea muro.
 At procul ingenti Neptunius agmina Theseus 665
 Angustat clypeo, propriæque exordia laudis,
 Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ
 Moenia; seque ipsum monstrofi ambagibus antri
 Hispida torquentem luctantis colla juvenci,
 Alternasque manus circum, & nodosa ligantem 670
 Brachia, & abducto vitantem cornua vultu.
 Terror habet populos, cum septus imagine torva
 Ingreditur pugnas: bis Thesea, bisque cruentas
 Cæde videre manus. veteres reminiscitur actus
 Ipse tuens sociumque gregem, metuendaque quondam 675
 Limina, & absunto pallentem Gnossida filo.
 Sævus at interea ferro post terga revinetas
 Antigonæ, viduamque, Creon, Adrastanta letō

- Admovet. ambæ hilares, & mortis amore superbæ
 Ensibus intentant jugulos, regemque cruentum 680
 Destituant: cum dicta ferens Theseia Phegeus
 Adstitit. ille quidem ramis insontis olivæ
 Pacificus, sed bella cier, bellumque minatur,
 Grande fremens, nimumque memor mandantis, & ipsum
 Jam prope, jam medios operire cohortibus agros 685
 Ingeminans. stetit ambiguo Thebanus in æstu
 Curarum, nutantque minæ, & prior ira tepescit.
 Tunc firmat se, fictumque, ac triste renidens:
 Parvane prostratis, inquit, documenta Mycenis
 Sanximus? en iterum, qui moenia nostra lacestant.
 Accipimus. veniant: sed ne post bella querantur. 690
 Lex eadem viatis. Dixit: sed pulvere crasso
 Caligare diem, & Tyrios juga perdere montes
 Aspicit. armari populos tamen, armaque ferri
 Ipse jubet pallens, mediæque in sedibus aulæ 695
 Eumenidas subitas, flentemque Menoecea cernit
 Turbidus, impositosque rogis gaudere Pelasgos.
 Quis fuit ille dies? tanto cum sanguine Thebis
 Pax inventa perit? patriis modo fixa revellunt
 Arma Deis, clypeisque obducunt pectora fractis, 700
 Et galeas humiles, & adhuc sordentia tabo
 Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
 Non spectandus equo. cessit fiducia valli:
 Murorum patet omne latus, munimina portæ
 Exposcunt: prior hostis habet. fastigia desunt: 705
 Dejicit Capaneus. exsanguis & ægra juventus,
 Jam nec conjugibus, suprema nec oscula natis
 Jungit, & attoniti nil optavere parentes.

Statius.

H h

Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, & solem primis aspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter moenia nudos
Affervat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aera pulvrea penitus sub casside ducens
Ingemit, & justas belli flammatur in iras.

Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum
Miscuit. at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruentos
Terra rudis. jamque alternas in proelia gentes
Diffimilis Bellona ciet. non clamor utrinque,
Non utrinque tubæ. stat debilis altera pubes,
Summissos enses nequidquam, amentaque dextris
Laxa tenens. cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.

Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, & virtus secura refidit:
Ventorum velut ira minor, nisi Silva furentes
Impedit, insanique tacent sine litore fluctus.

Ut vero æquoreus querum Marathonida Theseus
Extulit, erestæ cuius crudelis in hostes

Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet:
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimis in terga reducir
Pallor Agenoridas. tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruentum.
Cetera plebejo defævit sanguine virtus.

710

715

720

725

730

735

Sic juvat exanimis projectaque præda canesque,

Degeneresque lupos , magnos alit ira leones.

740

Attamen Olenum , Thamirumque , hunc tela pharetra

Promentem , hunc saevi tollentem pondera faxi

Dejicit , & triplici confisos robore gentis

Alceidas fratres , totidem quos eminus hastis

Continuat : ferrum consumfit pectora Phileus ,

745

Ore momordit Helops , humero transmisit Iapix.

Jamque & quadrijugo celsum petit Hæmona curru ,

Horrendumque manu telum rotat. ille paventes

Obliquavit equos. longo perlata tenore

Translit hasta duos. stiebat vulnera nec non

750

Tertia ; sed medio cuspis temone retenta est.

Sed solum votis , solum clamore fremendo

Omnibus in turmis , optatque vocatque Creonta.

Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos

Hortantem dictis , frustraque extrema minantem

755

Conspicit: abscedunt comites , & Thesea jussi

Linquebant , fretique Deis , atque ipsius armis.

Ille tenet , revocatque suos. utque æqua notavit

Hinc atque hinc odia , extrema se colligit ira ,

Jam letale furens , atque audax morte futura :

760

Non cum peltiferis , ait , hæc tibi pugna puellis ;

Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum

Proelia , nos magnum qui Tydea , quique furentem

Hippomedonta neci , Capaneaque misimus umbris

Pectora. quæ bellum præcepis amentia sua sit ,

765


Improbè? nonne vides , quos ulciscare , jacentes?

Sic ait , & frustra peritum missile summo

Affixit clypeo. risit vocesque , manumque

- Horridus Ægides , ferrataque arbore magnos
 Molitur jaetus , nec non prius ore superbo 770
 Intonat : Argolici , quibus haec datur hostia , Manes ,
 Pandite Tartareum chaos , ultricesque parate
 Eumenidas , venit ecce Creon . Sic fatus , & auras
 Dissipat laesta tremens . tunc qua subtemine duro
 Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ , 775
 Incidit . emicuit per mille foramina sanguis
 Impius . ille oculis extremo errore solutis
 Labitur . afflxit Theseus gravis , armaque tollens :
 Jamne dare extintis justos , ait , hostibus ignes ,
 Jam viatos operire placet ? vade atra dature 780
 Suppicia , extremique tamen secure sepulcri .
 Accedunt utrinque pio vexilla tumultu ,
 Permiscentque manus . medio jam foedera bello ,
 Jamque hospes Theseus . orant succedere muris ,
 Dignarique domos . nec teuta hostilia victor 785
 Aspernatus init . gaudent matresque , nurusque
 Ogygiae : qualis thyrso bellante subactus
 Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges .
 Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
 Femineus quatit astra fragor , matresque Pelasgæ 790
 Decurrunt . quales Bacchæa ad bella vocatæ
 Thyades amentes , magnum quas poscere credas ,
 Aut fecisse nefas . gaudent lamenta , novæque
 Exsultant lacrimæ : rapit huc , rapit impetus illuc ,
 Thesea magnanimum quærant prius , anne Creonta , 795
 Anne suos : vidui ducunt ad corpora luctus .
 Non ego , centena si quis mea peñtora laxet
 Voce Deus , tot busta simul , vulgique , ducumque

- Tot pariter gemitus , dignis conatibus æquem :
Turbine quo sese caris instraverit audax 800
Ignibus Evadne , fulmenque in pectore magno
Quæsierit : quo more jacens super oscula fævi
Corporis , infelix excuset Tydea conjux ,
Ut fævos narret vigiles Argia sorori :
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet ; 805
Arcada consumto servantem sanguine vultus ,
Arcada , quem geminæ pariter flevere cohortes .
Vix novus ista furor , veniensque impleisset Apollo :
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum .
Durabisne procul , dominoque legere superstes ; 810
O mihi biffenos multum vigilata per annos
Thebai ? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter , cœpitque novam monstrare futuris :
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar ,
Itala jam studio discit , memoratque juventus . 815
Vive , precor : nec tu divinam Æneïda tenta ,
Sed longe sequere , & vestigia semper adora .
Mox tibi , si quis adhuc prætendit nubila livor ,
Occidet , & meriti post me referentur honores .
-



P. PAPINII STATII
A C H I L L E I D O S
L I B R I I I.

H h 4

1719

P. PAPINII STATII
ACHILLEIDOS
 LIBER I.

MAGNANIMUM Æaciden, formidatamque Tonanti
 Progeniem, & patrio vetitam succedere cœlo,
 Diva, refer. quanquam æta viri multum inclyta cantu
 Mæonio, sed plura vacant. nos ire per omnem
 (Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latenter 5
 Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto
 Sistere, sed tota juvenerit deducere Troja.
 Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
 Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
 Nestre comas: neque enim Aonium nemus advena pulso 10
 Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
 Scit Dirceus ager: meque inter prisca parentum
 Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.
At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
 Grajaque, cui geminæ florent vatimque ducumque 15
 Certatim laurus (olim dolet altera vinci)
 Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
 Pulvere. te longo, necdum fidente paratu

Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.
 Solverat Æbalio classem de litore pastor
 Dardanus, incutas blande populatus Amyclas,
 Plenaque materni referens præfagia somni
 Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
 Fluëtibus invisis jam Nereis imperat Helle:
 Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
 Auguria!) expavit vitreo sub gurgite remos.
 Nec mora: & undosis turba comitante sororum
 Profiluit thalamis. fervent coeuntia Phryxi
 Litora, & angustum dominas non explicat æquor.
 Illa ubi discusso primum subit aera ponto:
 Me perit hæc, mihi classis, ait, funesta minatur:
 Agnosco monitus, & Protea vera locutum.
 Ecce novam Priamo, facibus de puppe levatis;
 Fert Bellona nurum. video jam mille carinis
 Ionium, Ægæumque premi. nec sufficit, omnis
 Quod plaga Grajugenum tumidis conjurat Atridis:
 Jam pelago, terrisque meus quæretur Achilles,
 Et volet ipse sequi. quid enim cunabula parvo
 Pelion, & torvi commisimus antra magistri?
 Illic (ni fallor) Lapitharum proelia ludit
 Improbus, & patria jam se metitur in hasta.
 O dolor, o seri materno in corde timores!
 Non potui infelix, cum primum in gurgite nostro
 Rhœtææ cecidere trabes, attollere magnum
 Æquor? & incesti prædonis vela, profunda
 Tempestate sequi? cunctasque inferre sorores?
 Nunc quoque: sed tardum est, jam plena injuria raptæ.
 Ibo tamen, pelagique Deos, dextramque secundi,

20

25

30

35

40

45

Quod supereft , complexa Jovis , per Tethyos annos
Grandævumque patrem , supplex miseranda rogabo 50
Unam hiemem. Dixit , magnumque in tempore regem
Aspicit. Oceano veniebat ab hospite , mensis
Lætus , & æquoreo diffusus neftare vultus ,
Unde hiemes , ventique silent , cantuque quieto
Armigeri Tritones eunt , scopulosaque cete , 55
Tyrrhenique greges , circumque infraque rotantur
Rege salutato. placidis ipfe arduis undis
Eminet , & triplici telo jubet ire jugales.
Illi fpumiferos glomerant a pectore fluctus ;
Pone natant , delentque pedum vestigia cauda; 60
Cui Thetis : O magni rector genitorque profundi ,
Aspicis , in quales miserum patefeceris usus
Æquor? eunt tutis terrarum crimina velis ,
Ex quo jura freti , majestatemque repotam
Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina. 65
En aliud furto scelus , & spolia hospita portans
Navigat injuftæ temerarius arbiter Idæ ,
Eheu quos gemitus terris pelagoque daturus !
Quos mihi ! sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ.
Hi Veneris mores , hoc gratæ munus alumnæ ? 70
Has saltem (non Semideos , noſtrumque reportant
Theſea) fi quis adhuc undis honor , obrue puppes ,
Aut permitte fretum. nulla inclemensia : fas fit
Pro nato timuiffe mihi. da tollere fluctus ,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
Litus , & Iliaci scopulos habitare ſepulcri. 75
Orabat laniata comas , & pectore nudo
Cæruleis obſtabat equis. tunc ductor aquarum

Invitat currū, dictisque ita mulcet amicis :

Ne pete Dardaniam frustra, Theti, mergere classem : 80

Fata vetant : ratus ordo Deis, miscere cruentas

Europaeque Asiæque manus, consultaque bella

Juppiter & tristes edixit cædibus annos.

Quem tu illic natum Sigeo in pulvere ? quanta

Aspicies viætrix Phrygiarum funera matrum ? 85

Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros

Undabit campos, modo crassa exire vetabit

Flumina, & Hectoreo tardabit funere currus,

Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.

Pelea jam desiste queri, thalamosque minores,

Credideris peperisse Jovi. nec inulta dolebis,

Cognatis utere fretis. dabo tollere fluetus,

Cum reduces Danaï, nocturnaque signa Caphareus

Exferet, & dirum pariter quæremus Ulixem.

Dixerat illa gravi vultum demissa repulsa,

Quæ jam excire fretum, & ratibus bellare parabat

Iliacis, alios iterum commenta paratus,

Tristis ad Hæmonias detorquet brachia terras.

Ter conata manu, liquidum ter gressibus æquor

Reppulit, & niveas feriunt vada Theßala plantas.

Lætantur montes, & connubialia pandunt

Antra sinus, lateque Deæ Sperchios abundat

Obvius, & dulci vestigia circuit unda.

Illa nihil gavisa locis, sed copta fatigat

Pectore confilia, & solers pietate magistra,

Longævum Chirona petit. domus ardua montem

Perforat, & longo suspendit Pelion arcu.

Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.

80

85

90

95

100

105

Signa tamen , Divumque tori , & quem quisque sacrarat
 Accubitu , genioque , locus monstrantur : at intra 110
 Centauri stabula alta patent , non æqua nefandis
 Fratribus . hic hominum nulos experta cruores
 Spicula , nec truncæ bellis genialibus orni ,
 Aut consanguineos fracti crateres in hostes ;
 Sed pharetræ infantes , & inania terga ferarum . 115
 Hæc quoque dum viridis ; nam nunc labor unus inermi ,
 Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas ,
 Aut monstrare lyra veteres heroas alumno .
 Ac tunc venatu redditurum in limine primo
 Opperiens , properatque dapes , largoque serenat 120
 Igne domum . cum visa procul de litore mater
 Nereis , erumpit filvis : dant gaudia vires ,
 Motaque desueto crepuit senis ungula campo .
 Tunc blandus dextra , atque imos summifluis in armos
 Pauperibus testis inducit , & admovet antris . 125
 Jamdudum tacito lustrat Theris omnia visu ;
 Nec perpesta moras : Ubinam mea pignora , Chiron ?
 Dic , ait , aut cur ulla puer jam tempora ducit
 Te sine ? num merito trepidus sopor ? atraque matri
 Signa Deum ? magnos utinam mentita timores ! 130
 Namque mihi infestos utero modo contuor enses ,
 Nunc planètu livere manus , modo in ubera sœvas
 Ire feras . sœpe ipsa (nefas !) sub inania natum
 Tartara , & ad Stygios iterum fero mergere fontes .
 Hos abolere metus magici jubet ordine sacri
 Carpathius vates , puerumque sub axe probato 135
 Secretis lustrare fretis , ubi litora summa
 Oceani , & genitor tepet illabentibus astris

Pontus, ubi ignotis horrenda piacula Divis,
 Donaque: sed longum cuncta enumerare, vtorque; 140
 Trade magis. Sic fata parens: neque enim ille dedisset,
 Si molles habitus & tegmina foeda fateri
 Ausa seni. tunc ille refert: Duc, optima, quæso,
 Duc genitrix, humilique Deos infringe precatu.
 Nam superant tua vota modum, placandaque multum 145
 Invidia est. non addo metum, sed vera fatebor,
 Nescio, quid magnum (nec me patria omina fallunt)
 Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.
 Olim ferre minas & obire audita solebat
 Imperia, & nostris procul haud discedere ab antris. 150
 Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens,
 Thessalæve nives. ipsi mihi saepe queruntur
 Centauri raptasque domos, abstractaque coram
 Armenta, & campis semet fluviisque fugari.
 Insidias & bella parant, tumidique minantur. 155
 Olim equidem Argoos, pinus cum Thessala reges
 Hac veheret, juvenem Alcidem, & Thesea vidi;
 Sed taceo. Figit gelidus Nereïda pallor.
 Ille aderat multo sudore, & pulveré major.
 Attamen arma inter, festinatosque labores, 160
 Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
 Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.
 Nec dum prima nova lanugine vertitur ætas,
 Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
 Mater ineft. qualis Lycia venator Apollo
 Cum redit, & saevis permutat plectra pharetris.
 Forte & lætus adeft. (o quantum gaudia formæ
 Adjiciunt!) fœtam Pholoes sub rupe leænam

- Perculerat ferro , vacuisque reliquerat antris
Ipsam , sed catulos apportat , & incitat ungues. 170
- Quos tamen , ut fido genitrix in limine visa est ,
Abjicit , exceptamque avidis circumligat ulnis ,
Jam gravis amplexu , jamque æquus vertice matri.
Insequitur magno jam tunc connexus amore
Patroclus , tantisque extenditur æmulus ætis ,
Par studiis , ævique modis , sed robore longe , 175
Et tamen æquali visurus Pergama fato.
Protinus ille subit rapido , quæ proxima , saltu
Flumina , fumantesque genas , crinemque novatur
Fontibus. Eurotæ qualis vada Castor anhelo
Intrat equo , fessumque sui jubar excitat astri. 180
Miratur , comitque senex , nunc pectora mulcens ,
Nunc fortæ humeros : angunt sua gaudia matrem.
Tunc libare dapes , Bacchæaque munera Chiron
Orat , & attonitam vario obleftamine mulcens , 185
Elicit extremo chelyn , & solantia curas
Fila movet , leviterque expertas pollice chords
Dat puero / canit ille libens immania laudum
Semina , qui tumidæ superarit jussa novercæ
Amphitryoniades : crudum quo Bebryca cæstu
Obruerit Pollux : quanto circumdata nexus 190
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri :
Maternos in fine toros , Superisque gravatum
Pelion. hic ficto risit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in somnos : faxo collabitur ingens
Centaurus , blandisque humeris se innectit Achilles , 195
Quanquam ibi fida parens , assuetaque pectora mavult.
At Thetis undisonis per noctem in rupibus adstant ,

Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
 Destinet, huc, illuc, diversa mente volutat. 200
 Proxima, sed studiis multum Mavoria, Thrace:
 Nec Macetum gens dura placet, laudumque daturi
 Cecropidæ stimulos, nimium opportuna carinis
 Sestos, Abydenique sinus: placet ire per altas
 Cycladas. hinc spretæ Myconos, humiliisque Seriphos, 205
 Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
 Gentibus, imbelli nuper Lycomedis in aula
 Virgineos coetus, & litora persona ludo
 Audierat, duros laxantem Ægæona nexus
 Missa sequi, centumque Dei numerare catenas. 210
 Hæc placet, hæc timidæ tellus turissima matri.
 Qualis vicino volucris jam sedula partu,
 Jamque timens, qua fronde domum suspendat inanem;
 Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
 Hinc homines: tandem dubia placet umbra, novisque 215
 Vix stetit in ramis, & protinus arbor amatur.
 Altera consilio superest, tristemque fatigat
 Cura Deam, natum ipsa sinu complexa per undas;
 An magno Tritone ferat, ventosque volucres
 Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci. 220
 Elicit inde fretis, & murice frenat acuto
 Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethis
 Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora
 Nutrierat, nullis vada per Neptunia glaucæ
 Tantis honor formæ, nandique potentia: nec plus 225
 Peitoris humani. jubet hos subsistere pleno
 Litore, ne nudæ noceant contagia terræ.
 Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem

(Qui pueris sopor) Hæmonii de rupibus antri
 Ad placidas deportat aquas, & jussa tacere
 Litora monstrat iter, totoque effusserat orbe
 Cynthia. prosequitur Divam, celeresque recursus
 Securus pelagi Chiron rogat, udaque celat
 Lumina, & abreptos subito jam jamque latentes
 Erecto prospectat equo, qua cana parumper
 Spumant signa fugæ, & liquido perit orbita ponto.
 Illum non alias redditurum ad Thessala Tempe
 Jam tristis Pholoe, jam nubilus ingemit Othrys,
 Et tenuis Sperchios aquis, speluncaeque docti
 Muta senis. quærunt puerilia carmina Fauni,
 Et sperata diu plorant connubia Nymphæ.

Jam premit astra dies, humiliisque ex æquore Titan
 Rorantes evolvit equos, & ab æthere magno
 Sublatum curru pelagus cadit. at vada mater
 Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat,
 Exierantque jugo fessi Delphines herili:
 Cum pueri tremefacta quies, oculique jacentis
 Infusum sensere diem. stupet aere primo,

Quæ loca? qui fluctus? ubi Pelion? omnia versa
 Atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.
 Occupat illa manu, blandeque affata paventem:
 Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,
 Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
 Sidus grande plagis, magnique puerpera cœli,
 Nil humiles Parcas, terrenaque fata vererer.

Nunc impar tibi, nate, genus, præclusaque leti
 Tantum matre via est. quin & metuenda propinquant
 Tempora, & extremis admota pericula metis.

Statius.

1 i

230

235

240

245

250

255

Cedamus, paulumque animos summitte viriles,
 Atque habitus dignare meos. si Lydia dura
 Pensa manu, mollesque tulit Tirynthius hastas:
 Si decet aurata Bacchum vestigia palla
 Verrere, virgineos si Juppiter induit artus,
 Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus:
 Has sine, quæso, minas numenque exire malignum.
 Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
 Lustra tibi. per ego hoc decus, & ventura juventæ
 Gaudia, si terras, humilemque experta maritum
 Te propter, si progenitum Stygos amie severo
 Arnavi (totumque utinam !) cape tuta parumper
 Tegmina, nil nocitura animo. cur ora reducis?
 Quidve parant oculi? pudet hoc mitescere cultu?
 Per te, care puer, cognata per æquora juro,
 Nesciet hoc Chiron. Sic horrida pectora tractat
 Nequidquam mulcens. obstat genitorque roganti,
 Nutritorque ingens, & cruda exordia magnæ
 Indolis. effrenæ tumidum velut igne juventæ
 Si quis equum primis summittere tentet habenis:
 Ille diu campis, flaviisque, & honore superbo
 Gavisus, non colla jugo, non aspera præbet
 Ora lupis, dominique gemit captivus inire
 Imperia, atque alios miratur discere cursus.
 Quis Deus attonitæ fraudes, astumque parenti
 Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
 Palladi litoreæ celebrabat Scyros honorum
 Forte diem, placidoque satæ Lycomede forores
 Luce sacra patrii (quæ rara licentia) muris
 Exierant, dare veris opes, Divæque severas

260

265

270

275

280

285

- Fronde ligare comas , & spargere floribus hastam.
 Omnibus eximum formæ decus : omnibus idem 290
 Cultus , & expletø teneri jam fine pudoris
 Virginitas matura toris , annique tumentes.
 Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
 Obruit , aut humeris quantum Diana relinquit
 Naïdes , effulget tantum regina decori 295
 Deidamia chori , pulchrisque sororibus obstat.
 Illius & roseo flammatur purpura vultu ,
 Et gemmis lux major ineft , & blandius aurum.
 Atque ipfi par forma Deæ , si pectoris angues
 Ponat , & exempta placetur casside vultus. 300
 Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
 Trux puer , & nullo temeratus pectora motu ;
 Dirigit , totisque novum bibit ossibus ignem.
 Nec latet haustus amor , sed fax vibrata medullis
 In vultus atque ora reddit , lucemque genarum 305
 Tingit , & impulsu tenui sudore pererrat.
 Laetæ Massagetae veluti cum pocula fuscant
 Sanguine puniceo , vel ebur corrumpitur ostro :
 Sic variis manifesta notis , palletque , rubetque
 Flamma recens. eat , atque ultro ferus , hospita sacra 310
 Discutiat turbæ securus , & immemor ævi ,
 Ni pudor & junctæ teneat reverentia matris.
 Ut pater armenti quondam , rectorque futurus ,
 Cui nondum toto peraguntur cornua gyro ,
 Cum sociam pastus niveo candore juvencam 315
 Aspicit , ardescunt animi , primusque per ora
 Spumat amor , spectant hilares , optantque magistri.
 Occupat arrepto jam tempore conscientia mater :

Hosne inter simulare choros , & brachia ludo
Nectere , nate , grave est ? gelida quid tale sub Ossa ; 320
Peliacisque jugis ? o si mihi jungere curas ,
Atque alium portare finu contingat Achillem !
Mulcetur , lætumque rubet , visusque superbos
Obliquat , vestesque manu leviore repellit.
Aspicit ambiguum genitrix , cogitque volentem , 325
Injecitque finus . tunc colla rigentia mollit ,
Submititque graves humeros , & fortia laxat
Brachia , & impexos certo domat ordine crines ,
Ac sua dilecta cervice monilia transfert ,
Et picturato cohibet vestigia limbo . 330
Incessum , motumque docet , fandique pudorem .
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas , ignemque , manumque sequuntur ,
Talis erat Divæ natum mutantis imago .
Nec luclata diu : supereft nam plurimus illi 335
Invicta virtute decor , fallitque tuentes
Ambiguus , tenuique latens discrimine sexus .
Procedunt , iterumque monet , rursumque fatigat
Blanda Thetis : Sic ergo gradus , sic ora , manusque ,
Nate , feres , comitesque modis imitabere fictis ; 340
Ne te suspectum molli non misceat aulæ
Rector , & incepti pereant mendacia furti .
Dixit , & admoto non cessat comere tactu .
Sic ubi virginis Hecate lassata pharetris ,
Ad patrem fratremque redit , comes hæret euntis 345
Mater , & ipsa humeros , exsertaque brachia velat .
Ipsa arcum , pharetramque locat , vestesque latentes
Dedicit , sparsosque studet componere crines .

- Protinus aggreditur regem : atque ibi testibus aris
 Hane tibi , ait , nostri germanam , rector , Achillis 350
 (Nonne vides , ut torva genas , æquandaque fratri ?)
 Tradimus : arma humeris , arcumque animosa petebat
 Ferre , & Amazonio connubia pellere ritu.
 Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili.
 Hæc calathos & sacra ferat . tu frange regendo 355
 Indocilem , sexumque tene , dum nubilis ætas ,
 Solvendusque pudor . neve exercere protervas
 Gymnadas , aut lustris nemorum concede vagari.
 Intus ale , & similes inter seclude puellas.
 Litore præcipue , portuque arcere memento. 360
 Vidisti modo vela Phrygum . jam mutua jura ,
 Fallere , transmissæ pelago didicere carinæ.
 Accedit dictis pater , ingenioque parentis
 Occultum Æaciden (quis Divum fraudibus obstat ?)
 Accipit . ultro etiam veneratur supplice dextra , 365
 Et grates electus agit . nec turba piarum .
 Scyriadum cessat nimio desigere visu .
 Virginis ora novæ , quantum cervice , comisque
 Emineat , quantumque humeros ac pectora fundat .
 Dehinc sociare choros , castisque accedere sacris 370
 Hortantur , ceduntque loco , & contingere gaudent .
 Qualiter Idaliæ volucres , ubi mollia frangunt
 Nubila , jam longum coeloque , domoque gregatæ .
 Si junxit pennas , diversoque hospita trastu
 Venit avis , cunctæ primum mirantur , & horrent : 375
 Mox proprius propiusque volant , atque aere in ipso
 Paulatim fecere suam , plausuque secundo
 Circumeunt hilares , & ad alta cubilia dueunt .

Digreditur multum cunctata in limine mater ,
Dum repetit monitus , arcanaque murmura figit 380
Auribus , & tacito dat verba novissima voto .
Tunc excepta freto , longe cervice reflexa
Abnatat , & blandis affatur litora verbis :
Cara mihi tellus , magnæ cui pignora curæ ,
Depositumque ingens , timido commisimus astu , 385
Sis felix , taceasque , precor , quo more tacebat
Creta Rheæ . te longus honos , æternaque cingent
Templa , nec instabili fama superabere Delo .
At ventis & sacra fretis , interque vadofas
Cycladas , Ægeæ frangunt ubi saxa procellæ , 390
Nereidum tranquilla domus , jurandaque nautis
Insula , ne solum Danaas admitte carinas ,
Te precor . hic thiasos tantum , nihil utile bellis ,
Hic famam narrare doce . dumque arma parantur
Dorica , & alternum Mavors interfurit orbem : 395
(Cedo equidem) sit virgo pii Lycomedis Achilles .
Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis , & supplice regum
Conquestu flammata movet , quippe ambit Atrides
Ille magis , cui nupta domi , facinusque relatu 400
Asperat Iliacum . captam fine Marte , fine armis
Progeniem cœli , Spartæque potentis alumnam :
Jura , fidem , superos , una calcata rapina .
Hoc foedus Phrygium , hæc geminæ commercia terræ ?
Quid maneat populos , ubi tanta injuria primos 405
Degrassata duces ? coenunt gens omnis & ætas :
Nec tantum exciti , bimari quos Istmia vallo
Claustra , nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ ,

Sed procul amotæ, Phryxi qua semita jungi
 Europamque , Afiamque vetat , quasque ordine gentes 410
 Litore Abydeno maris alligat unda superni.
 Fervet amor belli , concussaque erigit urbes.
 Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
 Euboïs: innumera resonant incude Mycenæ:
 Pifa novat currus : Nemee dat terga ferarum :
 Cyrrha sagitiferas certat stipare pharetras : 415
 Lerna graves clypeos cæsis vestire juvencis.
 Dat bello pedites Ætolus , & asper Acarnan :
 Argos agit turmas : vacuantur pascua ditis
 Arcadiæ: frenat celeres Epiros alumnos : 420
 Phocis , & Aoniæ jaculis rarescitis umbræ :
 Murorum tormenta Pylos , Messanaque tendunt.
 Nulla immunis humus. velluntur postibus altis
 Arma olim dimissa patrum , flammisque liquefcunt
 Dona Deûm : raptum Superis Mars efferat aurum . 425
 Nusquam umbræ veteres : minor Othrys , & ardua fidunt
 Taygeta , exuti viderunt aera montes.
 Jam natat omne nemus : cæduntur robora classi :
 Silva minor remis. ferrum laxatur ad usus
 Innumerous , quod rostra liget , quod munita arma ,
 Belligeros quod frenet equos , quod mille catenis 430
 Squalentes nectat tunicas , quod sanguine fumet ,
 Vulneraque alta bibat , quod conspirante veneno
 Impellat mortes : tenuantque humentia saxa
 Attritu , & nigris addunt mucronibus iras . 435
 Nec modus , aut arcus lentare , aut fundere glandes ;
 Aut torrere fudes , galeasque attollere conis.
 Hos inter motus pigram gemit ora quietem

- Theffalis , & geminis incusat fata queresis ,
 Quod senior Peleus , nec adhuc maturus Achilles. 440
- Jam Pelopis terras , Grajumque exauferat orbem
 Præcipitans in transtra viros insanus , equosque ,
 Bellipotens. fervent portus , & opera carinis
 Stagna , suaque hiemes clæsis promota , suosque
 Attollit fluctus. ipsam jam pupibus æquor 445
 Deficit , & totos consumunt carbasa ventos.
- Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis ,
 Rupibus expositis , longique crepidine dorsi
 Euboicum scandens Aulis mare , litora multum
 Montivagæ dilecta Deæ : juxtaque Caphareus 450
 Latratum pelago tollens caput. ille Pelasgas
 Ut vidit transnare rates , ter monte , ter undis
 Intonuit , sœvæque dedit præfagia noctis.
 Coetus ibi armorum Trojæ fatalis : ibi ingens
 Juratur bellum , donec sol annuus omnes 455
 Conficeret metas. tum primum Græcia vires
 Contemplata suas : tunc sparsa ac diffusa moles
 In corpus , vultumque coit , & rege sub uno
 Disposita est. sic curva feras indago latentes
 Claudit , & admois pauplatim cassibus arctat. 460
- Illæ ignem , sonitumque pavent , diffusaque linquunt
 Avia , miranturque suum decrescere montem ,
 Donec in angustam ceciderunt undique vallem ,
 Inque vicem stupere greges , socioque timore
 Mansuescant. simul hirtus aper , simul ursa , lupusque 465
 Cogitur , & captos contemnit cerva leones.
 Sed quanquam gemini pariter sua bella capeſſant
 Atridæ , famamque avidi virtute paternam

- Tydides, Sthenelusque premant, nec cogitet annos
 Antilochus, septemque Ajax umbone coruscet 470
 Armenti reges, atque æquum moenibus orbem
 Confiliis, armisque vigil contendat Ulysses;
 Omnis in absentem belli manus ardet Achillem:
 Nomen Achillis amant, & in Hectora solus Achilles
 Poscitur. illum unum Teucris, Priamoque loquuntur 475
 Fatalem. quis enim Hæmoniis sub vallibus alter
 Creverit, effossa reptans nive? cuius ab ortu
 Cruda rudimenta, & teneros formaverit annos
 Centaurus? patrii propior cui linea coeli?
 Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes 480
 Nereis? & pulchros ferro perstrinxerit artus?
 Hæc Grajæ castris iterant, traduntque cohortes.
 Cedit turba ducum, vincique haud moesta fatetur.
 Sic cum bellantes Phlegræa in castra coirent
 Cœlicolæ, jamque Odrysiam Grævius in hastam 485
 Surgeret, & Libycos Tritonia tolleret angues,
 Ingentemque manu curvaret Delius arcum;
 Stabat anhela metu solum Natura Tonantem
 Respiciens; quando ille hiemes, tonitrusque vocaret
 Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Ætnam. 490
 Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum
 Et maris & belli consultant tempora reges,
 Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
 Protesilaus ait: (namque huic bellare cupido
 Præcipua, & primæ jam tunc data copia mortis) 495
 O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum,
 Thestoride! quando ora Deo possessa movebis
 Jutius? aut quando Parcarum occulta recludes?

Cernis, ut ignotum cuncti stupeantque , petantque
 Eaciden ? sorbet vulgo Calydonius heros , 500
 Et magno genitus Telamone , Ajaxque secundus ,
 Nos quoque : sed Mavors abreptaque Troja probabunt.
 Illum , neglectis (pudet heu !) ductoribus , omnes
 Belligerum ceu numen amant. dic ocius (aut cur
 Serta comis & mitis honos ?) quibus abditus oris , 505
 Quave jubes tellure peti. nam fama , nec antris
 Chironis , patria nec degere Peleos aula.
 Eja , irrumpe Deos , & fata latentia laxa ,
 Laurigerosque ignes , si quando , avidissimus hauri :
 Arma horrenda tibi , saevosque remissimus enses. 510
 Nunquam has imbellies galea violabere vittas ,
 Sis felix , numeroque ducum præstantior omni ,
 Si magnum Danais per te portendis Achillem.
 Jamdudum trepido circumfert lumina motu ,
 Intrantemque Deum primo pallore fatetur 515
 Thestorides : mox igne genas & sanguine torquens
 Nec socios , nec castra videt , sed cæcus & amens
 Nunc Superum magnos deprendit in æthere coetus ,
 Nunc sagas affatur aves , nunc dira sororum
 Licia , turiferas modo consulit anxius aras , 520
 Flamarumque apices rapit , & caligine sacra
 Pascitur. exsiliunt crines , rigidisque laborat
 Vitta comis , nec colla loco , nec in ordine gressus.
 Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
 Solvit , & oppositum vox eluctata furorem est : 525
 Quo rapis ingentem magni Chironis aluminum
 Femineis , Nerei , dolis ? huc mitte : quid aufers ?
 Non patiar : meus iste , meus. tu Diva profundi ,

- Et me Phoebus agit. latebris quibus abdere tentas
Eversorem Afiae? video per Cycladas altas 530
Attonitam, & turpi quærentem litora furto.
Occidimus: placuit Lycomedis conscia tellus.
O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes.
Scinde, puer, scinde, & timidæ ne crede parenti.
Hei mihi raptus abit! quænam hæc procul improba virgo? 535
Hic nutante gradu stetit, amissique furoris
Viribus, ante ipsas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat heros:
Nos vocat iste labor: neque enim comes ire recuso,
Si te cura trahit, licet ille sonantibus antris 540
Thetyos adversæ, gremioque prematur aquoso
Nereos, invenies. tu tantum providus astu
Tende animum vigilem, fœcundumque erige pectus.
Nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
Fata videre prior? subicit gavisus Ulixes: 545
Sic Deus omnipotens firmet, sic annuat illa
Virgo paterna tibi. sed me spes lubrica tardat:
Grande equidem armatum castris inducere Achillem.
Sed si fata negent, quam foedum, ac triste, reverti!
Vota tamen Danaum non intentata relinquam. 550
Jamque adeo aut aderit mecum Peleïus heros,
Aut verum penitus latet, & sine Apolline Calchas.
Conclamat Danai, stimulatque Agamemno volentes:
Laxantur coetus, resolutaque murmure læto
Agmina discedunt. quales jam nocte propinquaque 555
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, jam dextras Ithacefia carbasus auras

Poscit, & in remis hilaris sedere juventus.
 At procul occultum falsi sub imagine sexus 560
 Æaciden furto jam noverat una latenter
 Deidamia virum: sed operæ conscia culpæ
 Cuncta pavet, tacitasque putat sentire forores.
 Namque ut virginæ stetit agmine clarus Achilles,
 Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem, 565
 Protinus elegit comitem (quanquam omnis in illum
 Turba coit) blandeque novas nil tale timenti
 Admovet infidias. illam sequiturque, premitque
 Improbus: illam oculis iterumque, iterumque resumit.
 Nunc nimius lateri non evitantis adhæreret: 570
 Nunc levibus fertis, lapsis nunc sponte canistris,
 Nunc thyrsō parcente ferit modo dulcia notæ
 Fila lyræ, tenuesque modos, & carmina monstrat
 Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
 Infringit citharæ. nunc occupat ora canentis, 575
 Et ligat amplexus, & mille per oscula laudat.
 Illa libens discit, quo vertice Pelion, & quis
 Æacles, puerique auditum nomen & actus
 Affidue stupet, & præsentem cantat Achillem.
 Ipsa quoque & validos proferre modestius artus, 580
 Et tenuare rudes attrito pollice lanas
 Demonstrat, reficitque colos, & perdita dura
 Pensa manu, vocisque sonum, pondusque tenentis:
 Quodque fugit comites, nimio quod lumine fese
 Figat, & in verbis intempestivus anhelet, 585
 Miratur. jam jamque dolos aperire parantem.
 Virginæ levitate fugit, prohibetque fateri.
 Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi

- Oscula securæ dabat infidiosa sorori
Frater adhuc , medii donec reverentia cessit 590
Sanguinis , & veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereïdos astus,
Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
Stabat , & admissum coelo nemus. hujus in umbra
Alternum revocare piæ Trieterica matres 595
Consuerant, scissumque pecus , terraque revulsas
Ferre trabes , gratosque Deo præstare furores.
Lex procul ire mares. iterat præcepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
Nec satis est : stat fine dato metuenda sacerdos , 600
Exploratque aditus , ne quis temerator oberret
Agmine femineo. tacitus subrisit Achilles.
Illum , virginæ ducentem signa catervæ ,
Magnaque difficiili solventem brachia motu ,
(Et sexus pariter decet , & mendacia matris) 605
Mirantur comites. nec jam pulcherrima turbæ
Deidamia suæ , tantumque admota superbo
Vincitur Æacide , quantum premit ipsa sorores.
Ut vero a tereti demisit nebrida collo ,
Errantesque finis edera collegit , & alte 610
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis ,
Vibravitque gravi redimitum missile dextra:
Attonito stat turba metu , sacrificque reliftis
Illum ambire libet , pronosque atollere vultus.
Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque remisit 615
Evius , & patrio satiavit pectora luxu :
Serta comis, mitramque levat , thyrsumque virentem
Armat , & hostiles invisit fortior Indos.

Scandebat roseo mediis fastigia coeli
Luna jugo, totis ubi somnus inertior alis 620
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Confedere chori, paulumque exercita pulsu
Æra tacent: tenero cum solus ab agmine Achilles
Hæc secum: Quonam timidae commenta parentis
Usque feres? primumque imbelli carcere perdes 625
Florem animi? non tela licet Mavortia dextra,
Non trepidas agitare feras? ubi campus & amnes
Hæmonii? quærifine meos, Sperchie, natatus,
Promissaque comas? an desertoris alumni
Nullus honos? Stygiasque procul jam raptus ad umbras 630
Dicor? & orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, nostros tu diriges arcus,
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, jugales:
Ait ego pampineis diffundere brachia thyrsis,
Et tenuare colos (pudet heu, tædetque fateri!) 635
Jam scio, quin etiam dilecta virginis ignem,
Æquævamque facem, captus, noctesque diesque
Dissimulas? quonam usque premes urenia peccus
Vulnera? teque marem (pudet heu!) nec amore probabis?
Sic ait, & densa noctis gavisus in umbra 640
Tempestiva suis torpere silentia furtis,
Vi potitur votis, & toto pectori veros
Admovet amplexus, risit chorus omnis ab alto
Astrorum, & teneræ rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit: 645
Sed Bacchi comites, discussa nube soporis,
Signa choris indista putant, fragor undique notus
Tollitur, & thyrsos iterum vibrabat Achilles.

- Ante tamen dubiam verbis solatur amicis:
Ille ego, (quid trepidas?) genuit quem cœrula mater 650
Pelias filvis, nivibusque immisit alendum
Thessalicis. neque ego hos cultus, aut foeda subiSEM
Tegmina, ni primo te visa in litore: cessi.
Te propter: tibi pensa manu, tibi mollia gesto
Tympana. quid defles magno nurus addita ponto? 655
Quid gemis ingentes cœlo paritura nepotes?
Sed pater ante igni, ferroque excisa jacebit
Scyros, & in tumidas ibunt hæc versa procellas
Mœnia, quam sævo mea tu connubia perdas
Funere: non adeo parebimus omnia matri. 660
Vade, sed eruptum taceas, celeisque pudorem.
Obstupuit tantis regina exterrita monstros,
Quanquam olim suspecta fides, & cominus ipsum
Horruit, & multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? casusne suos ferat ipsa parenti? 665
Seque simul, juvenemque premat, fortassis acerbas
Hausurum poenas? & adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor. filet ægra, premitque
Jam commune nefas. unam placet addere furtis
Altricem sociam, precibus quæ vista duorum 670
Annuit, illa astu tacito raptumque pudorem,
Surgentemque uterum, atque ægros in pondere menses
Occuluit, plenis donec stata tempora metis
Attulit, & partus index Lucina resolvit.

P. PAPINII STATII.
A CH I L L E I D O S
 LIBER II.

JAMQUE per Ægæos ibat Laertia fluctus
 Puppis, & innumeræ mutabant Cycladas auræ ;
 Jam Paros, Olearosque latent; jam raditur alta
 Lemnos, & a tergo decrescit Bacchica Naxos ,
 Ante oculos crescente Samo ; jam Delos opacat
 Æquor : ubi excelsa libant carchesia puppe ,
 Responsique fidem , & vetum Calchanta precantur.
 Audiit Arcitenens , Zephyrumque e vertice Cyathi
 Impulit , & dubiis pleno dedit omina velo.
 It pelago secura ratis : quippe alta Tonantis
 Jussa , Tethin certas fatorum vertere leges
 Arcebant ægram lacrimis , ac multa gementem ,
 Quod non erueret pontum , ventisque , fretisque
 Omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixem.
 Frangebat radios humili jam pronus Olympo
 Phœbus , & Oceani penetrabile litus anhelis
 Promittebat equis : cum se scopulosa levavit
 Scyros. in hanc totos emisit puppe rudentes

5

10

15

- Dux Laertiades , sociosque resumere pontum
 Imperat , & remis Zephyros supplere cadentes. 20
- Accedunt jussi. magis indubitata magisque
 Scyros erat , placidique super Tritonia custos
 Litoris. egressi numen venerantur amicæ
 Ætolusque Ithacusque Deæ. tum providus heros
 Hospita ne subito terrorent moenia cœtu ,
 Puppe jubet remanere suos. ipse ardua fidò
 Cum Diomede petit. sed jam prævenerat arcis
 Litoreæ servator Abas , ignotaque regi
 Ediderat (sed Graja tamen) succedere terris
 Carbasæ. procedunt , gemini ceu fœdere juncto
 Hiberna sub nocte lupi : licet & sua pulset
 Natorumque fames , penitus rabiemque minasque
 Dissimulant , humilesque meant , ne nuntiet hostes
 Cura canum , & trepidos moneat vigilare magistros.
 Sic segnes heroes eunt , campumque patentem ,
 Qui medius portum , celsamque interjacet urbem ,
 Alterno sermone serunt. prior occupat acer
 Tydides : Qua nunc verum ratione paramus
 Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam
 Verso , quid imbelles thyrſos mercatus & æra ,
 Urbibus in mediis , Bacchæaque terga , mitrasque
 Huc tuleris , varioque asperfas nebridas auro ?
 Hisne gravem Phrygibus , Priamoque armamus Achillem ?
 Illi subridens Ithacus paulum ore remisso :
 Hæc tibi , virginea modo si Lycomedis in aula
 Fraude latens , ultro confessum in prælia ducent
 Peliden. tu cuncta citus de puppe memento
 Ferre , ubi tempus erit , clypeumque iis jungere donis ,
 Statius. K k

Qui pulcher signis , auroque asperimus ardet.
Hæc sat erunt : tecum lituo bonus adsit Agyrtes , 50
Occultamque tubam tacitos apportet in usus.
Dixerat , atque ipso portarum in limine regem
Cernit , & ostensa pacem præfatur oliva.
Magna (reor) pridem vestras pervenit ad aures
Fama trucis belli , regum placidissime , quod nunc 55
Europamque Afiamque quatit. si nomina quæras
Huc perlata ducum , fudit quibus ultior Atrides ,
Hic tibi , quem tanta meliorem stirpe creavit
Magnanimus Tydens , Ithacis ego duktor Ulixes.
Causa viæ (metuam quid enim tibi cuncta fateri : 60
Cum Grajus , notaque fide celeberrimus unus ?)
Explorare aditus , invisaque litora Trojæ ,
Quidve parent. Medio sermone intercipit ille :
Annuerit Fortuna , precor , dextrique secundent
Ista Dei. nunc hospitio mea testa , piumque 65
Illustrate larem. Simul intra limina ducit.
Nec mora , jam mensas familiaris turba torosque
Instruit. interea visu perlustrat Ulixes ,
Scrutaturque domum , si qua vestigia magnæ
Virginis , aut dubia facies suspecta figura : 70
Porticibusque vagis errat , totosque penates ,
Ceu miretur , adit. velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens multo legit arva Molosso
Venator , videat donec sub frondibus hostem
Porrellum somno , positosque in cespite dentes. 75
Rumor in arcana jamdudum pæstrebit aula ,
Virginibus qua fida domus , venisse Pelasgum
Ductores , Grajamque ratem , sociosque receptos.

Jure pavent aliæ: sed vix nova gaudia celat
 Pelides, avidusque novos heroas & arma 80
 Vel talis vidisse cupit, jamque atria fervent
 Regali strepitū, & pīto discumbitur ostro.
 Tum pater ire jubet natas, comitesque pudicas
 Natarum subeunt, quales Mæotide ripa,
 Cum Scythicas rapuere domos, & capta Getarum 85
 Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis.
 Tum vero intentus vultus ac pectora Ulices
 Prælibat visu, sed nox, illataque fallunt
 Lumina, & extemplo latuit mensura jacentis.
 Et tamen erētumque genas, oculisque vagantem, 90
 Nullaque virginæ servantem signa pudoris,
 Desigit, comitique obliquo lumine monstrat.
 Quod nisi præcipitem blando complexa moneret
 Deidamia sinu, nudataque pectora semper,
 Exsertasque manus, humerosque in veste teneret, 95
 Et prodire toris, & poscere vina vetaret
 Sæpius, & fronti crinale reponeret aurum;
 Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.
 Ut placata fames epulis bis terque repositis,
 Rex prior alloquitur, paterisque hortatur Achivos: 100
 Invideo vestris, (fateor) decora inclyra gentis
 Argolicæ, coepis: utinam mihi fortior ætas,
 Quæque fuit, Dolopas cum Scyria litora adortos
 Perdomui, fregique vadis, quæ signa triumphi,
 Vidisti celsas murorum in fronte carinas. 105
 Saltem si soboles, aptam quam mittere bello
 [Possem, plena forent mihi gaudia: namque juvarem.]
 Nunc ipsi viresque meas, & cara videtis

Pignora. quando novos dabit hæc mihi turba nepotes?

Dixerat, & solers arrepto tempore Ulixes:

110

Haud spernenda cupis. quis enim non visere gentes

Innumeræ, variosque duces, atque agmina regum

Ardeat? omne simul roburque decusque potentis

Europæ, meritos ultro juravit in enses.

Rura urbesque vacant: montes spoliavimus altos.

115

Omne fretum longa velorum obtexitur umbra.

Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus.

Non alias unquam tantæ data copia famæ

Fortibus, aut campo majore exercita virtus.

Aspicit intentum, vigilique hæc aure bibentem,

120

Cum paveant aliae, demissaque lumina flectant,

Atque iterat: Quisquis proavis & gente superbus,

Quisquis equo jaculoque potens, qui prævalet arcu,

Omnis honos illuc: illuc ingentia certant

Nomina. vix timidæ matres, vix agmina cessant

125

Virginea. hic multum steriles damnatus in annos,

Invisusque Deis, si quem hæc nova gloria segnem

Præterit. exisset stratis, nisi provida signo

Deidamia dato, cunctas hortata forores

Liquisset mensas, ipsum complexa. sed hæret

130

Respiciens Ithacum, coetique novissimus exit,

Ille quidem incepto paulum ex sermone remisit,

Pauca tamen jungens: At tu tranquillus in alta

Pace mane, carisque para connubia natis,

Quas tibi fidereis Divarum vultibus æquas

135

Sors dedit. ut me olim tacitum reverentia tangit!

Is decor est, formæ species permixta virili.

Occurrit genitor: Quid si Bacchæ ferentes

- Orgia , Palladias aut circum videris aras ?
 Et dabimus , si forte novus cunctabitur Auster. 140
 Excipiunt cupidi , & tacitis spes addita votis.
 Cetera depositis Lycomedis regia curis
 Tranquilla sub pace silet , sed longa sagaci
 Nox Ithaco : lucemque cupit , somnoque gravatur.
 Vix dum exorta dies , & jam comitatus Agyrta 145
 Tydides aderat , prædictaque dona ferebat.
 Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant
 Ostentare choros , promissaque sacra verendis
 Hospitibus . nitet ante alias regina comesque
 Pelides . qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ 150
 Naïdes Enneas inter Diana , feroxque
 Pallas , & Elysii lucebat sponsa tyranni.
 Jamque movent gressus , thiasisque Ismenia buxtis
 Signa dedit , quater æra Rheæ , quater Evia pulsant
 Terga manu , variosque quater legere recursus. 155
 Tunc thyrsos pariterque levant , pariterque reponunt ,
 Multiplicantque gradum , modo quo Curetes in actu ,
 Quoque pii Samothraces eunt . nunc obvia versæ
 Peftine Amazonio , modo quo citat orbe Lacænas
 Delia , plaudentesque suis intorquet Amyclis. 160
 Tunc vero , tunc præcipue manifestus Achilles ,
 Nec servare vices , nec jungere brachia curat.
 Tunc molles gressus , tunc aspernatur amictus
 Plus solito , rumpitque choros , & plurima turbat.
 Sic indignantem thyrsos , acceptaque matris 165
 Tympana , jam tristes spectabant Penthea Thebæ.
 Solvuntur laudata cohors , repetuntque paterna
 Limina , ubi in mediæ jamdudum sedibus aulæ

Munera, virgineos visus tractura, locarat
 Tydides, signum hospitii, pretiumque laboris. 170

Hortaturque legant; nec rex placidissimus arcet.
 Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
 Grajorumque dolos, variumque ignorat Ulixem!
 Hinc aliæ, quas sexus iners, naturaque ducit,
 Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant 175

Tympana, gemmatis aut neclunt tempora limbis:
 Arma vident, magnoque putant donata parenti.
 At ferus Æacides, radiantem ut cominus orbem
 Cælatur pugnis sœvis, & forte rubentem
 Bellorum maculis, acclinem & conspicit hastam; 180

Infremuit, torfitque genas, & fronte relicta
 Surrexere comæ. nusquam mandata parentis,
 Nusquam occultus amor, totoque in pectore Troja est.
 Ut leo, materno cum raptus ab ubere mores
 Accepit, peñique jubas, hominemque vereri 185

Edidicit, nullaque ruit nisi jussus in iras:
 Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
 Ejurata fides, domitorque inimicus, in illum
 Prima famæ, timidoque pudet servisse magistro.
 Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum 190

Reddidit, & similem tandem se vidit in auro,
 Horruit, erubuitque simul. tunc acer Ulyxes
 Admotus lateri summissa voce: Quid hæres?
 Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
 Tu cœli, pelagiique nepos: te Dorica classis, 195

Te tua suspensis exspectat Græcia signis,
 Ipsaque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.
 Eja, age, rumpe moras: fine, perfida palleat Ide,

- Et juvet hæc audire patrem, pudeatque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin. jam pectus amictu 200
Laxabat: cum grande tuba (sic jussus) Agyrtes
Insonuit. fugiunt disjectis undique donis,
Implorantque patrem, commotaque proelia credunt.
Illiū intastæ cecidere a pectorē vestes.
Jam clypeus, breviorque manu consumitur hasta,
(Mira fides) Ithacumque humeris excedere visus,
Ætolumque ducem: tantum subita arma, calorque
Martius horrenda confundit luce penates.
Immanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleia virgo 210
Quæritur. ast alia plangebat parte reteftos
Deidamia dolos, cuius cum grandia primum
Lamenta; & notas accepit pectorē voces,
Hæsit, & occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clypeum, regisque ad lumina versus,
Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem;
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis:
Me tibi, care pater, (dubium dimitte timorem)
Me Thetis alma dedit. te pridem tanta manebat
Gloria. quæfitum Danais tu mittis Achillem, 220
Gratior & magno (si fas dixisse) parente,
Et dulci Chirone mihi. sed corda parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato sacerum, & Thetis hospita jungunt;
Allegantque suos utroque a sanguine Divos. 225
Unam virgineo natarum ex agmine poscunt.
Dasne? an nos humiles tibi, degeneresque videmur?
Non renuis. junge ergo manus, & concipe fœdus,

Atque ignosce tuis, tacito jam cognita furto
 Deidamia mihi. quis enim his obstatre lacertis ; 230
 Quæ potuit nostras posseffa evadere flamas ?
 Me luere ista jube : pono arma , & reddo Pelasgis ;
 Et maneo. quid triste fremis ? quid lumina mutas ?
 Jam sacer es. natum ante pedes projecit , & addit :
 Jamque avus. immitis quoties tractabitur ensis , 235
 Turba sumus. tunc & Danai , per sacra fidemque
 Hospitii , blandusque precum compellat Ulysses.
 Ille , et si caræ comperta injuria natæ ,
 Et Thetidis mandata movent , prodique veretur
 Depositum tam grande Deæ , tamen obvius ire 240
 Tot metuit fatis , Argivaque bella morari.
 Fac velit : ipsam illiç matrem sprevisset Achilles.
 Ne tamen abnueret genero se jungere tali ;
 Vincitur. arcans effert pudibunda tenebris
 Deidamia gradum , veniam nec protinus amens 245
 Credit , & opposito genitorem placat Achille.
 Mittitur Hæmoniam , magni qui Pelea facti
 Impleat , & classem , comitesque in prælia poscat.
 Nec non & geminas regnator Scyrius alnos
 Deducit genero , viresque excusat Achivis. 250
 Tunc epulis consumta dies , tandemque receptum
 Fœdus , & intrepidos nox conscia jungit amantes.
 Illius ante oculos nova bella , & Xanthus , & Ide ,
 Argolicæque rates : atque hæc jam cogitat undas ,
 Auroramque timer. cara cervice mariti 255
 Fusa novi , lacrimas jam solvit , & occupat artus.
 Aspiciamne iterum , meque hoc in pectore ponam ,
 Æacide ? rursusque tuos dignabere partus ?

- An tumidus Teucrosque lares , & capta reportans
 Pergama , virgineæ nolis meminisse latebræ ? 260
- Quid precer , heu , timeamve prius ? quidve anxia mandem ,
 Cui vix flere vacat ? modo te nox una deditque ,
 Inviditque mihi . thalamis hæc tempora nostris ?
 Hicne est liber Hymen ? o dulcia furta , dolique ,
 O timor ! eripitur miseræ permisus Achilles. 265
- I , (neque enim tantos ausim revocare paratus)
 I , cautus , nec vana Thetin timuisse memento.
 I felix , nosterque redi . nimis improba posco.
 Jam te spectabunt lacrimis , planctuque decoræ
 Troades , optabuntque tuis dare colla lacertis , 270
 Et patriam pensare toris : aut ipsa placebit
 Tyndaris , incesta nimium laudata rapina.
 Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ
 Narrabor famulis , aut dissimulata latebo.
- Quin age , duc comitem : cur non ego Martia tecum 275
 Signa feram ? tu pensa manu , Bacchæaque mecum
 Sacra , quod infelix non credet Troja , tulisti.
 Attamen hunc , quem moesta mihi solatia linquis ;
 Hunc saltem sub corde tene : & concede precanti
 Hoc solum , pariat ne quid tibi barbara conjux ,
 Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes. 280
- Talia dicentem non ipse immotus Achilles
 Solatur , juratque fidem , jurataque fletu
 Spondet , & ingentes famulas , captumque reversus
 Illion , & Phrygiæ promittit munera gazæ. 285
 Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.
 Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
 Oceano prolata dies , genitorque coruscæ

- Lucis , adhuc hebetem vicina nocte , levabat ,
 Et nondum excusso rorantem lampade ponto. 290
 Et jam punicea nodatum pectora palla ,
 Insignemque ipsis , quæ prima invaserat armis
 Æaciden (quippe aura vocat , cognataque suadent
 Æquora) prospectant cuncti , juvenemque , ducemque
 Nil ausi meminisse , pavent . sic omnia visu
 Mutatus redit , ceu nunquam Scyria passus
 Litora , Peliacō raptus descendat ab antro.
 Tunc ex more Deis (ita namque monebat Ulixes)
 Æquoreis , Austrisque litat , fluctuque sub ipso
 Cæruleum regem tauro veneratur , avumque 300
 Nereā : vixtata genitrix placata juvenca est.
 Hic spumante fallo jaciens tumida exta profatur :
 Paruimus , genitrix , quanquam haud toleranda jubebas ,
 Paruimus nimium , bella ad Trojana , ratesque
 Argolicas quæsus eo. Sic orsus , & alno 305
 Infiluit , penitusque Noto stridente propinquis
 Abripitur terris : jamque ardua crescere nubes
 Incipit , & Scyros longe decrescere ponto.
 Turre procul summa , lacrimis comitata sororum ,
 Confessumque tenens , & habentem nomina Pyrrhum 310
 Pendebat conjux , oculisque in carbasa fixis
 Ibat , & ipsa fretum , & puppem jam sola videbat.
 Ille quoque obliquos dilecta ad moenia vultus
 Declinat , viduamque domum , gemitusque relictæ
 Cogitat . occultus sub corde renascitur ardor , 315
 Datque locum virtus . sensit Laertius heros
 Mœrentem , & placidis aggressus fletere dictis :
 Tene (inquit) magnæ vastator debite Trojæ ,

- Quem Danaæ classes , quem Divum oracula poscunt,
Erectumque manet referato limine bellum ; 320
Callida femineo genitrix velavit amictu ?
Commisitque ullis tam grandia fulta latebris ?
Speravitque fidem ? nimis o suspensa nimisque
Mater ! an hæc virtus tacita torperet in umbra ,
Quæ , vix audito litui clangore , refugit 325
Et Thetin , & comites , & quos suppresserat ignes ?
Nec nostrum est , quod in arma venis , sequerisque precantes :
Venisses ultro . quem talibus occupat heros
Æacides : Longum est resudes exponere causas ,
Maternumque nefas . hoc excusabitur ense 330
Scyros , & indecores , fatorum crimina , cultus .
Tu potius , dum lene fretum , Zephyrisque feruntur
Carbasa , quæ Danais tanti primordia belli ,
Ede : liber justas hinc sumere protinus iras .
Hie Ithacus paulum repetito longius orsu : 335
Fertur in Hectorea (si talia credimus) ora
Electus formæ certamina solvere pastor
Sollicitas tenuisse Deas , nec torva Minervæ
Ora , nec ætherei sociam rectoris , amico
Lumine , sed solam nimium vidisse Dionen : 340
Atque adeo lis ista tuis exorta sub antris
Concilio Superum , dum Pelea dulce maritat
Pelion , & nostris jam tunc promitteris armis .
Ira quatit vietas : petit exitialia judex
Præmia . raptori faciles monstrantur Amyclæ . 345
Ille Phrygas lucos , matris penetralia cædit
Turrigeræ , veritasque solo procumbere pinus
Præcipitat , terrasque freto delatus Achæas

Hospitis Atridæ (pudet heu, miseretque potentis
Europæ!) spoliat thalamos, Helenaque superbus
Navigat, & captos ad Pergama devehit Argos.

Inde dato passim varias rumore per urbes,

Undique inexerti sibi quisque, & sponte coimus

Ultores. quis enim genialia foedera rumpi

Capta dolis, facilique trahi connubia raptu,

Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos

Perferat? hæc & non fortes jaætura moveret.

Non tulit infidias Divum imperiosus Agenor,

Mugitusque sacros, & magno numine vestam

Quæsit Europen, aspernatusque Tonantem est

Ut generum. raptam & Scythico de litore prolem

Non tulit Æetes, ferroque & classe secutus.

Semideos reges, & ituram in fidera puppim.

Nos Phryga semivirum, portus & litora circum

Argolica, incesta volitantem puppe feremus?

Usque adeo nusquam arma & equi, fretaque invia Grajis?

Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris

Deïdamian eat, viduaque a sede revellat

Attonitam, & magni clamantem nomen Achillis?

Illius ad capulum rediit manus, & simul ingens

Impulit ora rubor. tacuit contentus Ulixes.

Excipit Ænides: Quin, o dignissima cœli

Progenies, ritusque tuos, clementaque primæ

Indolis, & valida mox accedente juventa,

Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron;

Virtutisque aditus, quas membra augere per artes,

Quas animum, sociis, multumque faventibus ede:

Sit pretium longas penitus quæfisse per undas

350

355

360

365

370

375

- Scyron, & his armis primum intendisse lacertos.
 Quem pigeat sua facta loqui? tamen ille modeste 380
 Inchoat, ambiguus paulum, propiorque coacto:
 Dicor, & in teneris, & adhuc crescentibus annis,
 Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
 Non ulla ex more dapes habuisse, nec almis
 Überibus satiaffe famem, sed spissa leonum 385
 Viscera, semianimesque libens traxisse medullas.
 Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
 Sic dabat ille pater, mox ire per avia secum
 Lustra gradu majore trahens, visisque docebat
 Arridere feris, nec fracta ruentibus undis 390
 Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia silvæ.
 Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetræ,
 Et ferri properatus amor, durataque multo
 Sole, geluque cutis, tenero nec flexa cubili
 Membra, sed ingenti saxum commune magistro. 395
 Vix mihi hisseros annorum torserat orbes
 Vita rufis, volucres cum jam prævertere cervos,
 Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
 Tela sequi, sæpe ipse gradu me præpete Chiron.
 Dum velox ætas, campis admissus agebat 400
 Omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
 Laudabat gaudens, atque in sua colla levabat.
 Sæpe etiam primo fluvii torpore jubebat
 Ire super, glaciemque levi non frangere planta.
 Hoc puerile decus, quid nunc tibi prælia dicam
 Silvarum? & vacuos sævo jam murmure saltus? 405
 Nunquam ille imbelles Ossa per avia lynces
 Sectari, aut timidos passus me cuspidé das

Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,

Fulmineosque fues, & sicubi maxima tigris,

Aut seducta jugis foetæ spelunca leænæ.

Ipse sedens vasto facta exspectabat ab antro,

Si sparsus magno remearem sanguine: nec me

Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.

Jamque & ad ensiferos vicina pube tumultus

Aptabar: nec me ulla feri Mavortis imago

Præteriit. didici, quo Pæones arma rotatu,

Quo Macetæ sua gesa carent, quo turbine cæstum

Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus

Tenderet, & flexæ Balearicus actor habenæ

Quo suspenſa trahens libraret vulnera tortu,

Inclusum quotiæ distringeret aera gyro.

Vix memorem cunctos (eſi modo geſſimus) actus.

Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas:

Nunc caput aerii scandentem prendere montis,

Quo fugitur per plana gradu: simulacraque pugnæ,

Excipere immisſos curvato umbone molares,

Ardentesque intrare casas, peditemque volantes

Sistere quadrijugos. memini, rapidissimus ibat

Imbribus affiduis pastus, nivibusque solutis

Sperchios, vulſasque trabes & saxa ferebat;

Cum me ille immisſum, qua ſævior imperus undæ,

Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus,

Quos vix ipſe gradu toties obſtantे tuliffet.

Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,

Et latæ caligo via. ferus ille minari

Desuper incumbens, verbisque urgere pudorem.

Nec niſi jussus abii. ſic me ſublimis agebat

410

415

420

425

430

435

Gloria , nec duri tanto sub teste labores.

Nam procul Æbalios in nubila condere discos 440

Et liquidam nodare Palen , & spargere cæstus ,

Ludus erat , requiesque mihi. nec major in istis

Sudor , Apollineo quam fila sonantia plectro

Cum quaterem , priscosque virūm mirarer honores.

Quin etiam succos , atque auxiliantia morbis 445

Gramina , quo nimius staret medicamine sanguis ,

Quid faciat somnos , quid hiantia vulnera claudat ,

Quæ ferro cohibenda lues , quæ cederet herbis ,

Edocuit , monitusque sacræ sub pectori fixit

Justitiæ , qua Peliacis dare jura verenda

Gentibus , atque suos solitus pacare bimembres.

Hactenus annorum , comites , elementa meorum

Et memini , & meminisse juvat. scit cetera mater.

450



770 M. J. DAUBENWELT

ON

THE

IN

THE


IN

THE

IN

THE

realities of their time, to those of
the present day, and to the changes
which have taken place in the mean-
time. The author has endeavoured to
make his book as interesting as possi-
ble, by giving a full account of the
various scenes of action, and the
principal characters, and by intro-
ducing some of the most interest-
ing incidents of the history of
the country, and the lives of
the principal persons connected
with it. The author has also
endeavoured to make his book
as instructive as possible, by
giving a full account of the
various scenes of action, and the
principal characters, and by intro-
ducing some of the most interest-
ing incidents of the history of
the country, and the lives of
the principal persons connected
with it.



Ex libris George W. Fiske
Lefferts is a member of the New York
Bar, residing on the Avenue, New York.

